Property of
CBF
Please return to
Graduate Theological
Union Library

B. HERDER BOOK CO.,
17 S. BROADWAY,
ST. LOUIS, MO.

DE INCARNATIONE AC REDEMPTIONE

EJUSDEM AUCTORIS

DE PAENITENTIA

tractatus dogmatico-historicus, in 8°, IV-480 pp.

DE INCARNATIONE

AC

REDEMPTIONE

AUCTORE

Paulo GALTIER, S. J.

244
G-179
C1

BIBL. STUD.
O. F. M.
CALIFORNIA

THEOLOGICAL
LIBRARY
O. F. M.
SANTA BARBARA
NO. 17921

3670

PARISIIS
APUD GABRIEL BEAUCHESNE
Via dicta de Rennes, 117.

—

MCMXXVI

Nihil obstat

A. DEGAND,

can. censor librorum.

IMPRIMATUR

Tornaci, die 2ª Aprilis 1926.

V. CANTINEAU

vic. gen.

PROOEMIUM

Incarnationis ac Redemptionis mysterium est, quo tota fere vertitur fides christiana. Ecclesia catholica, sicut et Apostolus, non judicat se quidquam scire inter homines praeter Christum et hunc crucifixum. Nil unquam definit aut auctoritate sua sancit, quod non respiciat Christum. Doctrinam propterea de Christo Christique opere habet quam maxime certam et stricte determinatam. Ad illam statuendam contulere simul, suo singulae modo, perversiones haereticorum, praedicationes pastorum, commentaria doctorum, conclusiones theologorum. De Christo jamdiu vix potest ulla quaestio moveri, quae non fuerit in conciliis aut saltem in scholis jamdiu praeoccupata.

Volenti igitur, in Ecclesia catholica, disserere de Incarnatione ac Redemptione, attendenda sunt imprimis ea quae de illis mysteriis sunt in Scriptura sacra manifestata et ab infallibili magisterio definita aut declarata : scientiae sacrae fons is est proprius et primarius. Eum igitur non satis est summis quasi labris attigisse. Qui ab eo se citius avertat ut ex philosophico fonte hauriat pleno ore, periculum facile incurrat auditoribus aut lectoribus obtrudendi pro dogmate commentum mere systematicum et metaphysicum, quod, quamvis forte tutum ac summo ingenio elaboratum, haud aliam tamen vim ac certitudinem habeat ac principia philosophica, quibus stat superstructum.

Exinde vero non parvum certis ingeniis scandalum oriri possit. Si mysterium Incarnationis jam non audiatur aut legatur nisi pro quadam opinione philosophica expositum atque vindicatum, suspicio ac timor facile oboriatur ne idem pariter fuerit olim definitum atque determinatum ad normam placitorum philosophicorum, quae jam antiquata manent. Cum tamen formulas dogmaticas ea, ut supponitur, methodo elaboratas Ecclesia omnino retineri velit, haud unus forte exinde concludat eas intellegi ut agendi, at non ut sentiendi, normas absolutas.

Hoc periculum, quod recentiores de Christo errores ostendunt non esse fictitium, tractatus hicce noster praecavere conatur. Speciali propterea cura sensus et modus inquiritur, quo primaria illa mysteria sint revelata atque per Ecclesiam nobis tradita.

Nec ideo aberratur a scopo, quem theologia sibi praefixum habet. Illius enim scientiae, etsi non est sua principia, id est, dogmata demonstrare seu evidentia facere, tamen omnino est disputare contra ea negantes, id est, contra eos qui hujusmodi dogmata negant esse vel a Deo revelata vel ab Ecclesia jure ac vere definita (I, q. 1, a. 8). Olim quidem theologis licuit hoc curare minus : non erant tunc qui, hoc sensu, eorum principia negarent. Fatetur saltem S. Thomas sibi ideo difficile esse contra hujusmodi adversarios procedere, quia eorum dicta non habet sibi nota, nec praeter rationem naturalem habet quidquam cum eis commune, unde possit contra eos argumentatio procedere. (*Cont. Gentes,* I. 2).

Non ita hodierni theologi. Ignorantia hujusmodi non laboret nisi qui audire nolit : libri et scholae sunt ubique, quibus non tantum eruditi, sed etiam puerorum magistri atque gymnasiorum alumni edoceantur, quasi certa, dogmatis historicorum placita de progressiva in Ecclesia elaboratione mysterii Incarnationis.

Ab hujusmodi praedicatione et a periculo fidei exinde pro populo christiano emergente jam non licet ulli theologo praescindere. Adversarii ceterum, quorum dicta sic habet facillime nota, conveniunt cum eo in admittenda auctoritate historica scriptorum antiquorum, quibus suas ipse solet confirmare demonstrationes. Jam igitur habet unde contra eos disputare possit, ita ut, etsi illos forte non convincat, aliis tamen ostendere possit quam immerito contra fidem ad historiam appelletur.

Ea ergo via ineunda visa est ut Incarnationis et Redemptionis mysteria, ad hodiernorum utilitatem majorem, vindicarentur simul et exponerentur. Quod si, ut nos non fugit, metam non attigerimus, saltem ad eam tetendisse non inutile forte judicabitur.

Nec minori propterea curae fuit scholastica doctrinae catholicae expositio. Dux huc ei magister prae omnibus erat S. Thomas.

Quo non significatur illum haberi ut « fontem », ex quo doctrina sacra cum omni certitudine hauriri possit. Theologia, ipso docente, excludit auctoritatem hujusmodi agnosci ulli doctori Ecclesiae ; genuinus proinde S. Thomae discipulus non sit, qui de illo non sentiat

quod ipse a S. Augustino (*Epist.* 82. 1, 3 PL 33. 277) didicerat : « Solis eis Scripturarum libris, qui canonici appellantur, didici hunc honorem deferre, ut nullum auctorem eorum in scribendo aliquid errasse firmissime credam. Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque praepolleant, non ideo verum putem quia ipsi ita senserunt » (I, q. 1, a. 8, ad 2[m]).

« Angelicus » praeterea nemo nescit quantam ipse agnoverit auctoritatem tum philosophicis placitis Aristotelis, tum theologicis divinationibus pseudo illius Areopagitae, quem putabat Apostolorum discipulum ; hinc factum est ut doctrina sacra, quae, apud Patres, occurrit qualis ex traditione ecclesiastica simpliciter fluebat, inveniatur apud S. Thomam rationibus et opinionibus contexta, quarum valor maneat mere humanus et veritas aliquando mere probabilis. Sed ipse, initio suae Summae theologicae (*loc. cit*) adeo cavet et praemonet ne argumenta ex philosophia desumpta pro theologicis habeantur ut, his non obstantibus, dux et exemplum maneat eis omnibus qui curent meras opiniones discernere a conclusionibus, quae cum dogmate vero nexu connectuntur.

Quod cum nobis enitendum videretur, doctori, quem Ecclesia vult esse communem et domesticae leges nobis ab initio edixere proprium, pia sedulitate adhaerere voluimus in exponendis quaestionibus scholasticis. Ejus propterea doctrinam, ubi controversiae subjacet, eadem cura determinare conati sumus qua Patrum ipsorum, v. gr., S. Cyrilli, sententiam disquirere tentavimus. In quo forte judicet quis nos excessisse limites tractatus, qui auditoribus theologiae velit esse prae manibus. Sed existimavimus eos imprimis inducendos esse ut « magistrum » ipsi adeant et per attentam inspectionem sive opinionum, contra quas arguit, sive quaestionum, quales ipse ponit, mentem illius assequi conentur. Secus saeviat apud illos merus ille scholae psittacismus, quo garruli facile et confidentissimi at S. Thomam non adeo sapientes evadant.

Summae tamen quaestiones non erat cur exscriberentur omnes : liber enim ubique supponitur esse prae manibus. Non paucae praeterea agunt de mysteriis vitae Christi, quae jam non theologi sed exegetae aut historici explanare solent.

Rerum vero ordo non parum immutatus est. Quaestiones in specie de Christo capite ac de Incarnationis causa finali toti tractatui per modum conclusionis et quasi fastigii postpositae sunt : ubi jam Christus declaratus est quis sit, quid operatus sit et quousque inter Deum et homines exsistat mediator, jam facilius apparet quanto jure sit

omnibus creaturis praestitutus, ac Deo ipsi exstiterit viarum suarum initium absolutum.

Materia igitur sic digesta est ut in priori parte agatur de Incarnationis et in posteriori de Redemptionis mysterio. Conclusio est de Christo, ut corporis sui mystici capite, ac de Incarnationis causa finali.

SIGLA

operum saepius occurrentium

C = CAVALLERA : *Thesaurus doctrinae catholicae.*

DAFC d'ALÈS : *Dictionnaire apologétique de la foi catholique.*

D-B = DENZINGER-BANNWART : *Enchiridion symbolorum.*

DTC VACANT-MANGENOT : *Dictionnaire de théologie catholique.*

PG = MIGNE : *Patrologia graeco-latina.*

PL = MIGNE : *Patrologia latina.*

RSR = *Recherches de science religieuse.*

ZSKT *Zeitschrift für Katholische Theologie.*

DE INCARNATIONE

1. Incarnatio est mysterium ipsius Christi : quis et qualis sit.

Apologetica jam probavit illum miraculis suis fecisse fidem se esse a Deo missum ad instaurandam oeconomiam religiosam ultimam ac, vi missionis suae, Ecclesiam condidisse, quae ad finem usque saeculorum homines suo nomine doceret, regeret atque Deo conjungeret.

Ecclesia vero ipsa docet illum esse verum Dei Patris Filium, qui homo factus sit, seu naturam humanam ita sibi assumpserit ut idem jam tam vere ac proprie sit homo quam ab aeterno vere ac proprie Deus est.

Definitur propterea Incarnatio : Naturae divinae cum humana in una Filii Dei persona conjunctio.

2. Ea conjunctio, apud antiquos scriptores, legitur enunciata vocibus haud paucis aliis. Occurrunt in specie : οἰκονομία — œconomia ; πρόσληψις — assumptio ; ἀνάληψις — susceptio ; ἐνανθρώπησις — inhumanatio ; ἐνσωμάτωσις — incorporatio ; ἕνωσις — unio ; σύνοδος — conventio ; etc. Cf. Petav. *De Incarn.* l. II, cp. 1. — Notandae sunt imprimis :

Οἰκονομία, quae bene redditur a Tertulliano voce « dispensationis » seu « dispositionis », plura dicit quam ipsa vox Incarnationis. Significat enim mirabilem illam divinarum personarum dispensationem, qua, per missionem et passionem Christi, nostrae saluti provisum est. Hoc sensu occurrit apud S. Irenaeum (*Demonstr. praedicationis apostolicae*, cp. 43 et 99-100) et praesertim apud Tertullianum (*adv. Praxeam.* 2 ; 3 ; 23 PL 2. 156 B ; 157 A ; 158 A ; 183 C). Postea dicitur etiam aliquando de ipsa stricte Incarnatione. At, ut notat Petavius (*loc. cit.* n. 4), complectitur potius totum id quod est inferioris in Christo substantiae, ita ut graeci theologi soleant quaecumque de Christo disputantur partiri bifariam in θεολογίαν et οἰκονομίαν : quarum vocum prior ea comprehendit quae ad divinitatem pertinent, posterior quae ad humanam naturam.

Πρόσληψις et ἀνάληψις — *assumptio* et *susceptio*, ex *Philipp.* 2. 7 : μορφὴν δούλου λαβών, — aptissimae erant ad significandas duas naturas. Prout vero dicebatur esse susceptio « *hominis* », quae fuerat apta ad excludendum Apollinarismum, ea visa est favere Nestorianismo.

Ἐνανθρώπησις — *inhumanatio* — aptissima de se fuisset ad significandum mysterium, et, re vera, in symbolis orientalibus, legitur aliquando ἐναθρωπήσαντα (D-B. 9[3a]).

Σάρκωσις — *incarnatio* —, etsi, aetate Apollinarismi, minus apta videbatur, tamen praevaluit in symbolis (σαρκωθέντα), ut magis scripturistica — *Et Verbum CARO factum est* — et, ex usu Scripturae (cf. *Luc.* 3. 6 ; *Rom.* 8. 20), ut sufficienter apta ad significandam totam naturam humanam.

3. Divisio. Incarnationis mysterium ut plene determinetur, primo statuendum est factum ipsum unionis duarum in una persona naturarum. Deinde exponenda est natura illius unionis, cujusmodi sit et quae pro composito secum trahat consectaria.

Tres propterea sectiones erunt :

1ª **De realitate unionis hypostaticae.**

2ª **De natura illius.**

3ª **De ejus consectariis.**

SECTIO PRIMA

REALITAS UNIONIS HYPOSTATICAE

Duarum naturarum in una persona conjunctio vocatur hypostatica. Realitas ejus implicat: 1° Christo duas inesse realiter naturas. 2° Naturas illas ita conjungi ut, etsi una sit utriusque persona, singulae tamen maneant integrae et inter se distinctae. 3° Mirae illius conjunctionis intrinsecam simul constare possibilitatem et extrinsecam assignari causam sufficientem.

Hinc **tria** hujus sectionis **capitula**: 1° De reali naturarum in Christo dualitate. 2° De personali naturarum in Christo conjunctione. 3° De unionis illius possibilitate et executione.

CAPUT PRIMUM

DE REALI NATURARUM IN CHRISTO DUALITATE

Quaestio solvetur duplici articulo, quo agetur de Christi natura: 1° humana; 2° divina.

ARTICULUS I

DE CHRISTI NATURA HUMANA

4. Errores — Christum fuisse verum hominem nobis consubstantialem, seu cujus substantia constiterit ex anima intellectiva unita corpori, quod per veram generationem habuerit originem ex muliere, jam nemo negat.

1° **De corpore** — Saeculo econtra primo et secundo, primae quae fuerunt de Christo haereses illum adeo tenebant esse de caelo ut carnem vellent habuisse mere apparentem.

Docetismus ille est, ad quem jam S. Joannes (1 *Jo.* 4. 2-3 et *Jo.* 7) alludit atque S. Ignatius (*Trall.* 9-10 et *Smyrn.* 2-4). Illum professi sunt : A) Cerinthus et Ebionitae, qui, « *solventes Jesum* », admittebant Christum esse ens pure cœleste, quod illapsum esset in Jesum, merum hominem, et ab eo in fine evolasset [1] ; — B) Gnostici multi, qui voluere Christum aptasse sibi corpus mere phantasticum, quod in passione sua dereliquisset [2] ; — C) Marcion, ex quo Christus, ne quidquam haberet a Demiurgo, manifestatus sit in corpore quod ex Maria nullo modo fuerit [3].

2° **De anima** — Saeculo 4°, animam inesse Christo similem nostrae negarunt : A) Simpliciter **Ariani** et, initio praedicationis suae, **Apollinaris** : corpori ex semine Abrahae ducto Verbum fuisset pro anima [4]. — B) Ex parte idem **Apollinaris**, cum, urgentibus adversariis ac textibus evangelicis, concessisset Christo inesse quidem *animam* (ψυχήν) minime vero νοῦν seu *mentem* : Verbum igitur assumpsisset carnem animatam anima non intellectuali, cui ipsum fuisset pro mente [5].

Saeculo 12°, unionem animae cum corpore apud Christum negarunt haud pauci **scholastici**, quia putabant ex eorum unione substantiali oriundam fuisse, sicut apud ceteros homines, personam humanam [6].

Contra quos omnes thesis sequens est tota *de fide catholica* [7].

(1) De Cerintho, cf. Irenaeum, *adv. Haer.* I. 21, 1 ; de Ebionitis, Epiphanium, *haer.* 30.

(2) Haud pauci Gnostici, v. gr. Marinus, Apelles, corpus Christi admittebant quidem fuisse reale, at negabant esse ex genere nostro : non ex Maria fuisset, sed per Mariam tantum transiisset.

(3) Cf. S. Irenaeum, *adv. Haer.* III. 27, 2 ; Tertullianum, *cont. Marcion.* III. 8-11.

(4) Verbum igitur fuerit *caro* at non *homo* factum : ταρκωθείς, οὐκ ἐνανθρωπήσας. — Vide apud S. Augustinum (*Confess.* VII. 19) quomodo Alypius diu putaverit eam esse catholicorum doctrinam.

(5) Cf. Voisin : *L'Apollinarisme*, vel Tixeront : *Hist. des dogmes*, t. II[4], p. 27 et 96-98.

(6) Ii sunt qui, apud Lombardum (III, *dist.* 6), tenent 3[um], quae distinguitur, opinionem. De quibus cf. S. *Thomam*, in h. l. : *divisio textus* et III, q. 2, a. 5 : *cont. Gentes*, IV. 37 et 41. — Plura dat Portalié, art. *Adoptianisme* apud DTC, I[1], 413-414.

(7) Cf. *conc. Chalcedon* (D-B. 148 ; C. 690) ; *symbol. Athanas* (D-B. 40 ; C. 702) ; *conc. Lateran.* IV (*œcum.* XII ; D-B. 429 ; C. 766) : *conc. Viennense* (D-B. 480 ; C. 767).

THESIS I — Jesus Christus est verus et perfectus homo, corpore constans carneo et anima rationali inter se substantialiter unitis, cujus origo corporea est per veram generationem ex humano genere : est ergo nobis consubstantialis.

5. I. Verus et perfectus homo.

1° Hoc constat ex tota historia evangelica : dicitur conceptus, natus, circumcisus, ambulasse, manducasse, dormivisse, lacrimatus, passus, mortuus esse.

2° Hoc ab initio contra oborientes gnosticos propugnatum est ut fundamentum totius doctrinae christianae : negata scilicet vera et perfecta Christi humanitate, censebatur corruere tota revelatio, id est, redemptio, exemplum Christi, Eucharistia, fides, spes, charitas,... omnis certitudo humana [1]. Principium in specie inculcatur : « Quod non est assumptum non est sanatum » (τὸ ἀπρόσληπτον, ἀθεράπευτον) [2].

3° Nec obstat quod dicitur missus « *in similitudinem carnis peccati* » (*Rom.* 8. 3), « *in similitudinem hominum factus et habitu* (σχήματι) *inventus ut homo* » (*Philipp.* 2. 7-8). Haec enim, etsi similitudinem affirmant potius externam, tamen non excludunt realem illam et substantialem, quam S. Paulus toties affirmat aut supponit, v. gr. ubi loquitur de morte Christi, vel dicit Filium Dei « *factum ex muliere* ». Et, re vera : a) « *similitudo carnis peccati* » dicitur ad excludendam similitudinem quoad peccatum ipsum : sensus est carnem Christi similem esse carni, quae, apud alios, peccato vitiatur, quin sit et ipsa caro peccati [3] ; — b) *habitus* (σχῆμα), quo inventus est ut homo, significat totum modum se habendi, quo dignoscitur aliquis homo ; eum vero, qui sic ut homo inventus est, intellegi vere et substantialiter hominem patet per ipsum contextum, qui loquitur de ejus obedientia ac morte.

(1) Cf. v. gr. S. Ignatium : *Eph.* 7, 2 ; 18, 2 et 20, 2 ; *Trall.* 9-10 ; *Smyrn.* 1-7 ; S. Polycarpum : *Philipp.* 7 ; S. Irenaeum : *Haer.* III. 18-19 et 22 ; V. 1, 2 et 17-18 ; Tertullianum : *cont. Marcion.* III ; *de carne Christi.*

(2) S. Gregor. Naz. *epist.* 101, *ad Cledon.* 1 (PG 37. 181 C) ; item apud S. Ambros. *epist.* 48. 5 (PL 16. 1153 A-B).

(3) « Quod in similitudine carnis dicat misisse Filium, ne ideo existimes aliam esse carnem : quia enim dixit « peccati », ideo et similitudinem apposuit. Neque enim peccatricem carnem habuit Christus, sed similem quidem nostrae peccatrici, impeccabilem autem et natura eamdem quam nostram » (Chrysostomus : *in Rom. hom.* 8. 5 PG 60. 514-515).

6. QUAERES cur « *Verbum caro factum est* » intellegatur sensu proprio et substantiali, cum econtra intellegantur sensu mere figurato dicta S. Pauli quod Deus « *eum, qui non noverat peccatum, fecit peccatum* » (2 *Cor.* 5. 21), quod « *Christus factus* [*est*] *pro nobis maledictum* » (*Gal.* 3. 13).

RESPONDEO : Disparitas interpretationis nititur tum contextu, tum scopo manifesto loquentis, tum iis quae de Christo aliunde noscuntur.

Noscitur scilicet per totum evangelium S. Joannis eum, qui « *caro factus* » dicitur, esse eum ipsum, qui in vera et substantiali carne vixit, passus et mortuus est ; scopus auctoris est hoc loco signandi quo modo qui sine carne erat veram eam induerit carnem in qua visus est ; substantiam igitur carnis opponit substantiae Verbi — S. Paulus econtra, quod locis citatis asserit, nullibi confirmat esse intellegendum sensu proprio ; effectus intentus excludit Christum factum esse vere et sensu proprio peccatum seu peccatorem et a Deo maledictum ; scopus auctoris est simpliciter enunciandi vivide connexionem et solidaritatem institutam inter eos qui vere peccatores erant ac maledicto vere subjacebant et eum qui, ex mera benignitate, habitus est quasi unus ex illis esset [1].

7. II. Corpore constans carneo (III, q. 5, a. 1 et 2 ; *cont. Gent.* IV. 29).

1° Hoc explicite affirmat S. Joannes (*Jo.* 1. 14 ; 2 *Jo.* 7) ; item Christus ipse post resurrectionem suam (*Luc.* 24. 36 sqq ; cf. *Jo.* 20. 27). Hoc evidens est ex tota historia evangelica ; institutio Eucharistiae in specie sine hoc non intellegatur (Cf. S. Ignat. *Smyrn.* 7 et cf. 4).

2° Nec objiciantur apparitiones angelorum, quos vel contextus vel subjecta materia ostendit non esse nisi apparitiones : ipsi vel non dicunt se esse homines et filios hominum, vel insinuant se non agere humanitus nisi ad tempus. Cf. *Tob.* 5. 6-7 et 16-19 ; 12. 14-21.

8. III. Et anima rationali (q. 5, a. 3 et 4).

1° *Ex verbis Christi* et tota historia evangelica : tristatur anima ejus de futuro, orat, obedit, colit virtutes, proficit sapientia.

2° *Ex explicita ab initio doctrina Patrum,* v. gr. CLEMENTIS Romani enumerantis ea quae Jesus Christus dedit pro nobis : « sanguinem suum... et carnem pro carne nostra et *animam pro animabus nostris* » (*Cor.* 49. 6) ; item S. IRENAEI : « Suo igitur sanguine redimente nos Domino, et dante *animam* pro animabus nostris et carnem suam pro nostris carnibus » (*Adv. Haer.* V. 41).

(1) De utroque loco cf. PRAT : *La théologie de S. Paul,* II⁶, 244-249.

3° *Ex damnatione Apollinaristarum* jam a S. Athanasio, anno 362, in *tomo ad Antiochenos,* in quo eos tantum probat qui « profitcantur Salvatorem habuisse οὐ σῶμα ἄψυχον, οὐδ' ἀναίσθητον, οὐδ' ἀνόητον. Neque enim possibile erat, Domino pro nobis homine facto, ἀνόητον εἶναι τὸ σῶμα αὐτοῦ : non enim corporis dumtaxat sed etiam animae in ipso Verbo salus facta est « (PG 26.804 B) ; deinde a S. Damaso, in synodo romana anni 380 (D-B. 65 ; C. 668).

4° *Ex ratione theologica :* A) Generali, quia secus Christus non fuisset verus homo et nobis similis. — B) Speciali, quia anima rationalis est qua sola homo libere agere ac mereri possit. Ea igitur deficiente, Christus non potuisset apud Deum mereri et pro hominibus satisfacere. — Adde rationem qua tam multi delectati sunt Patres : ea imprimis assumi debuit quae imprimis peccavit.

Nec obstat quod Verbum dicatur « *caro* », per synecdochen, factum. Nam « caro » ideo positum est quia : a) aliqui negabant carnem (1 *Joan.* 4. 2-3 ; 2 *Joan.* 7) ; b) pars visibilis hominis convenientius exprimitur ab eo qui vult inculcare Verbum vere habitasse in nobis ; c) sic melius apparet benignitas Dei in nos ; nam ne infirmitates quidem exhorruit, quas notio carnis suggerit.

9. IV. Inter se substantialiter unitis (q. 2, a. 5).

1° Hoc etiam de *fide catholica* est, nam concilium quintum anni 553, *can.* 4 et concil. Romanum anni 649, *can.* 2, definiunt unionem factam esse ad « carnem animatam (ἐμψυχωμένην) anima rationabili et intellectuali », (D-B. 216 ; C. 708), « cum animata intellectualiter carne » (D-B. 255 ; C. 729[2]). Carnem enim animari est uniri substantialiter animae in ordine ad constituendum hominem : quo sensu symbolum *Quicumque* habet : « perfectus homo, ex anima rationali et humana carne subsistens » (D-B. 40). Viennense tandem concilium, anno 1312, profitetur Dei Filium assumpsisse « partes nostrae naturae simul unitas, ex quibus... fieret verus homo, humanum videlicet corpus passibile et animam intellectivam seu rationalem, ipsum corpus vere per se et essentialiter informantem » (D-B. 480 ; C. 367) [1].

(1) **Tres** in Christo dari **substantias,** naturam scilicet divinam, et animam atque corpus humanum aliquando dicitur. Ea tamen formula, a S. Juliano Toletano in sua *Apologia verae fidei* adhibita, mirationem Romae olim movit et a Benedicto II judicata est « incauta ». Concilium propterea Toletanum XV (688) eam vindicavit (D-B. 295 ; C. 743) ut a SS. Patribus usurpatam (cf. v. gr. August. : *de Trinitate* XIII. 17, 22), ut non exclusivam unionis ex qua homo, ut aptissimam ad inculcandam contra Apollinaristas et Manichaeos realitatem animae

2° *Sequitur* ex hoc qnod Christus sit verus homo et operationes atque passiones habuerit specifice humanas : deficiente enim unione substantiali, non adesset substantia humana, nec proinde natura specifice humana dici posset assumpta a Verbo (*Cont. Gent.* IV. 38).

10. V. Corpus originem habuit ex humano genere per veram generationem (q. 5, a. 2 ; q. 4, a. 6 ; q. 31)

1° **Ea est fides Ecclesiae** — A) in antiquissimis baptismi *symbolis* enunciata, ubi dicitur « natus ex Maria Virgine » ; — B) saepius in *conciliis* repetita, v. gr. in *Ephesino,* ubi definitum est Mariam esse Dei genitricem (D-B. 117) ; in *Chalcedonensi,* ubi asseritur esse « ex Maria virgine Dei genitrice secundum humanitatem » (D-B. 148 ; C. 690) ; in *Constantinopolitano* (anni 553, can. 2) ubi definitur « et incarnatus ex sancta Virgine.. et ex ea natus » (D-B. 214 ; C. 706) ; — C) pressius determinata contra eos qui suspecti erant de abjecta tanquam essentialiter mala omni generatione carnali : v. gr. in *fidei professione Waldensibus* imposita : « Homo verus ex matre, veram carnem habens ex visceribus matris,... natus ex Virgine Maria vera carnis nativitate » (D-B. 422 ; C. 765) ; in *concilio Florentino* (decreto pro Jacobitis) innovante anathema contra « Valentinum asserentem Dei Filium nihil de Virgine matre cepisse sed corpus coeleste sumpsisse, atque ita transisse per uterum Virginis, sicut per aquaeductum defluens aqua transcurrit » (D-B. 710 ; C. 770).

2° Ea est **explicita doctrina Scripturae** asserentis illum « *concipiendum in utero* » (*Luc.* 1. 31), « *factum ex muliere* » (*Gal.* 4. 4), « *factum ex semine David* » (*Rom.* 1. 4), « *esse ex patribus* » Judaeorum (*Rom.* 9. 5).

3° **Rationes convenientiae :** — A) *Cur ex nostro genere* (q. 4, a.6 ; q. 31, a.1) : ut ea natura satisfaceret quae peccaverat (Cf. *Hebr.* 2.14-15) ; ut natura curanda assumptione curaretur ; ut magis splendesceret potentia divina, elevata ad tantam gloriam ipsa natura quae corruerat. — B) *Cur ex femina* (q. 31, a. 4) : ut sexus uterque

et carnis humanae in Christo (Mansi XII. 12-17, vel PL 96. 528-536). Quae explicatio Romae non probari non potuit (Cf. HEFELE-LECLERCQ : *Hist. des conciles,* t. III[1], p. 555, note 1). — Eamdem tamen formulam, quia ELIPANDUS saeculo sequenti usurpavit, episcopi concilii Francofurtensis iterum improbarunt (A. WERMINGHOFF : *Concilia aevi Karolini,* t. I[1], p. 114^{38} ; 137^{25} ; 149^{16}). - S. THOMAS econtra (*c. Gent.* IV. 34, initio) non timet dicere : « Tribus substantiis in Christo convenientibus, scilicet divinitate, anima humana et vero humano corpore ».

nobilitaretur ; ut Incarnatio evaderet credibilior — Christo sic melius manifestante se esse verum hominem — et perfectior : Christus enim sic magis nobis in omnibus assimilatur, transit per omnem aetatem ; reparatio hominis eodem ordine fit quo intercesserat illius ruina.

11. QUAERES quo sensu S. Paulus secundum Adam, per oppositionem ad primum, qui erat « de terra » ideoque « terrenus », dicat esse « de coelo » (1 *Cor.* 15. 47). Num forte hoc sensu quod cum corpore suo cœlesti praeexstiterit suae in carne manifestationi, ut placuit non paucis olim gnosticis et nonnullis etiam nunc dogmatum historicis, qui velint eam fuisse mentem S. Pauli ?

RESPONDEO : A) Haec ultima interpretatio omnino abjicienda est, quia contradicit a) iteratae affirmationi S. Pauli quod sit « *ex muliere* » factus et « *ex semine David* » ; b) contextui immediato, in quo dicitur prius fuisse « *non quod spiritale sed quod animale* » : in ista autem hypothesi, secundus Adam praeexstitisset primo.

B) Secundus Adam dicitur « *de cœlo* » secundum hoc quod est « *spiritus vivificans* » (v. 45) et principium vitae cœlestis. Jamvero vivificans est quatenus Deum habet sibi unitum vel potius quatenus, ratione divinitatis conjunctae, habet plenitudinem Spiritus Sancti quo, qua homo, non tantum ipse vivificatur sed etiam alios vivificat. Quod vivificandi munus non exercet plene nisi inde ab exaltatione sua in resurrectione, ubi apparuit « *corpus spirituale* ».

C) Hoc igitur loco, allusio est ad id quod in Christo est divinum ac cœleste, non autem ad naturam et originem corporis ejus [1].

ARTICULUS II

DE DIVINA CHRISTI NATURA

12. Status quaestionis et modus procedendi. — 1° **Objectum proprium hujus articuli.** Naturam divinam inesse Christo, fundamentum est tractatus tum de Deo trino, tum de Verbo incarnato. Veritas ea est concilianda, in uno tractatu, cum dogmate de perfectissima essentiae divinae unitate et simplicitate, in altero, cum realitate humanae naturae in eodem Christo. Potest igitur in alterutro demonstrari aut

(1) Plura de hac pericopa apud PRAT : *op. cit.*, II[6], p. 204-207 et I[7], p. 165.

praesupponi. Nos hic eam demonstrare eligimus, pro quanto disquisitioni de constitutione Christi necesse est praestitui factum duplicis in illo naturae. Quomodo igitur illa natura divina, si datur in Christo, se habeat ad eam quae agnoscitur etiam in Deo Patre ; quaenam fuerit de habitudine Filii ad Patrem Ecclesiae antenicaenae fides ; quo processu Ecclesia, inter scopulos monarchianismi et subordinatianismi devenerit ad consubstantialitatem Verbi incarnati clarius et expressius determinandam, non necesse est hoc loco inquirere : quaestiones hujusmodi, sicut et praecipuae quae antenicaena aetate exortae sunt haereses, pertinent proprie ad tractatum de Deo trino.

Satis igitur interim erit ostendere Christum, etsi homo vere est, tamen esse etiam vere Deum : exinde enim oritur omnino quaestio de conjunctione duarum naturarum, quod objectum proprium est tractatus de Verbo incarnato.

13. 2° **Adversarii imprimis attendendi.** — Aliam, praeter humanam, inesse Christo naturam paucissimi olim haeretici ausi sunt explicite negare : latenter Paulus Samosatensis[1], saeculo 3°, et Photinus, saeculo 4° [2] ; aperte Sociniani, saeculo 16°. Negant autem hodie dogmatum historici, quorum propterea imprimis ratio habenda est in demonstratione nostra.

Negant porro hodierni non tantum Christum *esse* Deum, sed etiam divinitatem ejus *agnitam esse ab initio,* ita ut non fuisset ab ipso Christo de se edocta, sed ex contemplatione tantum fidei mentibus paulatim inducta : — quae ipsa est modernismi doctrina a Pio X, in *Decreto Lamentabili, prop.* 27 et 31, damnata : « Divinitas Jesu Christi... est dogma, quod conscientia christiana a notione Messiae deduxit... Doctrina de Christo, quam tradunt Paulus, Joannes et concilia,.. non est ea quam Jesus docuit, sed quam de Jesu concepit conscientia christiana » (D-B. 2027 et 2031 ; C. 772).

Hac fere via plerique illi putant hoc dogma prodiisse :

Christus merus homo, etsi transcendens homo, habitus sit a discipulis suis ut propheta, ut Messias, et ut talis exhibetur in Evangeliis synopticis. Post mortem vero, ex fide ressurectionis, paulatim inceperit ejus θεοποίησις,

(1) Cf. Bardy : *Paul de Samosate,* p. 370 sqq.

(2) S. Augustinus, priusquam converteretur et edoceretur, pariter sentiebat de Christo : « Tantum sentiebam de Domino Christo meo, quantum de excellentis sapientiae viro, cui nullus posset aequari... Aliquanto posterius didicisse me fateor, in eo quod Verbum caro factum est, quomodo catholica veritas a Photini falsitate dirimatur » (*Confess.* VII. 19).

ut apparet jam in eis Synopticorum aut Apocalysis locis, quae fingunt ejus originem cœlestem. Paulus autem praeexistentiam ejus docuerit tanquam alicujus creaturae supereminentis. Postea vero, ideae platonicae induxerint ad identificandum Christum cum Verbo divino. Quo facto, Christus *empiricus* seu *historicus* magis ac magis recesserit a mentium consideratione, dum econtra de *Christo fidei* seu *theologico* controversiae ortae sunt, quousque scilicet et quo in gradu Deus esset. Controversiis finem vix fecerit concilium Nicaenum, inde a quo tamen dogma sit Ecclesiae Christum esse verum Dei Patris filium consubstantialem.

14. 3° **Modus procedendi.** — Assertiones hujusmodi, ut jam dictum est, non est cur hoc loco singulae ex integro judicentur. Quam arbitrariae sint ac fundamento historico destitutae jam satis apparebit, si constet divinitatem Christi fuisse in Ecclesia, inde jam ab apostolis, praedicatam et agnitam, quia ab ipso Christo manifestatam.

Jamvero Christum ipsum se significasse ac credi voluisse esse Deum demonstrari potest ex solis aetatis apostolicae documentis. Fides enim de illius divinitate, qualis se prodit in apostolorum primaeva praedicatione, arguit ommino manifestationem illius divinitatis, qualis refertur in evangeliis : secus fidei hujusmodi non daretur ulla ratio sufficiens. Complexus igitur is est unde plenum et efficax desumi potest ac debet argumentum.

Singulis tamen testimoniis quia sua vis est propria, demonstratio tot paragraphis proponitur quot distingui possunt documenta praecipua : epistolae scilicet. S. Pauli, evangelia synoptica, evangelium S. Joannis.

§ I TESTIMONIUM S. PAULI

THESIS II — Christi divinitas non tantum in ultimis sed etiam in primis S. Pauli epistolis supponitur aut affirmatur.

15. Praenotanda. — 1° Primo loco proponitur S. Pauli testimonium quia ejus epistolae, saltem primae, ad Thessalonicenses scilicet, ad Corinthios, ad Galatas et ad Romanos, sunt antiquissimum quod exstet in scriptis documentum de Christo. Admittuntur enim esse scriptae antequam prodirent, qualia saltem exstant, evangelia synoptica. — 2° Distinctio, quae fit earum quae scriptae sunt ante primam ejus Romae capitivitatem, annis ergo 51-58, et earum quae postea scriptae sunt, apta est excludere evolutionem vi cujus S. Paulus paulatim tantum devenerit ad fingendam sibi divinitatem Christi : apparebit enim haud minus manifesta in primis quam in

ultimis. — 3° Non minoris momenti sunt ea quibus dicitur supponi tantum divinitas : in eis enim saepe melius apparet quam familiaris fuerit fidelibus doctrina, ad quam Apostolus possit simpliciter alludere ut conclusiones ex ea ducat.

I. In ultimis epistolis.

16. 1° *Philipp.* 2. 6-8[1]. Christus dicitur « exinanitioni » suae ita « *in forma Dei* » praeexstitisse ut esset « par Deo ». Hæc enim est assertio fundamentalis, unde S. Paulus exhortationem ducit ut fideles, « *hoc sentientes quod et in Christo Jesu* » (v. 5), « *non* [jam] *quae sua sunt singuli, sed quae aliorum considerent* » (v. 4). Significat nempe Christum, « *cum in forma Dei esset* », jure suo potuisse in eo statu manere ubi « esset ex aequo cum Deo »[2] nec proinde se exinanivisse, « *formam servi* » induendo, nisi ex benigna sui abnegatione. Hoc ergo prius est abnegationis exemplum quod Paulus ex eo ducit ; alterum est quod, cum jam habitu inveniretur ut homo, humiliavit seipsum factus obediens.

« *Exinanitio* » proinde intelligitur facta quando « *formam servi accepit* » qui « *in forma Dei* » jam erat. Jamvero illud esse « *in forma Dei* » significat vel importat esse in natura divina. Vox enim « forma » (μορφή), etsi non sumenda est sensu Aristotelico, tamen a lexicologis probatur dicere saltem aliquid enti intime inhaerens et ab eo inseparabile, ita ut naturam ejus vel directe significet vel saltem indirecte arguat, ideoque Patres in genere « *esse in forma Dei* » habuerunt pro esse in natura seu essentia divina, sicut « *formam servi accipere* » habuerunt pro « induere naturam humanam ». Is igitur qui se « *exinanivit* » existebat prius in natura divina.

Eam vero naturam non abjecit ubi se « exinanivit », siquidem exinanitio hic intellegi debet, non evacuatio naturae prius possessae, sed mera depressio infra statum aut conditionem illi naturae jure convenientem. Exinanire enim (κενοῦν ex adjectivo κενός), etsi vi vocis significare possit evacuare, tamen, ex usu etiam S. Pauli (v. gr. *Rom.* 4. 14. ; 1 *Cor.* 1. 17), significat pariter vanum facere, seu pro nihilo computare. Jamvero is est sensus quem contextus hic urget ; nam S. Paulus, cum dicat Christum eam elegisse loco manendi ex aequo

(1) De magno illo christologico textu, cf. PRAT : *op. cit.* I°, 371-380 et 533-537.

(2) Εἶναι ἴσα θεῷ est pro adverbiali dictione εἶναι ἐξ ἴσου, seu ἐν ἴσῳ vel εἰς τὸ ἴσον θεῷ, seu, ut vertit TERTULLIANUS : « pariari Deo » (*c. Marcion.* V. 20).

cum Deo [1], significat eam consistere in hoc quod, qui potuisset pleno jure manere ex aequo cum Deo seu in statu et conditione suae naturae divinae congrua [2], elegit accipere « formam servi » et in similitudinem hominum se habere [3].

Hinc jam in forma: Qui antecedenter ad suam exinanitionem ita fuit in natura divina ut pleno jure esset ex aequo cum Deo, is est proprie Deus. — Atqui ita Christus, siquidem antecedenter ad suam exinanitionem dicitur fuisse in natura divina nec statum aequalitatis cum Deo abjecisse nisi quia voluit. — Ego Christus est proprie Deus, et quidem antecedenter ad suam exinanitionem [4].

(1) Dicit enim eum se exinanivisse quatenus « *non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo* », seu « esse ex aequo cum Deo ». Hoc autem significat Christum pleno suo jure potuisse manere in eo statu quem abjecit. Vox enim « rapina » (ἁρπαγμός), sensu suo passivo, quo cum Patribus graecis admittitur hic usurpari, significat praedam ad quam, quia pleno jure partam aut possessam, quis ita afficitur ut ea se spoliari aut carere omnino non ferat. Christus proinde hoc loco dicitur non ita affectum esse ad statum in quo esset « ex aequo cum Deo » ut illum se abjicere non ferret, sed eum econtra spontanee abjecisse.

(2) Alluditur proinde hoc loco ad « *claritatem* », qua ipse Christus ait se « *clarificatum esse apud Patrem, prius quam mundus esset* (*Joan.* 17. 5).

(3) Sic re vera exinanitionem definit S. Gregorius Nazianzenus: « Κένωσιν λέγω τὴν τῆς δόξης οἷον ὕφεσιν τε καὶ ἐλάττωσιν » (Exinanitionem voco quasi gloriae submissionem et diminutionem. *Or.* 37. 3 PG 36. 285 B).

(4) N. B. Sunt qui exinanitionem nolint intelligere de ipsa incarnatione seu de ea actione qua Filius Dei depressus est ad formam servi (De eis cf. Prat. *op. cit.* I[7] p. 375-376). Rationem dant praesertim quod hujusmodi actio, cum sit ad extra, non possit esse propria Filii, sed communis sit tribus personis, et quod proinde pereat exemplum abnegationis exinde a S. Paulo ductum. Jamvero haec ratio non videtur obstare, nam de illa exinanitione sermo esse debet sicut de ipsius incarnationis efficientia. A tribus utique effecta est at una tantum est exinanita; Pater scilicet et Sp. S. voluerunt exinanitionem Filio, Filius solus eam voluit sibi. Nec perit exemplum abnegationis quatenus exinanitio ita intellecta de voluntate divina jam non dici possit meritoria: alia est enim ratio meriti alia exempli, nec parum moveri solent fideles ipso facto Incarnationis.

Attamen, etiam in eorum interpretatione, manet affirmata divinitas. Admittunt enim exinanitionem esse electionem quam Christus, secundum suam humanam naturam, fecit status abjectionis prae statu gloriae, ad quem jus habebat, cum esset in forma Dei nec usurpationem (sensus activus vocis ἁρπαγμός) arbitraretur se haberi parem Deo. Stat ergo etiam in illa interpretatione S. Paulum agnoscere Christo jus ad statum seu conditionem vitae, quae sit Deo connaturalis, siquidem dicit electionem, quae facta est ab eo, conditionis servilis, processisse ex libera ejus abnegatione ac cessione juris.

17. 2° *Coloss.* 1. 15-17 et 2. 9 — **A)** Dicitur praeexstitisse omni creationi ut a Deo genitus atque fuisse visibilium omnium et invisibilium creator. Prius significatur appellatione πρωτότοκος πάσης κτίσεως : « *Primogenitus omnis creaturae* » (1. 15). Hoc enim intellegi debet non « prima creaturarum » — impia enim illa interpretatio contradiceret eis quae immediate in versiculo sequuntur ; — sed « *genitus ante omnem creationem* », ita ut duo in hac appellatione includantur, nempe et esse Dei genitus et esse ante omnem creationem[1]. Posterius enuntiatur a S. Paulo, dum rationem dat cur primogenitus sit omnis creaturae, « *quoniam* [scilicet] *in ipso condita sunt universa in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates ; omnia per ipsum et in ipso* (εἰς αὐτόν) *creata sunt ; et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant* » (1. 16-17).

B) In ipso dicitur (2. 9) « *inhabitare corporaliter* (σωματικῶς, id est, in carne, incarnata, sicut dicitur *Jo.* 1. 14), *omnis plenitudo divinitatis* » aut potius « *deitatis* » (θεότητος). Quo non tantum asseritur factum praesentiae verae deitatis in carne, sed etiam explicite et ex intento inculcatur integra deitas Christo inesse ; scopus enim epistolae est avertere fideles a cultu cujuslibet alius « *principatus et potestatis* », cui seductores vellent eos subjicere (1. 16-20 et 2. 6-20).

18. 3° *Tit.* 2, 13-14, Christus vocatur magnus Deus et Salvator noster : « *Expectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi* (ἐπιφάνειαν τῆς δόξης τοῦ μεγάλου θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Χ. Ι), *qui dedit semetipsum pro nobis* ».

Hanc enim appellationem referri ad Christum constat : — **A)** Ex inclusione utriusque vocis θεοῦ et σωτῆρος sub uno articulo τοῦ. Si θεός esset Deus Pater et σωτήρ Christus, absentia alterius articuli esset omnino contra leges grammaticae[2]. Articulus enim singularis ubi ante nomina personarum non repetitur, eadem persona nominatur sub variis titulis, ut apparet : — a) pro eodem Christo, apud 2 *Petr.* 1. 1 et 11 ; 2. 20 ; 3. 2 et 18 ; — b) pro Deo Patre, apud *Rom.* 15. 6 ;

(1) Πρωτότοκος τοῦ θεοῦ καὶ πρὸ πάντων κτισμάτων, vertit jam paraphrastice S. Justinus (*Dial.* 100 PG 6. 709).

(2) Cf. MOULTON : *Grammatik of New Testament Greek*. I², p. 84 ; ZORRELL : *Novi Testam. Lexicon graecum*, sub voce ὁ, VIII², p. 383. - WENDLAND (*art.* Σωτήρ in *Zeitschr. f. neutest. Wiss.*, 1904, p. 353, note 2) denunciat errorem exegeticum, quo multi duas illas appellationes volunt disjungi.

2 *Cor.* 1. 3 ; *Eph.* 1. 3 ; *Philipp.* 4. 20 ; 1 *Thess.* 1. 3 ; 3. 11 et 13 ; *Jacob.* 1. 27 [1]. — **B)** Ex subjecta materia, nam is vocatur « *magnus Deus* », cujus christiani viventes in hoc saeculo dicuntur « *expectare... adventum gloriae* » seu gloriosum. Jamvero non Deus Pater, sed Christus est, cujus « *adventus* » seu manifestatio illa gloriosa expectatur a christianis : constat enim per multa loca parallela haec non dici unquam de Deo Patre sed semper de ipso Christo : 1 *Cor.* 1.7-8 ; *Philipp.* 1. 6 et 3. 20 ; 1 *Tim.* 6. 14 et cf. 2 *Tim.* 4. 1 etc.

19. 4° *Hebr.* 1, ubi thetice demonstratur praecellentia Christi prae angelis, Christus dicitur — **A)** non tantum esse « *splendor gloriae* » Dei « *et figura substantiae ejus* » (v. 3), quo jam supponitur participare naturam divinam, siquidem intelligi debet vivi Dei vivus fulgor vivaque imago in qua divina substantia exprimatur ; — **B)** sed etiam esse « *per quem* [Deus] *fecit et secula* » (v. 3), quo affirmatur et ejus ante sæcula praeexistentia et ejus in creatione participatio [2]. — **C)** Idem dicitur « *portare omnia verbo virtutis suae* » (v. 3) seu conservare quae fecit. — **D)** Dicitur tandem esse Deus aeternus, qui in principio creavit cœlum et terram. De eo enim (v. 10-12) asseruntur dicta ea quae de Domino habet *psalmus* 101. 26-28 ; « *Tu in principio, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt cœli.... et velut amictum mutabis eos et mutabuntur ; tu autem idem ipse es et anni tui non deficient* ».

II. In primis etiam epistolis.

20. 1° **De Christo dicuntur quae de solo Deo** dicuntur vel dici possunt, v. gr. :

A) Jam in epistolis ad Thessalonicenses, Christus connumeratur Deo Patri tanquam *in quo* sit Ecclesia (1 *Thess.* 1. 1 et 2 *Thess.* 1. 1). Idem illi ac Deo Patri tribuitur influxus in perficiendo opere salutari : uterque enim rogatur simul « *dirigere viam* » Apostoli (1 *Thess.* 3. 11)

(1) Nec obstant loca in quibus, non jam unus Christus, sed Deus Pater et Christus dicuntur respective Deus et Salvator, v. gr. *Tit.* 1. 4 ; 1 *Tim.* 1. 1 et 2 ; 2 *Tim.* 1. 2. Ibi enim vel Deus dicitur et Pater, vel ita juxtaponuntur voces ut distinctio personarum sit manifesta. Hic autem non ita.

(2) Nec per praepositionem διά, etsi insinuatur aliqua ejus a Deo Patre, etiam qua creator est, dependentia, significatur esse merum instrumentum. Etiam enim de Deo Patre dicitur : « *Per quem* (δι' οὗ) *omnia* » (*Hebr.* 2. 10).

et « *confirmare* » fideles « *in omni opere et sermone bono* » (2 *Thess.* 2. 16-17). Ipsius in specie esse supponitur, — cum tamen solius Dei sit « *dare incrementum* » —, « *multiplicare* » fideles, « *et abundare facere charitatem in invicem et in omnes,.... ad confirmanda corda... in sanctitate* » ante Deum Patrem et in ordine ad supremum Domini nostri adventum (1 *Thess.* 3. 12-13).

B) S. Paulus, qui respuit apostolatum « *ab hominibus vel per hominem* », se profitetur apostolum « *per Jesum Christum et Deum Patrem* » (*Gal.* 1. 1). — « *Gratia* », quae roganti promittitur « *sufficiens* » contra « *angelum satanae* », est ejus, Domini scilicet (2 *Cor.* 12. 8-9), et cf. passim quomodo gratia in genere dicatur « *gratia Domini n. J. C.* »

C) Christianis Christus est « *vita* », qua illi jam vivunt, et eis « *inhabitat* » ut principium vitae novae (*Gal.* 2. 20). Baptismo enim « *Christum induunt* » (*Gal.* 3. 27), ita ut Christus in eis sit (2 *Cor.* 13. 5 ; *Rom.* 8. 10) et ipsi sint « *in Christo Jesu* » [1]. Jamvero hujusmodi inhaesio mutua non intelligitur inter meros homines, et revera eadem non affirmatur de christianis nisi ad Spiritum Sanctum, quem esse Deum nemo dubitat [2]. Jure ergo concluditur hujusmodi influxum intimum ac spiritualem non posse competere Christo nisi sit et ipse vere Deus.

21. 2° **Nomen** κύριος, quae graeca vox est pro Judaeorum vocibus « Adonaï et « Iahve », **fit Christi proprium** (1 *Cor.* 8. 6) et sensu quidem ita absoluto ut, quod Iahveh erat Judaeis, hoc ὁ Κύριος Ἰ. Χ. sit christianis.

A) Κύριος apud S. Paulum, praeter loca, ubi Veteris Testamenti dicta recitantur, non jam de Deo Patre sed de solo Christo dicitur : 44^ies^ sensu relativo : donimus noster (ὁ κύριος ἡμῶν Ἰ. Χ) ; 42^ies^ sensu absoluto : Dominus J. C. vel Dominus J. ; imo ita proprium est monem Christi ut, etiam sine articulo, ei applicetur, v. gr. *Rom.* 14. 6 ; 1 *Cor.* 7. 22 ; (Cf. *Eph.* 8. 8 ; *Philipp.* 2. 11).

(1) Hoc assertum, quod dicitur occurrere in 164 locis, haud aliter intellegi debet ac illa Christo tanquam viti verae inhaesio, de qua apud S. Joannen (15. 2 et 4-7) : adimpletur nempe quod suis Christus adeo rogaverat, ita esse in eis ut ipsi sint in eo (*Joan.* 14. 20 ; 16. 33).

(2) De formula « in Christo Jesu », cf. Prat. II^6^ 359 et 476, ubi dicit eam saepe aequivalere formulae « *in Spiritu* », quin tamen ullo modo identificetur Christus ac Spiritus Sanctus.

B) Ὁ Κύριος est hoc sensu quod illi, qua tali, ea competunt quae proprie divina sunt, v. gr. : « *per eum omnia* » facta sunt (1 *Cor.* 8. 6) ; — ab eo omnia disponuntur, ita ut etiam infirmitates et calamitates naturales sint « *correptiones* », quibus interim « *suos judicat ne cum hoc mundo damnentur* » (1 *Cor.* 11.29-32) ; — ejus ita « *sumus omnes* » ut ei « *stemus* », « *ei vivamus, ei moriamur* », ei, tanquam « *Deo, unusquisque nostrum sit rationem redditurus* (*Rom.* 14. 6-12 et cf. 1 *Cor.* 4. 4-5 ; 2 *Cor.* 5. 10).

C) Quod erat Judaeis « *invocare momen Domini* (v. gr. 3 *Reg.* 18. 24. 26 ; 4 *Reg.* 5. 11 ; *Joel.* 2. 32), actus scilicet specificus suae solius verae religionis, hoc christianis est « *invocare nomen Domini Jesu* Christi, » nempe : — a) hoc signo specificantur : sunt « *ii qui invocant* hoc nomen » (*Act.* 9. 14-21 ; 1 *Cor.* 1. 2) ; — b) per hoc nomen obtestantur, obsecrant, sicut Judaei « *per nomen,* in *nomine Domini,* v. gr. 1 *Thess.* 4. 1 ; 2 *Thess.* 2. 1 ; 3. 16 : 1 *Cor.* 1. 10 ; — sicut scriptum erat de Deo apud Joël (2. 32) : « *Quicumque invocaverit nomen Jahve salvus erit* », ita jam « *si confitearis in ore tuo Dominum Jesum... salvus eris* » (*Rom.* 10. 9. 13). — d) Haec est enim summa praedicationis apostolicae et quasi tessera professionis fidei, quod Christus sit Κύριος, v. gr. « *Non nosmetipsos praedicamus, sed Jesum Christum* Dominum » (2 *Cor.* 4. 5). « *Quod si confitearis in ore tuo* Dominum *Jesum... salvus eris...* (*Rom.* 10. 9 et Cf. dicta ipsi S. Paulo : « *Crede in* Dominum *Jesum et salvus eris... Ablue peccata tua, invocato nomine* ejus » *Act.* 16, 31 et 22, 16). Et, re vera, « *nemo potest dicere* ΚΥΡΙΟΣ ΙΗΣΟΥΣ *nisi in Spiritu Sancto* » 1 *Cor.* 12. 3) ; nam, ut dicetur *Philipp.* 2. 10-11, ex exaltatione sua habet Christus ut « *omnis lingua confiteatur, ad gloriam Patris,* » ὅτι ΚΥΡΙΟΣ ΙΗΣΟΥΣ ΧΡΙΣΤΟΣ, « *Jesum Christum esse Dominum* ».

22. 3° **Supponitur praeexstitisse missioni suae in mundum.** Nam :

A) « *Per eum omnia facta sunt* » (1 *Cor.* 8. 6)

B) « *Filius Dei* » jam erat quando, adveniente plenitudine temporis, missus est ut « *factus ex muliere, factus sub lege, eos qui sub lege erant redimeret* » (*Gal.* 4. 4-5). Etenim : — **a)** Missus missioni suae praeexistere solet, et hoc secum fert vox στέλλειν, cui forte simpliciter aequivalet hoc loco vox adhibita a S. Paulo. Attamen ea vox, ἐξαπέστειλεν, se ipsa plus adhuc dicit : insinuat nempe missionem esse *ex* et *ab*, proindeque sensus obvius, attenta sole voce, est : misit ex sese et a cœlo ; quod praeexistentiam sane supponit apud Deum

ipsum. — **b)** Versiculo sequenti (6), adhibita eadem voce ἐξαπέστειλεν, Deus pariter dicitur « *misisse Spiritum Filii sui* ». Jamvero hoc loco missus manifeste praeexstitit missioni suae : ergo etiam ubi agitur de missione Filii. — **c)** Additio « *factum ex nuliere* » supponit illam ejus praeexistentiam non fuisse meri hominis sed Filii Dei naturalis, ut melius infra dicetur, agendo de illa appellatione.

C) Quando « *propter nos egenus factus est* », statum assumpsit in quo non erat « *cum erat dives* » (2 *Cor.* 8. 9). Mutationem porro illam intellegendam esse de assumptione carnis constat tum ex impossibilitate assignandi in ejus existentia terrena tempus quo fuerit dives, tum ex parallelismo hujus loci cum aliis, in specie cum *Philipp.* 2. 7-8, de quo supra, et cum *Rom.* 8. 3. Quando enim mittitur a Patre « *in similitudinem carnis peccati* », mittitur, non ut incipiat esse, sed ut habeat unde possit « *damnare peccatum in carne* ». [1]

23. 4° Dicitur explicite Deus :

A) Ubi dicitur « filius Dei » naturalis : de quo infra, thes. 4.

B) *Act.* 20. 28, ubi is qui « *Ecclesiam acquisivit sanguine suo* » vocatur Deus. Haec enim est assertio explicita, non scribentis quidem, sed alloquentis Mileti presbyteros Ephesiorum Ecclesiae. Nec textus est dubius [2] aut sensus aequivocus. « *Deus* » enim, « *qui Ecclesiam acquisivit sanguine suo* », nequit intellegi nec Deus Pater, etsi illius etiam dici possit Ecclesia, — nec Spiritus Sanctus, qui ibidem dicitur « *posuisse episcopos regere eamdem Ecclesiam* ». Restat ergo eum esse qui, etsi « *communicans carni et sanguini* », *dicitur Filius Dei.*

C) *Rom.* 9. 5, ubi Christus, qui, « *secundum carnem est ex Judaeis* », dicitur, non quidem esse Deus super omnia (ὁ ἐπὶ πάντων θεός) sed esse, « *super omnia, Deus benedictus in saecula* ».

Hanc enim relativam sententiam, « *qui est* (ὁ ὤν), *super omnia, Deus benedictus in saecula* », esse non doxologiam in honorem Dei Patris, sed appositionem, qua Christus ipse praedicetur « *Deus benedictus in saecula* », constat :

a) Ex parallelismo hujus loci cum aliis jam relatis, ubi Christus explicite dicitur vel supponitur Deus. Hinc enim excluditur praejudicium, ex quo Christus nequeat admitti vocatus a S. Paulo Deus.

(1) Non obstat quod in textu graeco dicatur missus « *in similitudine* » (ἐν ὁμοιώματι). quasi mittatur jam indutus carne simili carni peccatorum, nam in Nov. Test. praepositio ἐν poni solet pro εἰς, v. gr. *Lc.* 9. 46 ; *Jo.* 5. 4.

(2) Prat. note H. 2, II[6], p. 513-514 cf. p. 141.

b) Ex interpretatione unanimi Patrum, qui contra Monarchianos et Arianos hunc textum invocant ut quo demonstretur invicte vera Christi, a Patre distincti, divinitas, quin unquam eis objiciatur sermonem ibi esse de Deo Patre [1].

c) Ex obvio sensu textus, nam : z) Relativa sententia, in qua subjectum est « *qui* » (graece ὁ ὤν), refertur grammaticaliter ad Christum. — y) Constructio grammaticalis, juxta quam ibi agnoscenda esset, non sententia ad Christum relativa, sed sententia optativa, cujus, subaudito verbo « sit » aut « esto », subjectum esset Deus et praedicatum « benedictus », inaudita est in lingua graeca. Tunc enim subjectum Θεός qualificaretur praepositiva expressione ὢν ἐπὶ πάντων. Jamvero expressio hujusmodi, ubi inseritur inter articulum ὁ et substantivum determinatum (Θεός), nunquam admittit ut qualificativi partem participium (ὤν) : dici nempe potest ὁ ἐπὶ πάντων Θεός vel ὁ Θεὸς ὁ ἐπὶ πάντων, id est, Deus qui est super omnia, vel ἐπὶ πάντων ὁ Θεός, id est, super omnia [est] Deus ; at excluditur dici ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεός per modum unius subjecti. — x) Si doxologia haec esset in honorem Dei Patris, inciperet absolute a vocibus sive ὁ ὤν sive Θεός. Jamvero inauditum est apud S. Paulum doxologiam unquam ita incipere absolute ; semper connectitur cum praecedentibus, v. gr. ὅς ἐστιν (*Rom.* 1. 25) ; ὁ ὤν (2 *Cor.* 11. 31) ; ᾧ (*Gal.* 1. 5 ; 2 *Tim.* 4. 18 ; *Hebr.* 13. 21) ; αὐτῷ (*Rom.* 11. 36) ; *Eph.* 3. 21) ; τῷ δὲ Θεῷ (*Philipp.* 4. 21 ; *Tim.* 1. 17). — v) Praeterea in hujusmodi doxologiis, ubi subauditur verbum optativum « *sit* » aut « esto », vox « benedictus » (εὐλογητός), quae tunc est praedicatum subjecti, nunquam postponitur sed semper praeponitur subjecto, ut constat per multa exempla tum Veteris, tum Novi Testamenti (v. gr. *Matth.* 23. 39 ; *Marc.* 11. 9 ; *Luc.* 1. 68 ; 13. 35 ; 19, 38 ; *Eph.* 1. 3), tum inscriptionum semiticarum, quin ulla cognoscatur exceptio [2]. Ergo vox « benedictus » non est praedicatum substantivi « Deus » sed epitheton ejus qualificativum.

d) Ex consonantia cum contextu, nam appositio vocum « *secundum carnem* » (τὸ κατὰ σάρκα), quibus Christus declaratur esse ex Judaeis, non intellegitur nisi jam suggerat eum, secundum quid aliud, non esse ex Judaeis : de eo enim qui simpliciter et secundum se totum sit ex Judaeis determinatio ejusmodi redundaret. Econtra, cum tota pericopa sit de exaltanda gente Judaïca, ex qua est Christus, optime intellegitur de Christo

(1) Cf. DURAND in *Rev. bibl.* 1903 p. 550-570.

(2) Cf. praeter PRAT, LAGRANGE, LEBRETON *in h. l.* ; LÉVESQUE in *Rev. prat. d'Apologét.* février 1919 p. 534.

addi id quod eum quam maxime extollit et per modum coronidis est privilegiorum atque gloriae Judaeis a Deo concessae.

24. OBJICITUR. 1° **Appellationem Θεός reservari Patri,** ut constat ex 1 *Cor.* 8. 6 et 12. 4-6. — RESP. : A) Quoad 1 *Cor.* 8. 6 : Non magis excluditur Filius ab appellatione Θεός quam Pater ab appellatione Κύριος[1]. Scopus S. Pauli hoc loco est tantum dicere nomina illa « Deus » et « Dominus », quibus apud gentes designari solent tam multi qui dicuntur aut putantur dii, non competere proprie, ex mente christianorum, nisi Deo Patri et Christo, quippe qui soli sint vere Deus et Dominus[2]. — B) Quoad 1 *Cor.* 12. 4-6, sufficit notare eam, quae fit ibi, appropriationem Deo, Domino, Spiritui, non esse ita fixam ut attributiones permutari nequeant. Cf. v. gr. hoc loco *v.* 6 cum *v.* 11 ; 1 *Cor.* 7. 17, ubi modo ὁ κύριος, modo ὁ θεός dicitur « *dividere* » ; item 1 *Cor.* 3. 5 : « *unicuique sicut Dominus dedit* » et 10 : « *Secundum gratiam DEI, quae data est mihi* ». — C) Tandem additio « *per quem omnia* » significat Christum Κύριον intellegi vere Deum.

2° **Doxologias,** qualis est *Rom.* 9. 5, **reservari** in Scriptura **soli Deo Patri.** — RESP. Jam dictum est non esse ibi doxologiam, sed assertionem directam relativam. Sed etiam ad Christum sunt doxologiae : 2 *Tim.* 4. 18, ubi, ex coll. cum 8 et 22, constat agi de Christo ; 2 *Petr.* 3. 18 ; Apoc. 1. 6 ; item, juxta quosdam, 2 *Thess.* 1. 12 et *Philipp.* 2. 11.

25. SCHOLION : **De vi ac momento testimonii S. Pauli.**

Ut recte perpendatur quanti momenti sit hoc testimonium de divinitate Christi, sedulo advertendum est :

1. Quam firmum sit et quam brevi post Ascensionem proferatur[3].

2. Eam doctrinam non esse illi propriam sed toti Ecclesiae communem, siquidem : — A) Nunquam ab ullo, sua aetate, in controver-

(1) « Ἕνα Θεὸν τὸν Πατέρα ἐκάλεσεν, οὐκ ἐκβάλλων τὸν Υἱὸν τῆς Θεότητος, ὥσπερ καὶ ἕνα Κύριον τὸν Υἱόν, οὐκ ἐκβάλλων τῆς κυριότητος τὸν Πατέρα » (CHRYSOST. : *De incomprehensibili* V. 3 PG 48. 740 ; cf. idem in 1 *Cor. hom.* XX. 3 PG 61. 164).

(2) Recte addit CHRYSOSTOMUS (*loc. cit.*) et TERTULLIANUS (*adv. Prax.* 13) Paulum ideo forte, cum « pariter nominandi essent Pater et Filius, Deum Patrem appellasse et Jesum Christum Dominum appellasse », ne gentilibus loquens videretur et ipse polytheista, si « deos ac dominos » diceret. — Melius PRAT : « S'il n'est pas appelé Dieu sans épithète, c'est que Dieu, dans la langue de Paul, désigne la personne du Père et qu'une identité personnelle entre le Père et le Fils est contradictoire » (II[6], p. 156).

(3) Cf. PRAT II[6], *livre* 2, *ch.* 1.

siam ducta est. Quos enim habuit adversarios inter evangelii praecones, ii numquam impugnaverunt doctrinam ejus de Christi persona ac natura [1] — B) Eam supponit fidelibus ita cognitam ut, quin thetice eam proponat, possit ad eam alludere ex eaque conclusiones ducere. Romanis imo potest eam in memoriam revocare, quos nondum novit, quorum tamen laetatur fidem annuntiari in universo mundo. — C) Eamdem coaevi ejus omnino supponunt : v. gr. — praeter Synopticos et S. Joannem, de quibus infra — S. Stephanus « *Domino Jesu* » tradit spiritum suum, et illum rogat (Κύριε) ne « *statuat illis hoc peccatum* » (*Act.* 7, 59-60). S. Petrus (2 *Petr.* 1. 1) loquitur, sicut et *Tit.* 2. 13, de « *Deo nostro et Salvatore Jesu Christo* » ; eum vocat « *Dominum* » (2 *Petr.* 1. 11 ; 2. 20 ; 3. 2 et 18). S. Judas, in sua epistola, v. 4 et 8, denunciat ut impios et κυριότητος contemptores eos qui « *solum dominatorem et Dominum nostrum Jesum Christum negant* » (Cf. 2 *Petr.* 2. 10).

26. Dices 1° : Attamen S. Petrus, in sua prima ad Judaeos oratione (*Act.* 2. 22-24 et 36), non vocat Jesum nisi « *virum approbatum a Deo* », quem « *e mortuis suscitatum Deus fecit Dominum et Christum* ».

Respondeo. A) Verum est S. Petrum ibi non prosequi nisi scopum apologeticum statuendi Judaeis Jesum crucifixum a Deo ipso demonstratum esse ut « Dominum » « et Christum ». Ea vero omnia quae dicit omnino vera sunt de Jesu homine, quem resuscitando Deus in regno simul et in gloria constituit, nec incompossibilia cum fide de ejus divinitate. Haud minus v. gr. S. Paulus, etiam in eis locis ubi explicite affirmat antecedentem ejus divinitatem, asserit eum non accepisse a Deo supremam dominationem nisi post suam exaltationem a morte (*Philipp.* 2. 8-11), non esse « constitutum » aut « demonstratum filium Dei » nisi « *ex resurrectione mortuorum* », etsi tamen « Filius Dei » erat antequam « *fieret ex semine David secundum carnem* » (*Rom.* 1. 3-4).

B) S. Petrus ergo hoc loco dicit Jesum, post resurrectionem, constitutum esse Dominum et Christum hoc sensu quod tunc demonstratus

(1) « Si les judaïsants, qui furent les adversaires acharnés de Saint Paul, n'ont élevé aucune objection contre sa christologie, c'est à coup sûr parce que, sur ce point, ils ne pouvaient pas trouver près des anciens apôtres cette apparence, cette ombre d'appui, dont ils se prévalaient dans la question des observances légales. Ce fait a une importance énorme. Le Christ céleste de Paul était donc aussi le Christ de ceux qui avaient vécu et conversé avec Jésus de Nazareth ». (J. G. Machen : *The origin of Paul's Religion* (New-York 1921), p. 135, ut citatur a Lebreton in RSR, 1922, p. 245-246).

est esse Dominus de quo *ps.* 109. 1, seu quod tunc inceperit exercere dominationem et imperium suum. At non dicit illum non habuisse antecedenter jus ad illud ex sua dignitate et natura [1].

C) Imo dicta a S. Petro hic et in aliis suis orationibus ostendunt eum de Christo multo diviniora cogitasse : v. gr. vocat eum « *auctorem vitae* » (*Act.* 3. 15,) « *omnium dominum* » (10. 36) ; in hac sua prima oratione dicit eum « *effudisse* » in apostolos Spiritum Sanctum (*Act.* 2. 33). Jamvero Spiritum Sanctum « *effundere* » nequit nisi qui sit et ipse Deus.

27. Dices 2° nimiam a nobis vim fieri in appellationibus « Dominus » aut « Deus » Christo datis, cum, ex usu orientali apud Graeco-Romanos inducto, reges solerent cultu divino coli ac Deus aut dominus vocari. Per hoc enim quidam putant rationem dari sufficientem cur tam facile christiani Christum Deum ac Dominum appellaverint.

Respondeo. A) Verum est regibus antiquitus in Oriente et imperatoribus postea in imperio romano cultum et honores datos esse divinos : imo ea fuit aliquando sola communis in orbe romano religio. Constat etiam per multa exempla, praesertim in inscriptionibus, reges, praefectos, benefactores civitatum et provinciarum facile appellatos esse deos. Domitianus imo dicitur a Suetonio (*Domit.* XIII) suis formalibus epistulis hanc praemisisse inscriptionem : « *Dominus ac deus noster hoc fieri jubet* ». Quae appellatio de imperatoribus dicitur facta esse solemnis inde ab Aureliano aut saltem a Diocletiano [2].

B) At, in doctrina de Deo ac de summo ejus dominio, tanta est ethnicorum et christianorum oppositio ut appellationum illarum origo omnino nequeat admitti apud illos communis et ejusdem rationis :

a) Appellatio « Dominus » apud christianos manifeste derivatur ex usu biblico. Judaei enim sunt qui primi illam de Christo usurpant : v. gr. S. Paulus ; S. Petrus (*Act.* 2. 36) ; S. Stephanus (*Act.* 7. 59-60) ; imo Christus ipse, ubi se insinuat in *ps.* 109 vocatum esse a David « *dominum* » (*Marc.* 12. 35-37 et *parall.*) Hoc enim solo dicto ratio

(1) Hinc in forma : « fecit illum Dominum » hoc sensu quod *ex tunc* incepit apparere Dominus, *concedo ;* quasi non fuerit Dominus nisi ex tunc nec antea ex sua dignitate jus habuerit ad hunc honorem, *subdist :* et hoc loco jus hujusmodi non adseritur ei adfuisse, *conc. ;* excluditur ei adfuisse, *nego.*

(2) Cf. Lebreton : *Les Origines du dogme de la Trinité* p. 9-16 et Prat. II[6] p. 133 et 149-149).

daretur sufficiens hujusmodi appellationis, et exinde omnis alia derivatio, quae detur ut sola et adaequata, deprehendatur esse inutilis, gratuita et falsa [1].

b) Judaei et christiani quantopere abhorruerint ab illa regum deificatione et religioso cultu, testatur tum Machabacorum tum christianorum primorum historia : martyres fuere tam multi propter detrectatum illum imperatorum cultum.

c) Quae ergo intelleguntur invaluisse facile hominum deificationes ac divinae appellationes apud gentes, ubi tam multi erant sive in cœlo sive in terra dii ac domini (1 *Cor.* 8. 5), easdem omnino repugnat inductas esse apud christianos, quibus dogma primum ab initio fuit unicum esse Deum ac Dominum, praeter quem nullus vere sit.

Jure ergo concluditur Christum a christianis ideo tantum esse dictum et creditum Dominum atque Deum, quia ipse significaverat eam sibi competere cum Iahve aequalitatem ac unitatem, quae fidem non laederet in unum Deum ac Dominum.

§ II TESTIMONIUM SYNOPTICORUM

28. I. **Connexio cum praecedenti.** — Sicut per S. Paulum constat quid Ecclesia ab initio de Christo senserit, ita per Synopticos quid Christus de se sentiri voluerit. Haec duo proinde testimonia se mutuo complent et illustrant. Prius excludit in specie praejudicia multorum contra historicitatem dictorum Christi, quae leguntur apud Synopticos magis alta ac divinitatem magis sapientia. Haec enim sunt quasi praesuppositum necessarium doctrinae illius de Christo, quae in praedicatione jam apostolica apparet adeo firma adeoque communis. Si non legerentur in evangeliis, concluderentur ex epistolis S. Pauli. Fidei enim hujusmodi apud homines monotheismo judaïco adeo addictos ratio dari nequit nisi persuasio ex ipso Christo hausta de illius divinitate. Mirum igitur jam non est illum ea egisse et dixisse, quae persuasionem hujusmodi mentibus insererent ; sed econtra mirum et inexplicabile esset discipulos illos tam alta de magistro sensisse, qui nihil hujusmodi de se significasset.

(1) Ea est conclusio, quam contra Bousset (*Kyrios Christos*) firmiter statuit tum J. G. Machen, *loc. cit.*, tum L. Cerfaux : *Le titre Kyrios et la dignité royale de Jésus*, in *Rev. des q. philos. et théol.*, 1923, p. 153.

II. **Modus procedendi.** — Ei qui velit per Synopticos determinare quid Christus de se sentiri voluerit consideranda sane sunt singula ejus verba, at ratio praesertim habenda est tum complexivae illius notionis, quam de se curavit ingerere, tum illius in specie filiationis ad Deum, quam manifestavit esse sibi adeo singularem ut ex ea voluerit esse sibi nomen proprium ac personale.

Duae propterea astruuntur theses, quarum una ostendet quo modo Christus paulatim suam insinuaverit divinitatem, altera vero sensum aperiet ac vim appellationis « Filii Dei » [1].

I

THESIS III — Etiam apud Synopticos, multa referuntur Christi dicta vel acta, quae arguunt ejus divinitatem.

29. Praenotanda. 1° Occurritur in hac thesi opinioni acatholicorum, qui tenent Christum, qualis inducitur apud Synopticos, non se habuisse ut Deum, ideoque assertiones suae divinitatis, sicubi occurrant, volunt praejudicari destitutas omni valore historico.

2° Dicta vel acta Christi, quae hic considerantur, etsi divinitatem ejus dicuntur tantummodo « arguere », tamen ad illam statuendam vim et momentum habent haud parvum. Per ea enim constat non tantum quam de se notionem Christus voluerit auditoribus ingerere, sed etiam quanta prudentia eos deduxerit ad illam admittendam.

Quam ejus agendi rationem ut recte perpendas, duo tibi sunt prae oculis habenda. — A) Non expediebat ut Deum se ab initio verbis explicitis proclamaret, sed ita caute ut bene dispositi facile intelligerent, ceteri ab initio non alienarentur : « Si enim statim dixisset : Auditis quia dictum est antiquis : Ego Dominus Deus tuus et praeter me non est alius ; ego autem dico vobis, ut me adoretis sicut et illum, id effecisset ut omnes illum quasi furentem habuissent » (Chrysost. *in Matth. hom.* XVII. 1. PG 57. 255). — B) Cum Christus de se sublimia loquitur, ea nunquam sunt extenuanda sed plerumque potius amplificanda. « Is enim qui, ad docendum humilitatem, abjecta sibi non competentia saepe dixit, multo magis, si creatus fuisset, id non prætermissurus erat... Qui enim tam humilia sese demit-

(1) De his cf. Lebreton : *La révélation du Fils de Dieu* in *Études religieuses* mars 1908, p. 322 sqq ; *Les origines du dogme de la Trinité*, l. III, ch. I. — Lagrange : *Évangile selon saint Marc : Introduction*, p. CXXIX-CXL. — de Grandmaison : apud DAFC, art. *Jésus-Christ*, n. 93 sqq.

tendo loquitur, multo minus id tacuisset » (IDEM. *in Joan. hom.* III. 4 PG 59. 43-42) [1].

30. Probatur, complendo et perficiendo demonstrationem in alio tractatu jam factam de divina ejus legatione. Hic jam ostenditur qualem se legatum exhibuerit, transcendentem scilicet, qui non esset merus Dei legatus sed religionis ac oeconomiae religiosae a se instaurandae objectum proprium.

1° **Legatus est transcendens.** Se extollit enim supra omnem creaturam : major est quam Salomon (*Matth.* 12. 42), quam templum (*Matth.* 12. 6) ; superior est Joanni, qui transcendit non tantum omnes prophetas sed etiam omnes « *natos mulierum* » (*Matth.* 11. 7-12) ; se dicit esse eum cujus ante faciem venit angelus, quem (*Mal.* 3. 1) Dominus ipse praedixit esse ante se venturum (*Matth.* 11. 10) ; est supra angelos, qui parabunt viam ei venienti in nubibus coeli (*Matth.* 24. 30-31), quorum legiones, si vellet, ei assisterent (*Id.* 26. 53).

2° **Non est merus Dei legatus.** Nam alii legati quotquot antea vel postea exstiterunt — Moyses, prophetae in genere, S. Joannes Baptista, apostoli — non loquuntur nisi in nomine Dei, nec miracula edunt nisi virtute aliena, Dei scilicet a quo mittuntur ; Christus autem « *docet tanquam potestatem habens* » (*Marc.* 1. 22), nomine suo (« *Ego autem dico vobis* ») ; in edendis miraculis seipso agit, nam « *virtus de illo exibat et sanabat omnes* » (*Luc.* 6. 19) et ad nutum ejus leprosi, mundantur (« *Volo, mundare* ». *Mtt.* 8. 3), « *mare obmutescit* » (*Marc.* 4. 39), « *adolescens mortuus surgit* » (*Luc.* 7. 14).

Imo, qui vetat discipulos vocari « *rabbi* » aut « magistros », is se dicit ipse « magistrum » (*Math.*, 23. 8-10) et solet appellari « *magister* » (*Marc.*, 14. 14 et parall. ; cf. *Jo.* 13. 13) ; magister praeterea est cujus doctrina et verba non transibunt (*Marc.* 13. 31 et *parall.*) Tandem et praesertim, in interrogatione de « *filio David* », insinuat se esse « *dominum David* », quem ipse Jahve sedere faciat a dextris suis (*Marc.* 12. 35-37 et *parall.*) : quo solo, ita se Deo juxtaponit ut Judaeos inducat ad suspicandam divinitatem, quam sibi vindicet.

(1) « On ne comprendra jamais rien à l'Evangile, si l'on ne s'efforce d'abord de pénétrer dans les profondeurs de l'humilité de Jésus. De ce point seulement on peut entrevoir pourquoi Jésus ne s'est pas glorifié lui-même. Sauf les circonstances plus graves où il a rendu hommage à la vérité, il a préféré se nommer Fils de l'homme tandis que ses disciples ont reconnu en lui le Fils de Dieu » (R. P. LAGRANGE : *Evangile selon saint Marc. Introd.* p. CXL).

N. B. Pauca illa acta vel dicta ejus, quae contra facere videntur, exponentur post sequentem thesim.

31. 3° **Se ipse significat esse objectum religionis a se promulgandae.** Totam enim oeconomiam religiosam ita disponit ut ea omnia, *quae in veteri T° Deo propria erant, ipse ea etiam sibi ascribat*, v. gr.:

a) dominus est sabbati (*Marc.* 3. 27)

b) legem ipse perficit (*Matth.* 5. 18-48).

c) in nomine ejus « *dæmonia subjiciuntur* » discipulis et ipse dat virtutem quælibet miracula patrandi (*Luc.* 10. 17-19)

d) ipse suum jugum imponit et ipse requiem animabus promittit (*Matth.* 11. 28-29)

e) propter eum omnia sunt abjicienda (*Luc.* 14. 26 sqq.) et qui non eum amat prae patre et matre non est eo dignus (*Matth.* 10. 34-40), quasi sit et ipse « ex toto corde amandus », — et econtra sufficit tollere jugum ejus ut inveniatur animabus requies (*Matth.* 11. 29).

f) beatos dicit eos, qui persecutionem patiantur propter ipsum, sicut et alios omnes qui sectantur justitiam (*Matth.* 5.11. *Cf. Luc.* 6.22).

g) peccata ipse dimittit, et quidem eo modo ut scribae intellegant eum suo proprio nomine facere id quod Dei solius est (*Mc.* 2. 1-12). Nec enim ipse ullo verbo significat se non agere nisi vi potestatis delegatae [1], nec Judaei ii erant qui scandalum paterentur, si quis propheta, sicut Mathan ad David (2 *Reg.* 12. 13), significaret tantummodo peccata alicui dímissa esse ab ipso Deo.

Quam potestatem dimittendi peccata nomine proprio confirmat ubi, sicut in *Oratione dominica* peccatores vocat *Deo debitores*, ita peccatricem inducit ut *sibi debitricem* (*Lc.* 7. 41-47) : cui enim ipse peccata dimittit, quia ipse multum dilectus est, eam comparat debitori cui multum sit a fœnatore donatum.

h) in ultimo judicio ratio dicitur habenda tantum eorum quae fuerint illi praestita vel denegata (*Mtt.* 25. 35 sqq.), quod conferas cum *Marc.* 9. 41. *Mtt.* 10. 40-42 ; 18. 5 ; *Lc.* 10. 16 ; *Jo.* 12. 44-45 et 13-29.

(1) N. B. enim Christum, cognita scribarum admiratione, non tantum non negasse Dei solius esse peccata dimittere, sed etiam miraculo ostendisse se non esse vane locutum nec proinde sibi assumpsisse quod suum non esset. — Hinc jure arguas : Qui miraculo probat se non vane loqui ubi quid proprie divini sibi assumpsit, is sibi vindicat aliquid proprie divini. Atqui ita Christus hoc loco. Ego Christus hoc loco vere sibi vindicat aliquid proprie divini.

32. Uno verbo, non tantum omnia disponit tanquam « AUCTORITATEM HABENS » et divinam quidem atque vere suam, sed etiam ipse novae œconomiae religiosae se facit et objectum et centrum et finem.

Quae omnia, cum procedant ab eo qui Deum tantopere praedicat esse unicum et omni creaturae adorandum atque amandum, intellegi nequeunt nisi ipse se fecerit Deo aequalem aut potius se significare voluerit esse « in domo Dei », non ut merum « famulum », sed ut vere « filium » (*Hebr.* 3. 5-6).

II

THESIS IV — In specie vero, teste tum apostolorum et evangelistarum fide, tum ipsa narratione evangelica, ipse se significavit esse Filium Dei naturalem.

33. Praenotanda. 1° Quod in thesi praecedenti concludebatur esse a Christo insinuatum, id nunc asseritur esse ab eodem aperte manifestatum, se nempe esse Filium Dei naturalem, seu vere Deum. Duae proinde theses ita inter se connectuntur ut se mutuo compleant et illustrent. Haec tamen tanti momenti est ut seipsa sufficiat ad demonstrandam Christi divinitatem. Neque adversarii dissentiunt, ideoque absolute negant ab ipso Christo esse quod Filius Dei hoc sensu dicatur. Quo sane non negant eum mox ab adventu suo fuisse vocatum hoc nomine : hoc enim est factum nimis patens. At dicunt eum hujusmodi appellationem sui non probasse nisi ut enuntiativam suae messianitatis, seu illius suae ad Deum intimae ac piae conjunctionis, vi cujus, prout de Messia praenuntiatum erat, « *ipse Deo in filium et ipsi Deus in patrem erat* ». In textibus proinde evangelicis, assumunt nomen « *Filius Dei* » aequivalere tantum nomini « *Messias* », id est, « *Christus* », « minime vero significare Christum esse verum et naturalem Dei Filium » (Cf. inter errores modernistarum *proposit.* 30^{am} : D-B. 2030). Sicubi tamen, in eis quae exstant evangeliis, haec appellatio usurpetur sensu Filii naturalis, indicium hoc esse volunt evangelistas hoc loco subiisse influxum fidei in adultiore jam Ecclesia vigentis ac propterea inconscie ad hunc sensum ea quae referunt Christi dicta vel gesta ipsos deformasse.

2° Hine apparet quis sit scopus hujus nostrae theseos, demonstrare scilicet quo sensu se Christus significaverit esse Dei Filium.

Demonstratio vero sic procedit ut Christi dicta vel acta, qualia in evangeliis referuntur, illustrentur documentis coaevis, in quibus eadem appellatio de Christo usurpatur. Ut determinetur scilicet sensus quo se Christus significaverit Dei Filium, inquiritur primum de sensu quo apostoli et evangelistae eamdem appellationem ipsi intellexerint.

Hinc in thesi tres quasi partes : 1° ab initio praedicationis apostolicae Christus creditus est Filius Dei naturalis ; 2° ipsi evangelistae admittunt Christum esse Filium Dei naturalem ; 3° ipsa narratio evangelica fidem facit Christum se significasse Filium Dei naturalem. — Quae tria, sejunctim proponenda, se tamen ita mutuo confirmant ut duae primae partes sint tertiae quasi praevia probatio, et facta pariter, quae in prioribus partibus constare demonstrantur, rationem sui sufficientem non habeant nisi vera sint quae in posteriori affirmantur.

PARS I : **Ab initio praedicationis apostolicae, Christus creditus est Filius Dei naturalis.**

34. Probatur ex epistolis S. Pauli etiam primis [1], nam ibi jam Christus : 1° et nomen habet proprium « Filius Dei » et habetur ut Deus antecedenter ad exaltationem post resurrectionem ; 2° distinguitur a filiis mere adoptivis ; 3° dicitur « Dei Filius » antecedenter ad suam in carne nativitatem.

1° **Christum habere nomen proprium « Filius Dei »** apparet non tantum in *Rom.* 1. 3 et 9 ; 5. 10 ; 8. 3 ; 1 *Cor.* 1. 9 ; 15. 28, sed etiam in *prima* jam ad *Thessalonicenses,* ubi et Christus ipse vocatur Dei Filius (1. 10) et Deus jam habet nomen proprium « Pater » (1. 1) : unde jam apparet quam fuerit usitata appellatio Filii, siquidem haec duo correlativa sunt. Jamvero, cum, ex eisdem epistolis, ut jam alibi demonstratum est, ille, qui sic vocatur « Filius Dei », dicatur etiam « Dominus » (v. gr. jam 1 *Thess.* 1. 1. 3. 6. 8 ; 2. 15 etc.) et habeatur ut vere Deus, exinde omnino sequitur eum intellectum esse Dei Filium sensu naturali.

Eum porro vocari « Dei Filium » antecedenter ad suam exaltationem constat per *Gal.* 2. 20-21, ubi « Filius Dei » significatur ideo se

(1) In aliis epistolis, magis adhuc patet eum, qui vocatur « Filius Dei », haberi vere Deum : Cf. *Eph.* 1. 6 ; 4. 13 ; *Col.* 1. 13 ; *Hebr.* 1. — Item de epistolis S. Joannis : 1 *Jo.* 1. 3-7 ; 2. 22-24 ; 3. 8 et 23 ; 4. 9-15 ; 5. 5-9 ; 2 *Jo.* 9. Item 2 *Petr.* 1. 17. — De *Act. Apost.*, cf. LEBRETON : *Les origines du dogme de la Trinité* [1], l. III, ch. 2, § 1, p. 326-327.

« tradidisse » quia « diligebat » : « *Dilexit me et tradidit semetipsum pro me* » — A fortiori constat ex dicendis infra sub 3°.

35. 2° **Distinguitur ut Filius Dei proprius a mere adoptivis.** Constat:

A) In genere, ex omnibus locis ubi, ad inculcandum quantum sit filiationis adoptivae beneficium, notatur Filium Dei esse proprium, ex cujus missione et traditione homines, qui erant « *natura filii irae* » ac « *servi* », susceperunt « *spiritum adoptionis filiorum* » Ita, v. gr. *Rom.* 8. 3 (τὸν ἑαυτοῦ υἱὸν πέμψας) ; 29 (τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ) ; 32 (τοῦ ἰδίου υἱοῦ οὐκ ἐφείσατο). Qui enim, ut Filius proprius, ita distinguitur ab adoptivis ut, ex ejus sacrificio, merito ac benigna cum eis assimilatione, adoptivi possint aliquatenus ei fieri conformes, is non potest esse et ipse merus adoptivus, sed omnino debet esse filius naturalis. Ea enim est inter adoptivos et naturales filios essentialis oppositio ut naturales sint filii proprii, adoptivi vero non sint nec vocentur nisi per relationem et assimilationem aliquam ad filium proprium.

B) In specie, ex *Gal.* 4. 4-6, ubi explicite Filius Dei dicitur missus esse et factus « *ex muliere* » atque « *sub lege* », ut ei qui erant sub lege, redempti, adoptionem filiorum reciperent. Manifesta enim est oppositio ibi instituta inter Filium Dei proprium et filios mere adoptivos. Ille naturaliter non est « ex muliere » aut « sub lege », siquidem ex benignitate fit ex muliere et sub lege. Homines econtra, cum sint naturaliter ex muliere et sub lege, fiunt ex benignitate filii Dei. Ergo sicut homines naturaliter sunt id quod Filius Dei fit ex benignitate, ita Filius Dei naturaliter est id quod homines ex benignitate fiunt.

Et, re vera, subjecta materia excludit omnino Filium Dei, qui ibi dicitur esse a Deo missus, esse merum hominem, qui, cum non fuisset naturaliter Filius, factus tamen esset antecedenter ad missionem suam Filius Dei adoptivus. Nam hujusmodi filius fuisset et ipse naturaliter ex muliere proindeque, ex sua origine, « sub lege », imo et sub peccato, siquidem omnes ex muliere nati in Adamo peccaverunt ; « *novisset* » proinde et ipse « *peccatum* », indiguisset et ipse redimi atque adoptionem filii accipere. Jamvero haec omnia sunt omnino contra sanctum Paulum, qui dicit Christum « *non novisse peccatum* » sed a Deo « *factum esse peccatum* » [id est, similem homini peccatori], cum prius ac naturaliter « *non novisset peccatum* » (2 *Cor.* 5. 21). Ergo excluditur omnino Filium a Deo missum intellegi merum hominem, qui, ex sua morali perfectione ac speciali Dei dilectione, factus fuisset adoptivus : hujusmodi homo fuisset, sicut et alii, ex doctrina S. Pauli, radicaliter incapax filiationis sibi acquirendae, a fortiori filiationis aliis merendae ac conferendae.

36. 3° **Vocatur « Filius Dei » antecedenter ad suam in carne nativitatem.** Hoc constat tum ex *Gal.* 4. 4-5 et *Rom.* 8. 3, unde jam demonstratum est Filium Dei praeexstitisse missioni, qua fieret « *ex muliere* », qua carnen peccati indueret, tum ex *Rom.* 1. 3, ubi, qui « *factus est ex semine David secundum carnen* » vocatur « *Filius Dei* » independenter et antecedenter ad ejusmodi nativitatem. Hoc enim omnino sequitur ex eo quod dicatur — A) originem illam advenisse Filio Dei, B) ei advenisse secundum carnem, nam haec duo arguunt Filium Dei suae nativitati ex carne praeexstitisse.

A) Notando « *Filium Dei* » « *factum esse* (γενόμενον) *ex semine David* », S. Paulus significat eum originem illam davidicam acquisivisse, siquidem vox illa « γένεσθαι » solet denotare transitum ex uno statu seu modo existendi ad alium, proindeque sensus obvius est : Filius Dei factus est [Incarnatione] filius David.

B) Notando vero eum factum esse davidicum « *secundum carnem* », connotat eum esse, secundum aliud, id quod nomen « Filius Dei » proprie significat. Nam, « illa adjectio « *secundum carnem* » innuit quod Dei et Patris vere est Filius secundum divinitatem. Neque enim in iis, qui id solum sunt quod videntur, est invenire adjectum illud « *secundum carnem* »... Hic vero, quoniam non solum homo est sed et Deus ante saecula, qui homo factus est, Verbum Deus, cum seminis Davidis meminisset divinus Apostolus, « *secundum carnem* » necessario addidit, nos aperte docens quomodo Dei quidem sit Filius, quomodo autem Filius Davidis dictus sit » [1].

Stat ergo ex hox loco « Filium Dei » intellegi a S. Paulo, non hominem quemdam ex stirpe davidica oriundum, cui, ex speciali Dei dilectione, accesserit filiatio divina, sed aliquem, qui, cum jam esset ex sese seu natura sua Dei Filius, factus sit filius David secundum carnem, acquirendo scilicet novam eam originem ex qua secundum carnem diceretur ex semine David.

37. Neque obstant quae sequuntur in v. 4, eum scilicet « *praedestinatum esse Filium Dei in virtute, secundum spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum* ». Haec enim non significant, ut fingere conantur adversarii, eum, cum fuerit merus homo, praedestinatum esse ut fieret Filius Dei vel re vera factum esse Filium Dei, quatenus propter eximiam suam sanctitatem, post resuurectionem, assumptus esset a Deo in Filium.

(1) Theodoretus, *in Rom.* I. 1 (PG 82. 50 C-D).

Et primo quidem, de **praedestinatione** non agitur in textu graeco, quem Vulgata vertit quasi haberet προορισθέντος, cum habeat simpliciter ὁρισθέντος [1].

Textus autem graecus haud magis imponit sensum quem adversarii vellent obtrudere. Nam vocis ὁρισθέντος duo possunt esse sensus, quorum neuter includit Christum tunc, cum antea non esset, factum esse Filium Dei.

a) Prior sensus est « definitus, declaratus, manifestatus » : quo admisso, non tantum, ut patet, non excluditur, sed econtra affirmatur explicite Christi filiatio praeexstitisse : ex resurrectione apparuit quis esset.

b) Alter sensus est « constitutus, statutus », ita ut Filius Dei dicatur ex resurrectione [2] « constitutus esse Filius Dei in virtute », id est, in eo statu constitutus ubi jam exserat eam virtutem — sensu, in Novo Testamento solemni, potestatis divina patrandi [3] — ac potestatem, quae antea abscondita et quasi exinanita erat. Alter hic sensus placet magis, tum quia sententia ita intellecta consonat omnino eis quae S. Paulus in *Philipp.* 2. 11 dicit pariter de Christo a Patre post resurrectionem exaltato, tum quia voci ὁρίζειν servatur idem sensus qui in locis paralleiis (*Act.* 10. 42 : « *constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum* », et 17. 31: « *judicaturus orbem in viro quem statuit* » : ὥρισεν), tum quia probatur plerisque melioris notae exegetis [4]. Jamvero, hoc admisso sensu, nullo modo affirmatur Christus ex resurrectione factus esse simpliciter Filius Dei ; dicitur tantum constitutus in statu gloriae et potestatis, in quo antea non erat. Imo, si ratio habeatur formulae additae « *secundum spiritum sanctificationis* », bene dicas, etiam in hac interpretatione, divinam Christi naturam potius commemorari. Haec enim formula apposita esse videtur ad notandum id ratione cujus « constitutus sit Filius Dei in virtute ». Jamvero, cum manifestissime opponatur formulae « secundum carnem », qua notatur natura humana a Filio Dei assumpta quando factus est davidicus, sensu suo obvio significare videtur [5] naturam Filii Dei spiritualem et sanctissimam, seu divinam. Hinc jam apparet totius versiculi 4 eum esse sensum ut Filius Dei, « *ex resurrectione mor-*

(1) Neque Vulgata sane excludere intendit praeexistentiam Christi ut Filii Dei naturalis. — Quo sensu ergo Christus dici possit esse praedestinatus, cf. III, q. 24, a. 1-2.

(2) « Resurrectio mortuorum » a multis — etiam a P. Lagrange — intellegitur de propria Christi resurrectione, quasi legeretur « ex mortuis ». — P. Prat eam intellegit de mortuorum in genere resurrectione, quam Christus in seipso instauraverit (II[6], p. 513).

(3) Cf. v. gr. *Mc.* 9. 1 ; *Lc.* 4. 36 ; 1 *Cor.* 15. 43 ; *Col.* 1. 29 ; 1 *Thess.* 1. 5.

(4) V. gr. CORNELY, PRAT, LAGRANGE.

(5) De sensu illius formulae exegetae non conveniunt. Cf. eosdem.

tuorum », juxta seu propter suam divinam naturam, constitutus sit « *Filius Dei in virtute* », id est in statu potentiae et gloriae. Quo manifestissime confirmatur eum ex resurrectione donatum esse, non filiatione simpliciter divina, sed gloria et virtute Filio Dei ex sua natura divina conveniente.

PARS II : **Evangelistae Christum intellegunt esse Filium Dei naturalem.**

38. Praenotanda : Haec pars ex praecedente fluit. Constat enim, tempore quo Synoptici scripserunt, Christum in Ecclesia dictum et creditum esse Filium Dei naturalem ; ergo Synoptici, ubi, suo nomine, eum talem appellant, eum talem intellegunt. Ceterum adversarii ultro concedunt evangelistas nomini « Filius Dei » sensum plus quam messianicum indidisse. Imo non diffitentur problema difficillimum, quod solvendum habent, ad hoc in summa reduci : Qui potuerint homines, qui cum Christo biberant, manducaverant, etc., intra tam paucos annos, ad hoc devenire ut de eo tanquam de Deo sentirent[1].

Proponitur tamen ut occasio habeatur evacuandi hypothesim, qua multi acatholici delectantur, Christum Synopticis ideoque primis christianis non habitum esse ut Filium Dei nisi consequenter ad baptismalem theophaniam, in qua a Deo hoc nomine vocatus et susceptus fuerit.

39. Probatur. 1° S. MARCUS, ab initio evangelii (1, 1) vocat Jesum non tantum « *Christum* » sed etiam « *FiliumDei* »[2], quod esset mere pleonastice dictum, si haec appellatio aequivaleret « Christo » seu « Messiae ». Imo quem ab initio dicit « Filium Dei », eumdem postea, sicut et S. Paulus, vocat « Dominum » (5. 19[9]; 11. 3 ; 16. 19). Jamvero qui ita sentit de Christo, is, ubi eum vocat Filium Dei, non potest eum intelligere nisi Filium Dei naturalem.

(1) Harnack v. gr. haec de S. Marco scribebat anno 1906 : « Er hat bereits aus Jesu nahezu ein Göttliches Gespenst gemacht oder eine solche Auffassung vorgefunden » (*Lucas der Arzt*, p. 86 note 1). Idem (*ibid. Vorwort*, p. IV) haec habet de difficultate explicandi hujusmodi Christi, ut putat, transfigurationem : « In den Jahren 30-70 ist eigentlich Alles geworden und geschehen, was sich nachher entfaltet hat... Die Probleme sind durch die Zeitliche Verkürzung und das Gewicht der noch der ersten Generation angehörigen Personen viel schwieriger geworden ».

(2) De authenticitate hujus formulae — quae immerito nec forte absque intentione apud certos criticos omittitur — videas commentatores, v. gr. Knabenbauer aut Lagrange.

2° S. Matthaeus, applicando Christo de virgine nato prophetiam de Emmanuel, interpretatur nomen ejus de Deo : « μεθ' ἡμῶν ὁ θεός » (1. 23).

3° S. Lucas narrat (1. 32. 35) eum vocatum esse « *Filium Dei* » jam ab angelo nuntiante conceptionem ejus. Adhuc in utero Christus dicitur divinitus in Joannem Baptistam operatus (1. 41. 44) ; mater ejus jam ab Elisabeth vocatur mater « *Domini mei* » (1. 43). Idem (2. 49) adhuc duodennis vocat Deum sibi « *Patrem* » et modo quidem ita absoluto ut a vera paternitate excludere appareat S. Joseph, de qua mater ejus dixerat « pater tuus ».

4° Tres synoptici : A) Ubi applicant praecursori Christi prophetiam Isaiae (40. 3) de paranda via Domini, eo ipso intellegunt de Christo id quod propheta dixerat de Jahve : nam, ubi Synoptici scribunt : « *Parate viam DOMINI, rectas facite semitas ejus* », propheta dixerat : « *Rectas facite semitas DEI NOSTRI* ». — B) Eosdem, ubi, occasione baptismi, testificationem Dei Patris de Filio suo referunt, non intellegere filiationem tunc tantum incipientem constat tum ex praedictis, tum ex ejusdem testificationis relatione in Transfiguratione. Haec ergo referunt ut manifestantia, non quid Christus tunc factus sit, sed quid ab ipso Deo Patre demonstratus sit esse [1].

40. Corollarium. Ergo appellatio « Filius Dei », qualis refertur (*Luc.* 1. 32. 35) ab angelo nuntiata [2], intellegi debet de filiatione natu-

(1) De vi ac momento baptismi Christi, qualis a Synopticis narratur, cf. Lagrange : ***Evangile selon Saint Marc,*** p. 9-14.

(2) Angelus quidem, apud S. Lucam (1. 35), connexionem aliquam statuit inter conceptionem virgineam et appellationem : « ***Ideoque*** (διό), ait, ***et quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei*** ». At, ut notat Blass (***Grammatik des NTchen Griechisch,*** n. 78. 5), connexio illa, particula διό statuta, non est urgenda. Et, re vera, Angelus : a) jam dixit (v. 32) Christum esse hoc nomine vocandum quin quidquam significaret de modo conceptionis ; — b) ubi vero de modo conceptionis agit, non explicat cur aut quo sensu Christus sit hoc nomine vocandus, neque appellationis rationem Maria quaesierat ab eo. — c) Conclusio proinde, quam explicationi subjungit, potest esse mera resumptio et confirmatio eorum quae jam dixerat, filium scilicet hoc mirabili modo conceptum vocatum iri Filium Dei (Gallice verti possit : « Aussi bien ce qui naîtra »). Hinc Franzelin (*De Verbo inc., thes.* VIII, *coroll.*) videtur jure addidisse, etsi conceptio virginea non est nec dicitur esse causa propria, ex qua, in ordine ontologico, filius Mariae sit Filius Dei naturalis, tamen eam posse esse causam unde, in ordine logico, filiatio illa divina dignoscatur. Praesupposito enim per prophetas olim nuntiatum esse Deum ipsum incarnatum iri, imo ex virgine nasciturum esse, statim ac constabat virginem concepisse ex virtute Altissimi, concludere licebat eam concepisse Deum.

rali. Ex dictis enim constat evangelistam habuisse eum, qui ex Maria conceptus est, non ut merum hominem qui futurus esset Messias, sed ut aliquem qui jam vere Deus et Dominus esset.

Appellatio proinde « Filius Dei » immerito diceretur inducta simpliciter ex fide conceptionis virgineae. Christus enim, apud Synopticos, a multis jam hoc nomine vocatur, qui nondum sciunt aut suspicari possunt conceptionem ejus ex virgine. Ergo appellationem illam aliunde usurpant.

PARS III : **Ipsa narratio evangelica fidem facit Christum se significasse Filium Dei naturalem.**

41. Praenotanda : 1° Christum voluisse ac probasse se aliquo sensu appellari « Filium Dei » non est dubium tum ex conviciis inimicorum (*Mt.* 27. 40. 43 ; *Lc.* 22. 70), tum ex confessione centurionis (*Mt.* 27. 54), tum ex tolerata et probata confessione daemoniorum, quae jubet tacere at non sententiam mutare, tum tandem ex appellationibus absolutis « Pater, et Filius », quas habuit ipse adeo consuetas. Quaestio est tantum utrum se voluerit intellegi Filium Dei naturalem. Responsum sane obvium est, si procedatur mere theologice nec attendatur narratio evangelica nisi qualis jacet et sub inspiratione scripta. Ex praemissis enim constat auctores evangeliorum quo sensu filiationem Christi divinam ipsi intellexerint.

At quaestio praejudicialis ab adversariis movetur num verba Christi et auditorum ejus referantur in evangeliis, qualia et quo contextu prolata sunt. Imo indicia sibi dignoscere videntur intentionis, quae fuerit evangelistarum, affingendi verbis istis sensum profundiorem recentioremque : varietates v. gr. urgentur in modo referendi sive confessionem Petri, sive responsionem Christi ad Caïpham ; obtenduntur loca evangeliorum vel scriptorum coævorum, ubi etiam nunc formula » Filius Dei » retinere videtur sensum mere messianicum.

2° Responsio igitur nostra, ne sit tantum theologica sed etiam exegetica seu historica et apologetica, rationem habere debet hujus status quaestionis. Negative propterea thesis primum probabitur, removendo scilicet praejudicia adversariorum et ostendendo gratuito ab eis assumi nomen « Filius Dei » fuisse *appellationem specialem, qua, EX USU, designaretur Christus seu Messias* expectatus ; positive postea per ea ipsa, quae cum suo primigenio colore evangelistae referunt, demonstrabitur Christum re vera voluisse se intellegi Filium Dei naturalem.

42. PROBATIO NEGATIVA. — **Non constat nomen « Filius Dei » fuisse, aetate Christi, USITATUM AD DESIGNANDUM SIMPLICITER CHRISTUM.**

Haec assertio, quam Franzelin olim demonstrabat in sua *thesi* III *de Verbo incarnato*, ita jam inter criticos videtur esse communis ut quidam ex eis, et quidem traditionis quam minime tenax, scripserit nullum esse locum, in ullo opere ante Christum certe scripto, ubi futurus Messias appelletur, tanquam nomine proprio, Filius Dei [1]. Non desunt sane loca in Vet. Test., ubi Deus inducitur dicens modo de toto populo Israël (*Ex.* 4. 22 ; *Deut.* 14. 1 ; *Is.* 1. 2 ; *Os.* 11. 1), modo de aliquibus in populo (*Jerem.* 3. 19 ; 31. 9. 20), de justis praesertim in genere (*Eccli.* 51. 14 ; *Sap.* 2. 16-18 ; 5. 5) et de David atque ejus filio in specie (*Ps.* 88. 27-28 ; 2 *Reg.* 7. 14), eos esse sibi filios seque eis esse in patrem : haec enim erat in Oriente, etiam apud ethnicas gentes, protestatio specialis Dei erga suos benevolentiae ac protectionis ; Messiam imo explicite, in *ps.* 2, Deus alloquitur ut filium suum proprium. Non esset proinde mirum Judaeos, qui haec prae mente haberent, inductos esse ut Christum propterea vocarent nomine proprio Filium Dei ; et, re vera, auctor quarti libri Esdrae (4 *Esdr.* 13. 32. 37. 52), commentans aliquo modo psalmum secundum, inducit Deum de Messia ut de filio suo loquentem [2] ; at ne ille quidem formulam « Filius Dei », qua talem, usurpat ad eum simpliciter designandum. Hinc apparet quam gratuito et falso assumatur formulam illam fuisse, aetate Christi, Messiae, ex usu, appellativam [3].

(1) « There is no passage in Jewish litterature, that can be confidently dated as earlier than christianity, in which this name is given to Messiah ». (SCHMIDT in *Encycl. Bibl.*, t. IV, art. *Son of God*, 6°, col. 46. 94. — Cf. LEBRETON in *Etudes*, mars 1908, p. 725-728 et *Les origines du dogme de la Trinité* [4], p. 121 et 246. Cf. praesertim LAGRANGE in *Rev. bibl.* 1908 p. 487-491 et *Le messianisme chez les Juifs*, p. 105 et 218 ; PRAT. II[6], p. 169.

(2) Pariter, in libro Henoch (CV. 2), Deus loquitur de Messia sicut de filio suo, at locus non videtur authenticus sed inductus ex influxu christiano (MARTIN : *le livre d'Enoch*, p. 278 et XXXVIII).

(3) Quae leguntur de hac quaestione apud Lepin : *Jésus Messie et fils de Dieu* ch. I et II, p. 37 54, videntur proinde attemperanda ad ea quae melius post eum exposuit *Lagrange, loc. cit.* Non satis forte attendit quaestionem versari de formula, qua est appellativa et usualis. Advertas enim quam diverso sensu soleant ubique homines designare aliquem ex nomine patris sui : « *C'est le fils de Pierre* » ; soleant econtra christiani v. gr., in insula Madagascar, missionarium alloqui : « *Vous êtes mon père et ma mère* ».

Nomen ergo, quo ab initio Christus apud suos vocatus est, cum non ex Judaeorum usu derivetur, aliunde explicari debet. Ratio vero hujusmodi appellationis ac fidei, quae in ea se prodit, dari non potest adaequata nisi explicita affirmatio Christi. Secus enim apostoli, cum essent et ipsi judaei et monotheismum strictissimum praedicarent gentibus a polytheismo reducendis, non tantum non invenissent ipsi, sed imo abjecissent, eam appellationem, quae, seclusa revelatione mysterii, ditheismum mentibus suggerere aptissima videretur [1].

Ergo falsum est fundamentum adversariorum Christum non potuisse haberi ut Filium Dei naturalem nisi tractu temporis consequenter ad evolutionem doctrinalem.

43. PROBATIO POSITIVA. — 1° **Verum quidem est appellationem « Filius Dei », etiam in nonnullis evangeliorum locis, non posse probari habere sensum plus quam messianicum,** v. gr.: A) In ore diaboli tentantis Christum (*Mt.* 4 ; *Lc.* 4). — B) In ore daemoniorum : Christum vocant modo « *sanctum Dei* » (*Marc.* 1. 24 ; *Luc.* 4. 34), modo « *Filium Dei* » (*Marc.* 3. 11 ; 5, 7 ; *Luc.* 8. 28 ; *Mt.* 8. 29), et ipse S. Lucas hoc ultimum interpretatur de Messia, dicens : « *Exibant daemonia a multis clamantia... quia tu es FILIUS DEI, et increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse CHRISTUM* » (4. 41). — C) In ore Nathanaelis primo intuitu agnoscentis Christum (*Joan.* 1. 49) : Quem enim Andreas (1. 41) dicit Messiam (« Invenimus *Messiam, quod est interpretatum Christus* ») et Philippus (1. 45) eum « *quem scripsit Moyses in lege et prophetae* », eumdem Nathanael salutat « *Filium Dei, Regem Israel* ». Jamvero, hae duae appellationes, quae

(1) **Nec dicas :** haec appellatio adhibita est pro « Christus » vel « Messias », cujus notio ethnico-christianis fuisset inintelligibilis. Nam : **a)** constat eam adhibitam esse sensu aliquo jam ab ipso Christo ; **b)** scripta ad ethnico-christianos directa proferunt nomen « Christus » tam saepe vel saepius quam vocem « Filius Dei », v. gr. apud Paulum : Filius Dei 20^{ies} ad summum, Christus ultra 400^{ies} ; apud S. Lucam : in Evangelio, Filius Dei 11^{ies}, Christus 12^{ies} ; in Actis, Filius Dei 6^{ies} ad summum, Christus saltem 30^{ies} ; in evangelio S. Joannis : Filius Dei 27^{ies}, Christus 20^{ies} ; — **c)** etiam ethnico-christianis evangelium propositum est ut finis Vet. T[i] et Legis atque prophetiarum adimplementum, v. gr. I *Cor.* et *Gal.* passim. Imo, propositio doctrinae ad catechumenos semper incepit ab historia lapsus generis humani : quae omnia notionem Messiae faciebant omnibus intelligibilem ; — **d)** inverosimile est divinisationem Christi excogitatam esse ut per quam gentilibus a polytheismo conversis facilior esset accessus ad Christianam fidem ; nam tali via ac methodo, quos volebant christiani a polytheismo ad monotheismum deducere, eosdem, re vera, abduxissent ad fucatum ditheismum.

jam ex suo parallelismo esse synonymae dignoscuntur, aegre admittantur plus dicere quam quod Andreas et Philippus confessi sunt [1]. — D) In ore discipulorum stupentium quando, sedata tempestate, « *adorant eum dicentes : Vere tu es Filius Dei* » (*Mt.* 14. 33). Quos enim S. Matthaeus dicit ea locutos esse, eosdem S. Marcus (6. 52) dicit « *habuisse cor obcaecatum* ». Jamvero mirum esset homines, adhuc « obcaecatos », deductos esse sola miraculi contemplatione ad profitendam jam tunc eam Christi filiationem divinam, quam S. Petrus non confitebitur nisi postea et quidem, ut Christus aperte declarat, non ex naturali cognitione aut deductione, sed ex revelatione a Deo Patre suscepta. Quod ergo ex miraculo discipuli agnoscunt et profitentur, est Christum esse vere Messiam a Deo promissum et missum, seu virum in quo et per quem Deus inaudita operetur [2], Adoratio quam exhibent, non intellegitur necessario de vero latriae

(1) S. J. Chrysostomus (*in Jo. hom.* 20. 3) verbum Nathanaël interpretatur : « Tu es ille exspectatus et desideratus » (P G 59. 127) et (*hom.* 21. 1) causam quaerens cur Nathanaël, cum Filium Deo confessus sit, tamen non sicut Petrus laudetur, respondet : « Quia eadem quidem verba locuti sunt Petrus et Nathanaël, nec tamen eodem uterque sensu. Sed Petrus quidem confessus est eum Filium Dei, *ut verum Deum*, Nathanaël vero *simplicem hominem* » (PG. 59. 128). — Cf. *in Mt. hom.* 54. 2 (PG. 58. 533).

(2) Eum locum ita interpretatur S. Joannes Chrysostomus, ubi explicat cur S. Petrus adeo laudatus sit : « Nisi Petrus sic ipsum vere confessus fuisset ut ab ipso Patre genitum, non fuisset hoc revelationis opus ; *si unum ex multis illum esse putasset*, non erat illud beatitudine dignum. Etenim jam antea dicebant ii qui in navigio erant post tempestatem : *Vere Filius Dei est hic*, nec tamen beati dicti sunt, etsi vere dixerint. Non enim sic Filium, ut Petrus, confessi sunt ; sed *unum ex multis* vere Filium esse putabant, eximium quidem inter multos, nec tamen ex ipsa Patris substantia » (*in Matth.* hom. 54. 1 PG. 58. 533). - Nec aliter S. Thomas (*in Matth.* XVI. 17) : « Sed, quid est ? Numquid alii non confessi sunt Filium Dei ? Immo legitur de Nathanaële ; item illi qui in navi, supra. Quare ergo hic beatificatur Petrus et non alii ? Quia *alii filium adoptivum confesssi sunt*, hic autem Filium naturalem ; ideo hic prae ceteris beatificatur, quia primus confessus est divinitatem ». (Cf. Knabenbauer : *in Matth.* XIV. 33).

Commissio Biblica, responso dato die 19 junii 1911 de authenticitate historica hujus pericopae, non decrevit quidquam de sensu appellationis « Filius Dei » hoc loco. Non de ea quaestione exegetica agebat ; judicium dedit tantum de opinione eorum qui, quia haec non leguntur in loco parallelo apud S. Marcum (6. 51-52) sed apud S. Matthaeum occurrunt peculiari modo enuntiata, velint ea destitui authenticitate historica : eam opinionem affirmavit destitui solido fundamento. De sensu vero formulae « Filius Dei » non significavit quidquam directe. Immerito vero fingat quis eam indirecte et implicite voluisse de hoc sensu reprobare et excludere opinionem, quam tot catholici jamdiu admittunt cum S. Joanne Chrysostomo et S. Thoma.

cultu ; potest enim intellegi de signo reverentiae ac sacri timoris ex quo sese coram eo prosternunt ; vel, si malis, dicas eos vera adoratione adorasse Deum in Christo per tam mirabilia opera se manifestantem. — E) Apud S. Lucam, qui (*Act.* 9. 20-22) indifferenter dicit : « *praedicare Jesum quoniam est Filius Dei* », vel : « *affirmare quoniam hic est Christus* ».

44. DICES haec facta contradicere asserto nostro praecedenti (n. 42) nomen « Filius Dei » non fuisse apud Judaeos pro monine « Christus ». Haec enim probare videntur Judaeos, ubi quem agnoscunt esse Messiam, eum vocare « Filium Dei ».

Respondeo non de eisdem, in utroque asserto, esse sermonem. Assertio enim nostra, in probatione negativa quae praemissa est, fuit de eis in genere Judaeis qui Messiam expectabant merum hominem ; eos diximus non esse solitos hujusmodi appellatione vocare quem expectabant Messiam : quo sane non excludebatur, homines esse posse pios ac bonae voluntatis, qui, ex collatis ac perpensis iis Scripturae locis ubi Messias insinuatur fore Deus aut saltem fore Deo in filium, deducerentur ad eum hoc titulo celebrandum. Jamvero facta, quae nunc referuntur, consequuntur omnia ad commotionem illam religiosam ac moralem, ex S. J. Baptistae praedicatione ortam, qua adeo excitata ac vivificata est expectatio Messiae ; homines de quibus agitur oriuntur omnes e regione, ubi Baptista Messiam adesse significavit ac tantopere supra se exaltavit ; multi, forte plerique, sunt ex ejus discipulis proindeque eum audire potuerunt ubi Jesum palam dicebat esse « Agnum Dei » et « *Filium Dei* » (*Jo.* 1. 29 et 34). Mirum proinde non est homines hujusmodi ad hoc devenisse ut quem agnoscerent Messiam vocarent Filium Dei. Sed nihil exinde deduci potest de modo loquendi apud Judaeos antecedenter ad S. Joannis praedicationem [1].

(1) Non inverosimile est, in iis locis ubi non potest probari formulam F. D. significare plus quam Messiam, scriptores eam re vera posuisse pro formula « Christus ». Cum enim utraque formula jamdiu supponeret pro una eademque persona, seu eamdem signaret personam, poterat utraque indifferenter adhiberi ubi se quis in eam personam credere profitebatur. — Sic v. gr. forte explices quare, ubi referunt confessionem S. Petri, potuerint ponere S. Marcus : « Tu es Christus » simpliciter (8. 29), S. vero Lucas « Christus Dei » (9. 20), non addito « *Filius Dei vivi* », quod habet S. Matthaeus (16. 16). Quibus enim fides est Christum esse ipsum Dei Filium, eis « Tu es Christus » esse potest pro « Tu es Filius Dei ».

45. 2° **At, hoc concesso, per ipsa tamen evangelia constat nomen « Filius Dei », praesertim ubi ab ipso Christo de se usurpatur aut probatur, habere significationem multo pleniorem et sublimiorem.** Ipse enim de sua divina filiatione ita loquitur, ut — etsi paulatim et caute propter varia motiva — eam esse naturalem omnino suggerat ac admitti velit.

A) Et primo quidem eam **filiationem suam accurate distinguit a filiatione ceterorum dilectorum :**

a) Qui nos docet vocare « *Patrem* » eumdem Deum, quem dicit esse sibi Patrem, tamen affectat dicere « *meum* » aut « *vestrum* » Patrem, at nunquam dicit « *nostrum* », ne in iis quidem locis ubi hoc magis congruere videretur, v. gr. *Mt.* 25. 34 ; 26. 29 ; *Luc.* 24. 49.

« Non sicut Christi Pater [Deus], ita et noster Pater : nunquam enim Christus ita nos conjunxit, ut nullam distinctionem faceret inter nos et se.... Nunquam auditum est de ore Domini nostri J. C., cum ad discipulos loqueretur, dixisse illum de Deo summo Patre suo, Pater noster ; sed, aut « Pater meus » dixit, aut « Pater vester ». Pater noster non dixit usque adeo ut quodam loco poneret haec duo : Vado ad Deum meum, inquit, et Deum vestrum... Et Patrem meum dixit et Patrem vestrum (*Joan.* 20. 17); non dixit Patrem nostrum. Sic jungit ut distinguat, sic distinguit ut non sejungat » [1].

b) Ceteri fient ac conari debent ut fiant filii Dei (*Luc.* 20. 36; *Mt.* 5. 44-45); ille vero nullibi apparet quandonam cœperit esse filius : duodennis adhuc Matri de Joseph « patre ejus » loquenti opponit se « in eis quae Patris sui sunt esse » debere (*Luc.* 2. 49).

B) Qua Filius, praeeminentiam habet prae Angelis, nam, in enumeratione progressiva eorum qui « *de die illo et hora nesciunt* », se ut Filium eis postponit nec supra se significat habere nisi « Patrem » (*Marc.* 13. 32).

(1) S. Augustinus (*In Joan. tract.* XXI. 3 PL. 35. 1565-1566). Haud aliter germanus philologus Dalmann (*Die Worte Jesu*, p. 230) : « Jesus hat sich die Bezeichnung « der Sohn Gottes » beigelegt, aber doch unzweideutig zu erkennen gegeben, dass er nicht nur « ein », sondern « der Sohn Gottes » sei. Dies drückt sich aus in der von Ihm mit Vorliebe angewandten Benennung Gottes als « seines » Vaters, bei der er sich niemals mit seinen Jüngern zusammenschliesst ».

Nec contra est quod in *oratione dominicali* (*Matth.* 6. 9), ipso docente, dicatur « Pater noster ». Nam non ipse ibi se conjungit discipulis orantibus sed ipsi soli ab eo docentur dicere « Pater noster ». Quibus, oratione edocta, bis (v. 14-15) de eorum Patre caelesti dicit « Pater vester ».

46. C) Relatio filiationis, quam ad Deum habet, ita est ipsi ac Deo propria et intima ut, ex ea, ille « Filius », Deus vero « Pater » vocetur tanquam nomine proprio et absoluto. Quod est tum in se indubium tum in hac nostra quaestione summi momenti. **a)** Quem duodennis infans jam dixerat « *suum Patrem* », in cruce moriens invocat : « *Pater* » (*Luc.* 23. 34. 46). Interea « Patrem » absolute dicit saepius quam « Filium » ; attamen etiam « Filium » absolute se dicit, et quidem in iis dictis, quorun authenticitas historica et quasi primigenius color extra controversiam etiam adversariis esse debet [1], v. gr. *Matth.* 11. 25; *Luc.* 10. 22 et *Marc.* 13. 32; *Matth.* 24. 36. Appellatio vero illa, quam fuerit usualis apparet in praecepto de baptismo conferendo, ubi Christus tam proprie et absolute nominatur « Filius » quam Deus ipse « Pater ». — **b)** Jamvero hoc factum quanti sit momenti nemo non videt. Arguit nempe relationem illam Paternitatis et Filiationis hujusmodi esse ut sit eis exclusive propria. Nam Deus nomine relativo (v. g. Creator, omnipotens : le Créateur, le Tout-puissant) non vocatur tanquam nomine proprio et absoluto nisi relatio, unde desumitur appellatio hujusmodi, sit ita illi propria ut nulli alii competere possit. Relatio proinde paternitatis et filiationis, quae intercedit inter Deum et Christum, hujusmodi est ut nulli alii competat ; non ex adoptione ergo oritur ; et, cum filiatio non sit nisi vel adoptiva vel naturalis, consequens est ut filiatio illa sit naturalis.

47. D) Et Christus, re vera, ipse, in parabola aut potius allegoria vinicolarum (*Marc.* 12. 1-12 et parall.), **se, ut Filium Dei naturalem, opponit eis qui non fuerunt nisi Dei legati.** Christus enim ipse est, et a Judaeis intelligitur dici, qui, postquam « multi » servi seu prophetae missi sunt, manet « unus » quem spes esse possit ut vinicolae « revereantur ». Filius enim est « carissimus » ; a patre, id est a Deo, dicitur mitti « ultimus » ; eum vinicolae intellegunt esse « haeredem », quo occiso, non maneat cujus « haereditas » esse possit. Clarissime ergo, etsi allegorice, Christus ibi se exhibet ut eum qui ab aliis prophetis ipsa sua filiatione distinguitur. Alii enim, etsi Deo sane dilecti ac filii adoptivi, tamen meri servi erant ; ille

(1) Hujus tamen appellationis vim ita percepit Loisy ut negaret eam esse ab ipso Christo, sed diceret esse ex traditione evangelio inductam (*Les évang. synoptiques*, t. I, p. 108 et 243 ; t. II, p. 438). Hoc autem quam gratuito et contra omnem verosimilitudinem, cf. Lagrange : *Evangile selon saint Marc*, in XIII. 32, p. 326.

vero Filius vere est, et unicus et carissimus, qui filios proinde adoptivos tanto transcendit quanto distat a mero servo filius verus et unicus. Aliis verbis, Christus, in hac parabola, idem de se dicit quod postea epistola ad Hebraeos : « *Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in prophetis, novissime, diebus istis locutus est nobis in Filio* » (1. 1-2).

48. E) Mirum proinde jam non est eum se, **qua Filium, dixisse tam ineffabilem quam ipse Pater est, ac se eadem ratione cognoscere Patrem qua cognoscitur a Patre.** Haec enim duo includit « logion », quod dicitur, de mutua Patris ac Filii cognitione (*Mt.* 11. 27 ; *Luc.* 10. 22). — a) Sicut Pater non ulli cognoscibilis est qui non sit Fiiius, ita Filius non ulli qui non sit Pater. Participat proinde Filius ineffabilitatem Patris seu Dei ; cum autem illa ineffabilitas fundetur ipsa Dei natura, omnino sequitur Filium participare divinam Patris naturam. — b) At, sicut Filium Pater cognoscit, quia Pater est, ita Patrem Filius, quia Filius. Ratio proinde eorum mutuae cognitionis non est aliquod liberum voluntatis decretum, ex quo sua invicem sibi manifestent, sed ipsa relatio paternitatis et filiationis, qua conjunguntur. Nec minus Patrem Filius cognoscit quam ipse cognoscitur a Patre. Jamvero Filium Pater, qui Deus est, cognoscit perfecte sane et exhaustive. Ergo et Patrem, qui Deus est, Filius etiam cognoscit perfecte et exhaustive : quod nemo non videt non posse competere ei qui non sit et ipse Deus. Idem proinde de se Christus apud Synopticos quod Joannes de eo dicit in suo evangelio : « *Deum nemo vidit unquam ; unigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit* » (1. 18).

49. Hujus dicti vim ac momentum ut minuant adversarii, fingunt : γ) Filium ibi poni pro Christo, ita ut non dicatur incognoscibilis nisi qua Christus est. — β) Cognitionem Patris, quam sibi vindicat, restringi ad ea quae Pater libere circa Redemptionem disposuit. Quae enim huic loco in utroque evangelio praemittuntur, de eis agunt quae « *Patri placuit abscondere a sapientibus et prudentibus et revelare parvulis.* Haec enim « *omnia* » Filius addit « *esse sibi a Patre tradita* ». Haec ergo sint, atque haec tantum, quae in Patre cognoscat.

Interpretatio vero hujusmodi gratuita est nec rationem habet eorum quae a Christo dicuntur. Etenim : — α) Gratuito omnino asseritur « Filium » absolute dictum poni pro Christo. Nam synonymia, quam admisimus aliquando exstitisse « Christi » et « Filii Dei », nunquam admittitur ubi « Filius » dicitur absolute et quidem correlative ad « Pater » absolute dictum.

Praeterea, admisso « Filium » poni pro « Christo », assertum Christi jam non intellegitur, imo deprehenditur falsum. Falsum enim est Christum non posse cognosci, qua Christum, nisi a solo Deo Patre ; econtra, qua talis, cognosci debet ab eis omnibus ad quos mittitur, et Christus ipse in evangeliis saepe saepius Judaeos redarguit quod non se ex suis operibus agnoscant.

β) Contra verba Christi pariter est quod cognitio Patris a Filio restringatur ad ea quae Pater libere disposuerit ac tradiderit Filio manifestanda. Nam, hac admissa restrictione, jam tollitur manifesta illa comparatio et correlatio, quam Christus instituit inter scientiam Patris et Filii : numquid in Filio etiam est aliquid ab ipso libere dispositum, ad quod cognitio Filii a Patre pariter restringatur ? Praeterea, etiamsi daretur, quod non datur, hic non agi directe nisi de his liberis Patris dispositionibus, tamen maneret Filium ibi supponi Deum : maneret enim cognitionem illam liberorum Dei decretorum competere Fillo ex eadem ratione qua competit Patri cognitio Filii [1]. Cum ergo cognitio Filii a Patre non pendeat a libera Filii voluntate seu sui manifestatione, sed habeatur ratione paternitatis, cognitio pariter Patris a Filio non pendet a libera Patris voluntate seu sui manifestatione, sed habetur ratione filiationis. Et Christus, re vera, ipse cognitionem suam Patris omnino distinguit a cognitione per liberam revelationem : alii utique per revelationem cognoscunt, ille vero qua et quia Filius.

50. F) Approbat et laudat se a Petro agnosci ut « Filium Dei vivi », eo sensu, quo non possit cognosci nisi per revelationem ex Deo haustam (*Mt.* 16. 16-17). Porro cognitio hujusmodi non est cognitio illius, qua filii tantummodo adoptivi, seu qua a Deo praedilecti et ab eo missi, siquidem cognoscere Jesum ut Messiam adeo non transcendit facultatem cognoscendi « per carnem et sanguinem », id est, vi solius facultatis humanae [2], ut econtra prona sit omnibus et praerequiratur omni alii Christi cognitioni : Judaei ideo improbati sunt a Christo, quia ad eam ex ipsa miraculorum suorum contemplatione non assurgerent. Ergo confessio Petri, cum ab ipso Christo

(1) Harnack, postquam conatus est demonstrare formam et redactionem pericopae, apud S. Lucam saltem, non esse primigeniam (*Sprüche und Reden Jesu*, p. 203 sqq.), tamen agnoscit omnino aequalitatem quae ibi vindicatur Filio ad Patrem : « Eine formelle Gleichheit von Vater und Sohn, die nur durch die Namen getrennt sind und ein Verhältnis von Vater und Sohn, das nie begonnen hat, sondern immer ruhend dasselbe ist, kommt zum Ausdruck » (p. 211).

(2) Cf. *Gal.* 1. 16 et Lagrange in *h. l.* ; Dhorme : *L'emploi métaphorique des parties du corps*, in *Rev. bibl.* 1920, p. 472.

ascribatur speciali Dei revelationi, implicat cognitionem filiationis quae transcendat meram adoptionem [1].

51. Dices : At loca parallela et ipse contextus probat « Filium Dei » hic poni pro « Christo » nec, apud Matthaeum, addi nisi per modum formulae parallelae, nam : — **a)** Petrus refertur dixisse simpliciter « Christus » apud *Mc.* 8. 29 et « Christus Dei » apud *Lc.* 9. 20. — **b)** Apud *Mt.* 16. 20, Christus ipse, ubi discipulis silentium injungit, non prohibet se dici nisi Christum. Jamvero se prohibet dici quod agnitus est. Ergo non agnitus est nisi Christus.

Respondeo. **Ad a)**. Duo alii Synoptici non referunt, re vera, vocem « Filius Dei vivi », sicut nec referunt responsum Christi ad Petrum. At hoc eorum esse silentium aut omissionem voluntariam constat ex eo quod responsum Christi et demonstratur alibi esse historicum (Cf. *tract. de Rom. Pontifice*) et ipso contextu requiritur. Consequentia enim dictorum, qualis est apud S. Marcum et S. Lucam, deficiente ullo judicio Christi de confessione Petri, vix intellegitur. Nam Christus, postquam, auditis aliorum de se opinionibus, discipulos sollicite rogavit quem se esse dicerent, ubi audivit responsum Petri, sermonem, ut ita dicam, abrumpit, ac statim, quin significet utrum responsum ita quaesitum approbet an improbet, « *comminatus est eis ne cui dicerent de illo* ». Hujusmodi agendi ratio adeo mira videtur ut a priori suspiceris aliquid ibi omissum esse. Non ita apud

(1) N. B. quaestionem Christi et responsa praemissa discipulorum non esse de Jesu munere aut dignitate sed de ipsa illius personalitate. Non quaeritur *quid* sed *quis* sit : « Τίνα με λέγουσιν οἱ ἄνθρωποι εἶναι ;... ὑμεῖς δὲ τίνα με λέγετε εἶναι » ; Et respondetur per nomina personarum : Joannem Baptistam ; Eliam ; unum ex prophetis. Hinc, in responsione Petri, vis et momentum articuli determinativi : « σὺ εἶ ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος ». Deest econtra articulus in *Mt.* 14. 33 : « Ἀληθῶς θεοῦ υἱὸς εἶ ». — Nec dissentiunt critici, qui velint voces *Filius Dei vivi* in v. 16, sicut et macarismum vv. 17-19, esse auctoris vel interpolatoris additamenta. Admittunt eas, quando insertae sunt evangelio, intellectas esse de filiatione proprie divina. Ita v. gr. N. Schmidt, art. *Son of God*, n. 19, apud Cheyne : *Encyclop. bibl.* t. 4, p. 4700, ubi fatetur sensum totius pericopae rectius intellegi a catholicis quam ab aliis : « Van Manen is probably right in thinking that « Son of God » is not here a designation of the theocratic king, but to be taken in a metaphysical sense. But to the interpolator ὁ Χριστός was no longer a mere equivalent of « the Messiah » ; it had no doubt already assumed the same significance as the « Son of God ». — Item Dalmann : « Matthäus... durch die ihm eigenen Abänderungen, lässt deutlich erkennen, dass derjenige, welcher sich nur « des Menschen Sohn » nennt, in Wirklichkeit das Gegenteil davon ist, nämlich Gottes Sohn » (*Die Worte Jesu*, p. 208-209).

S. Matthaeum, ubi omnia ita inter se connectuntur ut, sicut confessio Petri requirit responsum Christi, ita responsum Christi non intellegatur nisi Petrus, re vera, dixerit «Filius Dei ». In eo enim responso, et laus et præmium Petro collatum, et revelatio, cui ascribitur ejus confessio, præsupponunt omnino eum non confessum esse simpliciter Christum sed addidisse explicite « Filium Dei ». Authenticitas proinde responsi Christi probat simul et Petri confessionem fuisse qualem S. Matt. refert et eum habere sensum quem diximus.

52. Nunc autem cur **S. Marcus et S. Lucas haec reticuerint,** alii alia sane motiva excogitant. Bene vero advertas explicandum in primis aut tantummodo esse cur omiserint laudationem et praemiationem seu exaltationem S. Petri. Ea enim omissa, omittenda pariter erat formula « Filius Dei », cui adnectitur. De S. Marco autem, haud inepte forte dicas eum, cum fuerit S. Petri interpres, ea omisisse quae S. Petrus, pro sua humilitate, in sua praedicatione omitteret [1]. S. vero Lucam ex comparatione textuum constat hoc loco adhaerere S. Marco potius quam S. Matthaeo.

Melius vero forte de utroque dicas eos, cum ad ethnico-gentiles, et quidem graeco sermone, scriberent, noluisse ea inserere quae sermonem et mentem aramaïcam adeo redolent. Notandum enim est, in dictis de exaltando Petro, vix ullum esse verbum quod figuram loquendi hebraïcam aut aramaïcam non sapiat: Simon bar Jona ; caro et sanguis ; Petrus et petra ; aedificare ecclesiam ; claves regni ; ligare et solvere. Haec sane auditores judaeos delectare poterant, ideoque bene intelleguntur referri in evangelio S. Matthaei, quod dicitur esse ab initio conscriptum aramaïca lingua ; at eadem pariter intelleguntur omissa a Marco et Luca, ut graeco-romanis obscura nimis.

53. **Ad b).** Repugnat in primis, ex prohibitione loquendi, qualis apud *Mt.* legitur, deduci S. Petrum confessum non esse Christum nisi ut Messiam. Responsum enim Christi, sicut jam dictum est, omnino excludit hunc sensum, proindeque prohibitio loquendi apud auctorem, qui responsum hujusmodi refert, ita intellegi debet ut hoc sartum tectumque maneat. Dicas ergo vel vocem « Christum », in prohibitione, poni sensu complexivo, ita ut duo enuntiet quae evan-

(1) Ita jam Eusebius, in sua *Demonstratione evangelica*. III. 5 « Petrus quae ad se ac de se dicta sunt a Jesu proprio testimonio proferre aequum non putavit... Haec sane Petrus tacenda judicavit, quare etiam Marcus ea praeteriit... Marcus nihil horum commemorat propterea quod ne Petrus quidem, ut verisimile est, talia in suis narrationibus enuntiavit » (PG 22. 216 B — 217 A).

gelista scit esse vera de Christo, messianitatem scilicet et divinitatem [1]; vel prohibitionem non fuisse, re vera, explicite nisi de Christo in genere, quin filiatio ejus divina intenderetur. Nec, re vera, erat cur Christus prohiberet se dici Filium Dei eo praecise sensu quo Petrus confessus erat. Nam quod Petrus ex revelatione didicerat non ideo jam planum erat aliis discipulis ; periculum proinde non erat ne qua talis ab eis proderetur. Ex dictis et auditis dubitare sane jam non poterant quin Jesus se diceret esse Christum ; at quos per S. Joannem scimus tam multa Christi dicta vel facta non intellexisse nisi post resurrectionem et adventum Spiritus Sancti, eos quis putet jam tunc clare percepisse quo et quam pleno sensu Christus probaret se dici Dei Filium ! Hinc non dubites concludere Christo satis fuisse prohire ne id praedicarent quod clare perciperent. Syllogismum ergo, quo se objectio prodebat, sic possis solvere in forma :

Christus prohibet se dici id quod esse cognoscitur a discipulis in genere, *conc.* ; id quod, a S. Petro ex revelatione perceptum, aliis planum adhuc omnino non est, *nego* vel *non constat* — Atqui non prohibet se dici nisi Christum, *conc.* — Ergo non agnitus est esse nisi Christus, *dist* : a S. Petro ex revelatione, *nego ;* a discipulis in genere, *transeat.*

54. G) **Coram Caïpha** tandem (*Luc.* 22. 67-71 et parall.), ipse se **profitetur esse Filium Dei eo sensu qui faciat eum Judaeis « reum blasphemiae » ac dignum morte.** Ibi enim, juxta tres Synopticos, — S. Luca forte plenius referente quo ordine interrogatio processerit, — interrogatur non tantum de munere messianico, utrum sit Christus, sed etiam de personali sua dignitate ac natura, utrum sit Filius Dei. Ille vero non tantum respondet se utrumque esse sed etiam, allusione facta tum ad *Daniel* 7. 13 tum ad *Ps.* 109. 1, aperte significat sibi competere ut « a dextris Dei sedeat ». Quo sane sensum obvium appellationis « Filius Dei » nedum attenuet, potius auget et confirmat, nec proinde quia verbum male apprehenderint sed, econtra, quia illud intellegunt sensu ab ipso intento, Judaei eum habent blasphemiae reum.

(1) Cf. notata supra, p. 38, note 1. — Lectores enim, ad quos attendunt evangelistae, jamdiu, teste S. Paulo, intellegunt voce « Christus » signari, non praecise titulum aut digitatem aliquam, sed concretam illam personam divinam, quam norunt esse Dei Filium. — Hinc jure notatum est, non vocem *Filius Dei vivi* attemperandam esse ad sensum primigenium vocis *Christus*, sed potius vocem *Christus* audiendam esse sensu sublimiori vocis *Filius Dei vivi*.

Unde manifestum est causam, propter quam, ex Synopticis, subiit poenam mortis, esse eam ipsam propter quam, ex S. Joanne, Judaei quaerebant eum interficere, scilicet, quia, cum esset homo, se faciebat Deum. (*Jo.* 5-18; 10. 32-33) [1].

55. Corollaria. 1° **De appellatione « Filius hominis »**. Ea appellatio, qua se Christus ipse saepius appellavit, seipsa non movet difficultatem contra ejus divinitatem. Quid proprie significet non adeo constat. Desumpta est sane tum ex *Ezechiel*, quem Deus ex hoc nomine saepe alloquitur, tum ex *Daniel* 7. 13, ad quem locum certe Christus coram Caïpha alludit. At non constat eam fuisse, ex usu, Messiae appellativam, nec proinde asseri potest Christum eam sibi hoc sensu usurpasse.,. Quia tamen aenigmaticum quid in se habebat, propterea forte ab eo usurpata est, ut per eam mentes deducerentur ad mysterium in se absconditum indagandum [2].

Nec difficultas oritur ex eo quod « Filium hominis » Christus videtur dicere Spiritui Sancto inferiorem, ubi ait « verbum contra Spiritum Sanctum » non remitti, bene vero « verbum contra Filium hominis » (*Mt.* 12. 32 et *Luc.* 12. 10). Nam comparantur ibi, non proprie, ii contra quos est verbum, sed animi dispositiones, quae in verbo se produnt. Verbum enim, quod vocatur « blasphemia in Spiritum Sanctum », verbum, re vera, est contra ipsum Christum : consistit in hoc quod ascribitur principi daemoniorum ejectio daemonum ab ipso Christo effecta, et ideo tantum dicitur esse in Spiritum Sanctum quia Spiritus Sanctus est per quem Christus profitetur se ejicere daemonia. Irremissibilitas autem ejus inde ducitur quod, cum eo ipso praecludatur fides in Christum, eo ipso etiam via occluditur per quam

(1) Lagrange : *L'évang. selon Saint Marc*, p. 375-379 et cf. *Le messianisme chez les Juifs*, p. 225 — Reum blasphemiae Christum non habere possunt nisi intellexerint eum se facere sensu proprio Filium Dei vivi. Nam, quod quis, cum sit prestigiator aut somnia somnians, se dicat ad munus messianicum assumptum, hoc sane Judaeis videri potest esse amentis, aut seductoris aut ejus qui populum commovere velit, at non ejus qui blasphemiam [proferat - Imo nec blasphemia Judaeis videretur esse quod verus propheta se diceret Dei filium adoptivum, eo scilicet sensu quo, ut Judaeis per Scripturam erat notum, justi vocantur dii aut Dei filii. Eorum igitur indignatio significat eos intellexisse Christum sibi tribuere Dei filiationem, quae nulli homini competere possit, sed eum faciat Deo aequalem.

(2) Cf. de Grandmaison, apud DAFC, *art. Jésus Christ*, n. 104-110 ; Huby : *Evangile selon saint Marc*, p. 44-45.

solam remissio esse possit omnis peccati. Verbum econtra, quod dicitur « contra Filium hominis », videtur intellegi debere quale ab ipso Christo, apud *Mt.* 11. 19, refertur, nempe de « filio hominis », quia « venit manducans et bibens », dicere : « Ecce homo vorax, et potator vini, publicanorum et peccatorum amicus ». Hoc autem est etiam contra Christum dicere verbum, at tantum contra vel propter humanam ejus conversationem, ita ut in hoc nulla se prodat voluntas detrectandi fidem, si forte per opera se demonstret esse Deum et salvatorem ; non est ergo cur hujusmodi verbum dicatur de se irremissibile. Constat ergo differentiam, quæ ibi adstruitur, inter hujusmodi verba repeti, non ex dignitate majori vel minori eorum in quos peccatur, sed tantum ex pertinacitate qua qui peccant viam remissionis sibi ipsi occludant [1]... Quæ solutio confirmatur ex ipso versiculo qui apud S. Lucam (12. 8-9) præmittitur : Nam etiam « filii hominis » denegatio ibi dicitur inducere condemnationem coram angelis Dei.

56. 2° De dictis Christi contra divinitatem ejus facientibus. Cum ea quae relata sunt Christi dicta vel acta intellegi nequeant nisi in ipso vere sit divina natura, hinc sequitur alia ejusdem dicta vel acta, quae divinitati ascribi nequeunt, intellegenda esse de alia ejus natura, humana scilicet, ratione cujus jam scimus eos, qui, sicut v. gr. S. Paulus, eum habent ut proprie Deum, tribuere illi infirmitates nostras et veram Deo Patri subordinationem. Non pauca ceterum explicantur ex intentione sive audientium sive loquentis, quatenus Christus semel pro semper elegit ad morem suae gentis se conformare et humano modo inter homines conversari.

Hinc explicabis v. gr. cur potestas faciendi miracula videatur aliquando ei non competere nisi ad mensuram, quatenus vel non possit facere miracula (*Marc.* 6. 5-6), vel ea faciat inscius (*Luc.* 8. 45) aut paulatim tantum (*Marc.* 8. 22-26). Haec enim rationem habent obviam et sufficientem in libera ejus ita procedendi voluntate.

Difficultas esse non potest nisi ex eo quod ipse apud S. Marcum, *loc. cit.*, dicitur « *non potuisse virtutem ullam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curasse* ». Sed ea etiam inde solvitur quod impossibilitas illa ascribitur defectui, non potestatis in Christo, sed fidei apud cives ejus ; consequitur proinde ad liberam eam ejus voluntatem, qua statuit fidem subjectivam cooperari, per modum conditionis sine qua non, exercitio

(1) Cf. D. Thomam. II. II. q. 14, a. 1. — De natura peccati, quod dicitur in Spiritum Sanctum, cf. GALTIER : *De paenitentia tract. dogmat. hist.* n. 198-199.

divinae suae potestatis [1]. Quod proinde additur : « *Et mirabatur propter incredulitatem eorum* » (v. 6), intellegas non mirationem, quae praeviam in eo ignorantiam seu deceptionem supponat, sed eam quae includat tristitiam et moerorem de civium suorum incredulitate.

57. Difficultas, quae contra divinitatem moveri possit ex ignorato die judicii alibi solvetur ubi agetur de scientia Christi.

Hic vero solvi debet ea quae oritur ex eo loco, ubi Christus ipse **dicere videtur sibi non inesse eam bonitatem, quæ sit Dei propria.** Interrogatus enim a quodam : « *Magister bone* », respondet : « *Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi unus Deus* » (*Marc.* 10. 18 ; *Luc.* 18. 19) [2].

Jamvero considerandum est hoc loco agi non proprie de bonitate morali, quae sit attributum Dei solius, sed de magistrali quadam benignitate (cf. *Mt.* 20. 15), quam auditor Christo gratulari affectat. Nam, ille qui tunc accedit ut interroget de vita aeterna, adolescens est quem valde commovisse videtur benignitas, qua statim antea Christus refertur usus esse erga parvulos : « *Sinite parvulos*... etc ». Haud immerito proinde existimatur appellationem illam « Magister bone » præmisisse, sive ut benevolentiam magistri conciliaret sibi, sive ut significaret quam benignum a tam benigno magistro speraret dari sibi responsum [3]. Christus ergo, cum ut magister humanus

(1) Ita jam Origenes optime : « Attende ad illud : « Et non poterat ibi virtutem ullam facere » ; non enim dixit, « nolebat », sed, « non poterat », tanquam in virtutem agentem adveniret adjumentum ex illius fide in quem virtus agebat, impediretur autem ab incredulitate quominus ageret.... Optime videntur mihi Matthaeus et Marcus, excellentiam divinae virtutis exponere volentes, quae et in incredulitate quidem valet, sed non tantum valet quantum in fide eorum qui beneficiis afficiuntur, dixisse, non hunc virtutes non fecisse propter eorum incredulitatem, sed non fecisse ibi virtutes multas. Et Marcus non dixit non potuisse ibi ullam facere virtutem, et ibi substitit, sed adjecit : « nisi paucos infirmos impositis manibus curavit », virtute, quae in illo erat, incredulitatem superante » (*Comment. in Matth.* t. X, 19 PG 13. 833 C-D).

(2) Aliter, apud *Mt.* 19. 16-17, quaestio ponitur ac responsum. « *Magister* [*bone*, in Vulgata], *quid BONI faciam ut habeam vitam aeternam? Qui dixit ei : « Quid me interrogas de bono? Unus est bonus, Deus* ». Hinc acatholici multi delectantur fingere omissionem et mutationem inductam esse voluntariam, ex intentione scilicet amovendi speciem negationis attributi divini de Christo. Hoc autem quam gratuito fingatur exinde jam abunde patet quod eadem S. Lucas, qui admittitur scripsisse post S. Matthaeum, recitat qualia leguntur apud S. Marcum.

(3) Cf. : Dalmann : *Die Worte Jesu*, p. 277 ; Lagrange : *L'évangile selon saint Marc*, in 10. 18.

interrogetur, respondet etiam ut magister humanus, at qui, pro more suo, non sibi sed ipsi Deo velit dari gloriam et honorem. Hinc est cur a se amoveat eam appellationem, quae captationem benevolentiae forte sapit, ac mentem adolescentis convertat ad eum qui solus ipsa benignitas est. Christus proinde hoc loco nec de se negat quidquam divini, nec se cum Patre suo comparat, ita ut illi soli tribuat quod sibi desit, sed simpliciter appellationem abjicit nimis adulativam et laudem docet soli Deo beberi [1].

58. Manet tandem Christi verbum, quo in cruce **queritur se esse a Deo derelictum** (*Marc.* 15. 34 ; *Mt.* 27. 46) : ea vox esse videtur hominis desperati nec qui sit conscius se esse Deum. Sed advertendum est Christum hoc loco recitasse initium psalmi XXI, qui querela re vera est ac oratio hominis in angustiis positi, at minime de Dei auxilio desperantis. Descripta enim, qua opprimitur, tribulatione, magna cum fiducia ad Deum convertit orationem suam ac confitetur Deo dandam esse gloriam, quod « *non sprevit neque despexit deprecationem pauperis, nec avertit faciem suam a me, et, cum clamarem ad eum, exaudivit me* » (v. 25) [2]. Immerito proinde miretur quis eum qui sit ipse Deus ita doluisse et questum esse se derelinqui a Deo. Haec sunt enim humanitus tolerata quae humanitus proferuntur, significant quantae fuerint Christi morientis angustiae, nec probant nisi quam vere fuerit homo is, quem alia demonstrant esse vere Deum.

§ III TESTIMONIUM S. JOANNIS

THESIS V — Ex evangelio S. Joannis constat non tantum auctorem docuisse Christi divinitatem, sed etiam Christum eamdem sibi vindicasse.

PARS I : **S. Joannes docet Christi divinitatem.**

59. 1° Res admittitur ab omnibus et probatur **ex toto evangelio,** cujus scopus est, auctore fatente, fidem facere « *quia Jesus est Christus filius Dei* » (20. 31) sensu quo S. Thomas eum confitetur « Dominum ac Deum suum » (20). Quem suum esse scopum S. Joannes iterum

(1) Cf. HUBY. *Evangile selon saint Marc,* p. 230-231.

(2) « Cette plainte n'était pas celle d'un révolté ou d'un désespéré ; c'était celle du juste souffrant et assuré quand même de l'amour et de la protection que lui garde jusque dans la mort le Dieu de toute sainteté » (LOISY : *Les ev. synopt.* t. II, p. 685).

significat in *sua prima epistola* (4. 14-15), ubi « *testificatus quoniam Pater misit Filium suum Salvatorem mundi* », addit : « *Quisquis confessus fuerit quoniam Jesus est Filius Dei, Deus in eo manet et ipse in Deo* ».

60. 2° Demonstrationem vero, quam in fine evangelii auctor se profitetur esse prosecutum, idem thetice proponit in **evangelii prologo.** Hujus enim ea dici potest esse summa : Christus est Verbum, quod caro factum est ; jamvero hoc Verbum est Deus ; ergo Christus est Deus... Verbum autem a S. Joanne in suo prologo dici Deum constat : — A) Ex v. 1, ubi explicite dicitur : « *Deus erat verbum* » (Θεὸς ἦν ὁ λόγος). Ibi enim vox Θεός sine articulo est praedicatum propositionis, cujus subjectum est ὁ λόγος. Vox Θεός autem sine articulo, in toto prologo (6. 13. 18) significat naturam divinam in genere per distinctionem ad « τὸν Θεόν » cum articulo, qui significat « Deum Patrem ». — B) Ex v. 14 collato cum v. 18. Ibi enim qui dicitur, postquam caro factus est, apparuisse tanquam « *unigenitus a Patre* » seu genitus modo ei exclusive proprio, idem vocatur « *unigenitus filius* », aut potius, juxta magis probatam lectionem in textu graeco, « μονογενὴς Θεός » (unigenitus Deus). — C) Ex ejus immanentia in Patre : « *erat apud Deum* (πρὸς τὸν Θεόν) (1), seu « *in sinu patris* » (εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρός) (18) : quo simul indicatur ejus et in Patre immanentia et a Patre distinctio. Haec enim est vis vocis πρός, ut apparet in *Marc.* 9. 19 et in 1 *Joan.* 1. 2, ubi de « *vita* », quae « *apparuit nobis* », dicitur pariter « *erat apud Patrem* ». — D) Ex eo quod ratio cur potuerit « *enarrare* » « *Deum, quem nemo vidit unquam* » significatur esse ejus immanentia in Patre (18, et *cf. Mt.* 11. 27, ubi pariter Pater ineffabilis dicitur soli Filio cognitus) [1].

PARS II : **Ex evangelio S. Joannis constat Christum divinitatem sibi vindicasse.**

61. Praenotanda. 1° Haec pars theseos est assertiva simul et illativa. Asserit Christi verba, qualia in Evangelio referuntur, fundere hunc sensum. Infert haec verba esse historica.

(1) Originem illius doctrinae de Verbo non est hujus loci determinare qualis proprie sit. Multa de hac quaestione scripserunt : P. PRAT in Vigouroux : *Dictionn. de la Bible*, art. λόγος ; P. LEBRETON : *Les origines du dogme de la Trinité* ; LAGRANGE : *L'évangile selon saint Jean.*

2° Assertio tantum probanda venit. Illatio enim fundatur aliunde notis, nempe in eo quod : — a) valor historicus evangelii alibi in genere probatus est ; — b) doctrina de Christi divinitate ac de divino ejus in sanctificandis fidelibus munere, qualem se prodit in epistolis S. Pauli, facit verba Christi, qualia referuntur a S. Joanne, non tantum verosimilia sed etiam necessario supponenda ; — c) modus specialis, et a Synopticorum modo adeo diversus, quo S. Joannes refert verba Chisti, non praejudicat eorum historicitati substantiali : indicium hoc est tantum eum illa diu meditatum esse ac sub influxu Spiritus Sancti plenius intellexisse ; ipse enim non semel asserit discipulos multa non attendisse aut intellexisse nisi post acceptum Spiritum, quem Christus dicitur ideo praecise promisisse ut eis opportuno tempore suggereret quae ipse jam eis dixisset v. gr. 2. 22 ; 7. 39 ; 12. 16 ; 13. 7 ; 14. 26 ; 16. 4 [1].

Probatur assertio.

62. 1° **Eadem sibi ac Patri exigit :** cultum scilicet FIDEI (6. 29-47 ; 11. 26 ; 14. 1 ; 17. 3), SPEI (14. 13-14 ; 15. 5-7 ; 16. 33), CARITATIS super omnia (14. 21-28 ; 16. 7-13).

2° **Se dicit de caelo descendisse** (3. 13 ; 6. 38-41. 50-51. 62). — **antiquiorem** quam Abraham (8. 52-56), — claritatem **habuisse apud Patrem** suum prius quam mundus esset (17. 5).

3° **Se dicit eum esse, de quo Spiritus Sanctus accipiat** (16. 14-15) : quo jam omnino supponitur esse Deus, cum Spiritus Sanctus, ut patet, nequeat quidquam accipere ab eo qui non sit et ipse Deus. — Quod confirmatur ratione ab ipso addita. Ait enim ideo posse Spiritum Sanctum « *de suo* » accipere quia « *quaecumque habet Pater sua sunt* » ; hoc autem est dicere se a Patre habere aut potius una cum Patre habere unde Spiritus Sanctus accipiat. Jamvero qui cum Patre fons est aut principium Spiritus Sancti, Deus omnino ac plene est.

63. 4° **Judaeis volentibus eum interficere,** quia « *patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo* », respondet, non suadendo aliam dictorum suorum interpretationem, sed eamdem confirmando (5. 16-27).

Cum enim paralytico Probaticae piscinae Jesus dixisset : « *Tolle grabatum tuum et ambula* », persequebantur eum Judaei « *quia haec faciebat sabbato* ». Jesus autem respondit rationem dando, quia, cum « *Pater suus*

(1) De veracitate S. Joannis. cf. *tract. de vera religione* et LEBRETON : *Les origines du dogme de la Trinité,* p. 374-382).

usque modo [id est etiam sabbato] *operetur* », et ipse pariter « *operatur* » (v. 17). Quo Judaei intellexerunt eum tantam sibi cum Patre tribuere aequalitatem potestatis ut esset et ipse « *dominus sabbati* » (*Marc.* 2. 28 et *Mt.* 12. 8). Hinc est cur eum « voluerint interficere, non solum » jam « quia solvebat sabbatum », sed quia « et patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo » (v. 18). Ille vero aequalitatem eam, qua videt Judaeos adeo commoveri, non tantum a se non abjicit, sed econtra confirmat, respondendo, cum addita solemni formula : « *Amen, amen dico vobis* », tantam esse re vera sui cum Patre conjunctionem ut « *quaecumque ille fecerit, haec et Filius similiter faciat* » (19), voluntas sit Patris « *omnes honorificare Filium sicut honorificant Patrem* » (23) ; « *sicut Pater habet vitam in semetipso, sic et Filio dederit habere vitam in semetipso* » (26).

Jure ergo, ex hoc solo loco concludas Christum, contra Judaeos murmurantes, sibi aperte vindicasse divinitatem proprie dictam.

64. 5° Idem concludas ex *cap.* 10. 28-39, ubi ita affirmat et confirmat **se esse cum Deo Patre unum**, ut Judaei velint eum interficere « *quia, cum sit homo, se facit Deum* » (33. et 39).

In hac enim pericopa distinguere licet : A) *Assertum Christi, quod Judaeis movet scandalum* (28-30). Hoc autem est ideo non posse quemquam oves, quibus ipse dat vitam aeternam, rapere de manu ejus, quia hoc esset rapere eas de manu Patris ejus, quocum unum est. Quibus in verbis advertas duo simul includi, scilicet aequalem esse Filii ac Patris potentiam, et rationem illius aequalitatis esse unitatem Filii cum Patre. Eam vero unitatem debere intellegi, non moralem, per concordiam voluntatum, sed operationis proindeque et naturae, constat ex eo quod moralis voluntatum unitas nec Filio conferret eam potentiae aequalitatem, quam sibi cum Patre tribuit, nec Judaeis tantum moveret scandalum. — B) *Scandalum Judaeorum quale ipsi exponunt* (31-33). Arguunt eum blasphemiae « *quia, cum sit homo, se facit Deum* » ; ac propterea volunt eum lapidare. Unde constat eos Christi verba intellexisse de aequalitate ac unitate physica seu naturali. — C) *Responsum Christi ad Judaeos* (34-38), in quo duae sunt partes : *Prior* (34-36) est argumentatio a minori ad majus, qua accusationem blasphemiae a se depellit : cum ipsa Scriptura (*Ps.* 81, 6) deos dicat meros homines, blasphemiae non propterea argui potest vir, quem sua opera probant esse a Deo Patre sanctificatum et missum in mundum. *Posteriore responsi parte* (37-38) Christus ea repetit, unde disceptatio orta erat : « *Si mihi non vultis*

credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis quia Pater in me est et ego in Patre ». — D) Conclusio tunc est (39) : Hoc audito responso, Judaei quaerunt eum apprehendere, sed exit de manibus eorum. Per conclusionem proinde apparet Christum dicta sua nec retractasse nec ita explicasse aut attenuasse, ut Judaeis jam non videretur se facere Deum.

Et, re vera, responsum ejus non ad hoc tendit ut explicet quo sensu se dixerit cum Deo Patre unum, aut insinuet ipsum non se dicere Deum nisi ad modum quo Scriptura justos in genere vocavit deos ; argumentatione sua vult tantum excludere praejudicium, ex quo non possit quis sine blasphemia se dicere Deum ; hoc autem ita semoto praejudicio, iterum se dicit Dei filium ac urget credendum esse Patrem sibi et se Patri inesse. Hoc autem est tueri ac confirmare suam cum Patre aequalitatem et unitatem, seu, ut Judaei recte intellegunt, adhuc se facere Deum.

65. Nec dicas, cum Holtzmann [1], quem Loisy [2] sequitur, Judaeos in hoc errasse, Christum vero in hac tota disceptatione non aliam sibi vindicasse cum Patre unitatem ac eam quae sit inter organum et eum qui per illud operatur. Nam hoc est gratuito Judaeis obtrudere errorem et confusionem, quae textu et contextu excluditur. Judaei enim non ii erant qui nescirent quanta sit prophetae aut hominis miracula operantis cum suo Deo unitas ; nec proinde dixissent eum hominem se facere Deum, qui meram hujusmodi sibi vindicasset cum Deo Patre unitatem. Et, re vera, aequalitas et unitas, quam Christus de se cum Patre praedicat, alius omnino rationis est, ut jam diximus. Tanta siquidem est ut, sicut Pater in Filio ita Filius sit in Patre : quod nullus unquam propheta de se somniaverit ; hujusmodi praeterea est ut, ratione illius, Filius possit vitam suis ovibus ipse dare aeternam, quin possit quis aut quidquam hoc prohibere : hoc enim esset ovibus ruinam inferre aeternam ac eos de manu Filii rapere, quod a Christo dicitur ideo impossibile quia ipse et Pater unum sunt.

Dices : Attamen ipse Christus (Joan. 17. 11) significavit suam cum Patre unitatem non esse nisi moralem, siquidem ibi rogat suos esse inter se « unum » sicut ipse et Pater unum sunt.

(1) In Joan. 10. 38 *Hand-Commentar,* p. 132-133.

(2) *Le quatrième évangile,* p. 629. « Le Père est en lui comme dans son unique organe ; il est dans le Père par le mouvement de sa volonté, comme en celui qui lui donne toute force pour agir, et en qui il vit comme dans son élément. Tel est le rapport du Verbe incarné avec le Père céleste, et le prototype de l'union qui doit exister entre le Christ et ses fidèles ».

RESPONDEO. Utique Christus hoc loco significat suam cum Patre unitatem fore exemplo suis ut sint inter se « unum ». At exinde non sequitur suam cum Patre, ex eorum inter se, dimetiendam esse unitatem ; exemplum enim valde potest excedere exemplatum. Et, re vera, inter Filium et Patrem unitas est etiam moralis, quae possit et ipsa fidelibus in exemplum proponi. At potest praeterea esse inter eos unitas physica seu naturalis, quae sane non dicitur esse tunc a Christo de se affirmata, at minime etiam excluditur, si aliunde probatur. Uno verbo, negamus dicta a Christo in cap. 10. 28-39 interpretanda esse per ea quae dicit in cap. 17. 11 et 21.

66. Solvuntur objectiones : 1° Textus tam multi, ubi Christi ad Patrem vera significatur subordinatio, quatenus v. gr. mandatum accipit a Patre, Patrem ipse rogat, etc, intelleguntur de ejus humanitate. Christus enim, etsi unica persona est, tamen, quia duas in se habet naturas secundum quas diversa operatur, aequivalet duabus personis : hinc est cur modo se Patri exaequare possit, modo illi se subordinare.

2° Etiam verbum « *Pater major me est* » (14. 28), etsi olim a S. Athanasio et aliis etiam contra Arianos intellectum est de divinitate, quam Pater solus habet non communicatam, Filius autem non habet nisi a Patre tanquam a principio suo communicatam, tamen melius cum aliis intellegitur de humanitate. Imo hodie non toleraretur ab ullo catholico dici suo nomine Filium, qua Verbum, esse minorem Patre...

3° Dictum « *ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum* » (17. 3), quod, juxta verbum *Deuteronomii* (32. 39) : « *Videte quod ego sum solus Deus et non est alius Deus præter me* », videtur excludere Christum a divinitate, quae sit solius Patris, excludit tantum omnem alium Deum, qui sit praeter unicum illum Deum, ut constat tum ex contextu in Deuteronomio, tum ex scopo S. Joannis, qui, in evangelio sicut in prima sua epistola, vult ostendere veram essentiam divinam esse in carne Christi, non autem inesse illi aliquam potentiam intermediam qualem fingebant v. gr. docetae. Hinc ejus explicita assertio « *Jesum Christum esse verum Deum et vitam aeternam* » (1 *Joan.* 5. 20) — Sensus proinde verbi Christi est : « te, qui es solus Deus verus », at non : « te, qui solus es Deus verus ».

CAPUT SECUNDUM

DE PERSONALI NATURARUM IN CHRISTO CONJUNCTIONE

67. Mysterium hoc proprie est Incarnationis. De hoc etiam haereses christologicae praecipuae. Ortae sunt omnes ex cura statuendi relationem quae sit divinitatis et humanitatis in Christo, et ex difficultate determinandi quanta sit ejus unitas, seu qualis et quanta sit in eo duarum naturarum conjunctio. Unitatem alii voluere tantam ut jam non duas sed unicam inducerent in Christo naturam simul et personam. Alii econtra naturas adeo voluere disjunctas ut, Christo quasi soluto, duas inducerent in eo personas.

Fides econtra catholica tenet Christum adeo esse unum ut unica sit in eo, Filii Dei, persona ; at duas illius personae naturas adeo, etiam in unione, manere distinctas ut utraque, sine ulla sui cum alia confusione aut attemperatione, suam servet integritatem et exserat activitatem. Quam doctrinam, quia contra praedictas haereses Ecclesia definivit ac determinavit in conciliis **Ephesino** (431), **Chalcedonensi** (451), **Constantinopolitano** II° (553) et III° (681), priusquam exponamus ac demonstremus, expedit praemitti historicam expositionem brevem factorum, quibus ad hujusmodi definitiones deventum est.

Praevius conspectus historicus.

68. I. Priores errores fuere haereticorum, qui, primario circa divinitatem aut humanitatem errantes, secundario errarunt etiam circa utriusque conjunctionem.

1° **Monarchiani,** saeculo 3°, cum personam tenerent esse in Deo unicam, multi unionem illius cum homine ex Maria nato habuere mere dynamicam, ideoque Christi admisere unicam physice esse naturam simul et personam, in qua et per quam Deus redemptionem operatus fuerit et quam, pro suo morali profectu, in filium Deus adoptaverit. Ita, circa 240, Beryllus Bostrensis (apud Euseb. : H. E. VI. 33 PG 20. 563 A et forte apud Origenem : *In epist. ad Tit. fragm.* 2 PG 14. 1304 C-D) ; item Paulus Samosatensis, damnatus in concilio Antiocheno anni 268 [1], cujus doctrinam instaurasse videtur, saeculo 4°, Photinus Sirmiensis [2].

2° **Ariani** econtra Verbum Dei, quod tenebant penitus a Deo Patre

(1) De cujus doctrina, cf. BARDY : *Paul de Samosate,* l. II. — (2) *Ibid.* l. IV, ch. I.

personaliter distinctum, adeo voluere carni immersum ut illi non tantum pro persona sed etiam pro anima esset.

69. II. **Apollinaris**, episcopus Laodicensis, etsi Verbi contra Arianos propugnavit perfectam divinitatem, tamen illud et ipse voluit esse in Christo pro anima aut saltem pro mente humana.

Haud aliter putabat posse in tuto poni Christi unitatem ontologicam simul et moralem : nam, aiebat, ex duobus completis non potest fieri unum (δύο τέλεια ἓν γένεσθαι οὐ δύναται), neque, ubi datur duplex intellectus, dari potest voluntatis et personae unitas. Naturae humanae ea erat obtruncatio aut cum divina conjunctio tanta ut unicum exsurgeret in Christo activitatis principium divino-humanum.

Apollinaris, improbatus jam a S. Athanasio in *Tomo* ad Antiochenos (PG. 26. 804 B), anno 362, damnatus est tum a S. Damaso in synodo Rom. anni 380, a concilio Cp^{lano} I anni 381 (D-B. 55 et 85 ; C. 658 et 553). — Discipulos habuit imprimis *Synsusiastas* — ex gr. voce συνουσίωσις = *consubstantiatio* —, qui naturarum proprietates voluere adeo inter se fieri communes ut jam non esset in Christo nisi unica substantia et natura. Hinc postea Monophysitae.

Ex Apollinaristarum imo operibus, S. Athanasio subdole ascriptis, desumpta est formula S. Cyrilli Alexandrini : μία φύσις τοῦ Θεοῦ λόγου σεσαρκωμένη, (Una natura Dei Verbi incarnata) ; quam videbimus infra tam multis movisse suspicionem Apollinarismi.

70. III. **Nestorianismus** ortus est ex impugnato arianismo simul et apollinarismo.

1° **Origo**. Praeformatus a Diodoro Tersensi († ante 394) et a Theodoro Mopsuestano († 428), auctorem habuit NESTORIUM, qui Constantinopoli constitutus episcopus (428), ex scopo secludendi a Verbo omnem speciem deminorationis seu commixtionis cum carne, praedicavit illum ita unitum homini perfecto, ex Virgine concepto et nato, ut conceptio tamen et nativitas humana omnino non esset ejus, nec Maria proinde dici posset vere et proprie Dei genitrix (Θεοτόκος).

2° **Historia**. Accusatus propterea tum apud S. Cyrillum Alexandr. tum apud S. Coelestinum Rom. Pont., Nestorius in synodo Romana a S. COELESTINO damnatur et jubetur doctrinam suam abjicere. In concilio vero **Ephesino (431)**, praesidente S. Cyrillo, anathema dicitur illius doctrinae et ipse deponitur.

Non pauci tamen episcopi Orientales, in primis JOANNES ANTIOCHENUS et THEODORETUS CYRENSIS, etsi Nestorii doctrinae non omnino adhaerent, sententiam concilii non agnoscunt et in suo ibidem concilio damnant

S. Cyrillum, cujus « *anathematismi* » apollinarismum et monophysismum jam eis sapiunt.

433. Joannes Antiochenus et S. Cyrillus consentiunt de *symbolo*, quod dicitur *unionis* (C. 675). — At non pauci S. Cyrilli amici eum impugnant, ut qui eo ipso suae ac verae doctrinae defuerit.

433-440. Edicta imperatoris contra Nestorium ejusque libros atque fautores : Theodoretus Cyrensis aliquatenus S. Cyrillo reconciliatur.

Nestorius vero in exilium actus apologiam suam, sub titulo *Liber Heraclidis Damasceni*, scribit, in qua contendit suam doctrinam, olim male a S. Cyrillo impugnatam, esse eam ipsam quam S. Leo Magnus, epistola dogmatica ad Flavianum, contra Ægyptios tandem professus sit. — Moritur 451, ante concilium Chalcedonense [1].

71. IV. **Monophysismus** oritur in genere ex cura tuendi contra Nestorianos unitatem Christi et in specie ex pertinaci et obcaecata adhaesione formulis aequivocis S. Cyrilli : « unio physica » (ἕνωσις φυσική) et « una natura Verbi Dei incarnata » (μία φύσις τοῦ Θεοῦ Λόγου σεσαρκωμένη).

1° **Primi auctores et fautores.** Constantinopoli, EUTYCHES, presbyter et archimandrita... ; Alexandriae, DIOSCORUS, olim archidiaconus S. Cyrilli, ejus assessor Ephesi, successor anno 444 — Hi omnes verum et crassum monophysismum admittunt : Christus sit ex duabus quidem naturis, at quae, post unionem, jam non sint duae sed una tantum : ἐκ δύο φύσεων γεγενῆσθαι πρὸ τῆς ἑνώσεως,... μετὰ δὲ τὴν ἕνωσιν μία φύσις.

2° **Condemnatio :** 448 : Eutyches damnatur et deponitur in synodo Cp^lano^ a suo episcopo Flaviano. — Appellat ad *Leonem Rom. Pont., ad Dioscorum Alexandr.*, et ad imperatorem.

449. S. LEO MAGNUS condemnat Eutychetem, et doctrinam catholicam exponit in sua « *epistola dogmatica* ad Flavianum » (D-B 143 ; C. 677-683). Sed « **Latrocinium Ephesinum** », praeside Dioscoro, vindicat Eutychetem, deponit Flavianum et duos episcopos Nestorianismi suspectos, Ibam Edessenum et Theodoretum Cyrensem — 450. Mortuo imperatore Theodosio, succedit Marcianus cum Pulcheria.

451. Concilium Chalcedonense dammat Eutychetem et Dioscorum, definit doctrinam de duabus naturis (D-B. 148 ; C. 688-690) et, anathemate

(1) Nestorii doctrina nobis non innotescit fere nisi in fragmentis operum ejus, quae recitant ejus adversarii. — Ea collecta a GARNIER habes in PL 48. 767-905 et digesta alio ordine in opere edito a LOOFS : *Nestoriana.* — Posthumum Nestorii opus, in syriaca ex graeco versione servatum edidit gallice NAU : *Le livre d'Héraclide de Damas.*

dicto Nestorio, admittit ut orthodoxos Ibam et Theodoretum.

3° **Evolutio**: Persistunt Monophysitae in abjicienda definitione et concilio Chalcedonensi, quasi nestorianismo indulserit, at suam doctrinam alii aliter explicant : A) Alii unam realiter post unionem profitentur naturam, quam, neque divinae neque humanae plene consubstantialem, existimant oriri ex aliquali utriusque permixtione aut confusione. — B) Alii, etsi naturam humanam admittunt etiam post unionem menti apparere a divina distinctiam, ita ut ut nulla sit utriusque commixtio aut confusio, tamen persistunt profiteri Christum ita esse unum ut illius sit una natura seu hypostasis (μία φύσις, μία ὑπόστασις) incarnata. — Ita, in specie, **Severus Antiochenus**, cujus error forte non fuit nisi in abjiciendis formulis ab Ecclesia decretis [1]. Nec, quoad rem, dissentit in hoc ab eo Julianus Halicarnassensis [2].

72. V. Controversia de tribus capitulis.

1° **Occasio** : Vehementes impugnationes Monophysitarum contra conc. Chalcedon., quod contendunt Nestorianismo indulsisse, quia non excluserit Theodoretum Cyrensem et Ibam Edessenum, qui olim scripserat ad Marin episcopum persicum epistolam de orthodoxia Nestorii et Theodori Mopsuestani.

2° **Facta** : 482. Imperator Zeno, ad fovendam adhaesionem concilio Chalced., edit suum **Henoticon**, quo, damnato Nestorio simul et Eutychete, excludit tamen aliud symbolum ac Nicaeno-Constantinop., proindeque, quin dicat unam duasve naturas, rejicit epist. dogmat. S. Leonis et definitionem concil. — Hinc **schisma orientale, quod dicitur Acacii**, episc. Cp^{lani} (484-519). Unio restituitur, subscribentibus episc. orientalibus orthodoxis **formulae papae Hormisdae** (D-B. 171 ; C. 351).

544. Imperator Justinianus, spe reconciliandi monophysitas, edictum dat, quo, confirmato concilio Chalcedonensi, tamen anathema dicit **tribus**, quae dicuntur, **capitulis**, id est, scriptis trium, quos Monophysitae semper nestorianos dixere, Theodori Mopsuestani, Theodoreti Cyrensis, Ibae Edesseni.

548. **Vigilius** papa cogitur, Constantinopoli, edere suum **Judicatum**, quo, renitente Occidente, edictum Justiniani confirmat. — 550 Convocatur concilium Cp^{lanum} II, in quo controversia de Judicato Vigilii in Occidente orta dirimatur.

553. **Concilium Cp^{lanum}** II, — contradicente Vigilio et absentibus episc. Occidentalibus, — condemnat « *Tria capitula* ». At, interim, Vigilius

(1) Cf. Lebon : *Le monophysisme sévérien ;* Tixeront : *Hist. des dogmes*, t. III, ch. IV, § 2 et 3.

(2) Cf. Draguet : *Julien d'Halicarnasse et sa controverse avec Sévère d'Antioche sur l'incorruptibilité du corps du Christ.* (Lovanii, 1924).

scribit Justiniano suam epistolam, quae dicitur **Constitutum,** ubi censet abstinendum esse a condemnatione. Postea vero Vigilius, inter exilium et persecutiones, edit **Constitutum secundum,** quo ipse et *Tria capitula* condemnat et decreta concilii rata habet (D-B. 213-228 ; C. 706-719).

73. VI. Monothelismus.

1° **Occasio** : Desiderium reconciliandi Monophysitas. Hinc enim facultas eis relinquitur, dummodo duas *quoad essentiam* distinctas naturas profiteantur, admittendi naturam humanam esse mere passivam, ita ut, etsi operationes Christi sint theandrici compositi, tamen natura divina sit unicum illarum principium.

2° **Facta.** 634. **Sergius,** episc. Cp[lanus], obtinet a Rom. P. **Honorio** duas epistolas, quibus probatur silentium œconomicum de unica an duplici operatione in Christo (D-B 251-253 ; C. 725-728) — 638. Sergius, mortuo Honorio, inducit imperatorem Heraclium ad publicandum edictum, (= **Ecthesim** = expositionem fidei), quo prohibetur quidem disputatio de una vel duabus operationibus, at simul dicitur Nestorianus omnis qui duas in X° praedicet voluntates — 648. Formulam illam vehementer impugnatam a RR.PP. imperator Constans II confirmat edendo suum **Typum.**

649. Rom. P. **Martinus I,** in **synodo Romana,** solemniter damnat *Ecthesim, Typum* et omnem doctrinam Monotheietarum (D-B 259-274 ; C. 729-730) — Quapropter Constantinopolim eductus, moritur in exilio.

681. Concilium Cp[lanum] **III,** favente restitutioni unitatis imperatore Constantino Pogonato, habitum, probat epistolam dogmaticam Rom. P. **Agathonis** (D-B 288 ; C. 737-738) et solemni sua definitione (D-B 289-293 ; C. 741 745) finem fecit controversiis illis magnis de modo quo duae naturae in Christo uniantur [1].

(1) Mahumetani interea invaserant Persidem, Arabiam, Syriam ; ecclesiae praeterea haereticae firmatae erant :

A) *Nestoriana,* in Perside et Mesopotamia. Initium habuit non ex damnato praecise Nestorio, sed ex depulsa ab imperatore Zenone (489) schola nestoriana Edessena, cujus caput Barsumas Nisibensis aufugiens, imperatorem postea sibi conciliavit ac ab eo agnitus est episcopus. - Permanent illius Ecclesiae reliquiae, at pars aliqua jamdiu ad unitatem rediit catholicam et vocatur Ecclesia Chaldaïca.

B) *Monophysita :* a) in Ageypto, ubi, praeter paucos, qui orthodoxiae imperatorum adhaeserunt et vocati sunt propterea Melchitae, nunquam agnitum est concil. Chalcedon. Hinc Ecclesia Coptica, cui semper adhaeserunt Aethiopes ; - b) in Armenia ; — c) in Syria et Mesopotomia, ubi, imperante Justiniano et favente uxore ejus Theodora, constituta est hierarchia episcopalis a Jacobo Baradai : hinc Ecclesia, quae, inde ab anno 549, dicitur ***Jacobitarum.***

74. VII. Errores hodierni.

Catholicis jam non licebat nec licet, sine detrimento fidei, abjicere quidquam ex eis quae praedicta concilia definierunt. Haeretici propterea et schismatici, qui recentiori aetate ab Ecclesia defecerunt, servaverunt doctrinam Chalcedonensem : ita v. gr. Photiani et Protestantes.

Saeculo tantum XIX, consequenter ad inductam in philosophia identificationem personae cum conscientia psychologica, errores de Christo iterum orti sunt, qui antiquas haereses vel suscitaverunt vel ut illegitime condemnatas propugnaverunt.

Günther v. gr. et **Baltzer,** medio saeculo XIX, unionem duarum naturarum iterum induxere mere dynamicam et moralem ; voluere enim Christum hoc sensu esse unum, quod humana conscientia perfectissime conscientiae Verbi subderetur et utraque perciperet hanc suam cum altera constantem harmoniam atque conspirationem [1].

Modernistae in genere existimant definitiones conciliorum antiquorum editas esse juxta notionem personae tunc temporis praevalentem et aptissimas fuisse ad exprimendum id quod conscientia christiana ea aetate de Christo sentiebat. Easdem vero docent factas esse mentibus hodiernis inintelligibiles eoque magis abjiciendas quod non expresserint id quod Christus ipse de se docuerit. (D-B 2031 ; C. 772[31]).

75. Dogmatum historici acatholici idem plerique sentiunt. Cum Christum non admittant fuisse proprie Deum, unionem naturarum, si quo modo curant, intellegunt vel de mero influxu, qui fuerit Dei, in humanam Christi conscientiam, vel de obscuro quodam et subconscio sensu, quo Christus se perceperit Deo prae omnibus dilectum atque consentientem.

Adoptianismum proinde antiquum potius profitentur nec dissimulant condemnationem Pauli Samosatensis atque Nestorii sibi videri luctuosissimam [2]. Ecclesia tunc abruperit a primaeva consideratione **Christi historici** seu hominis in Deum exaltati, eique substituerit piam contempla-

(1) Eadem via processit Rosmini, unitatem repetendo ex voluntatum perfecta conjunctione. Cf. prop. damnatam 27[am] (D-B 1917 ; C. 771).

(2) « Fragt man, welches das traurigste und verhängissvollste Ereignis in der Dogmengeschichte seit der Verurteilung Paul's von Samosata gewesen ist, so hat man auf die Union vom J. 433 zu weisen ». (Harnack : *Dogmengesch.* II[4], p. 374). « Unio » est praeludium confusioni Chalcedonensi — « Die Verdammung des Nestorius ist das verhängnissvollste Ereignis in der Geschichte der Christologie gewesen » (Rh. Seeberg : *Lehrb. der Dogmengesch.* II[2], p. 280).

tionem **Christi fidei**, seu Dei carni immersi, qua jamdiu delectati essent Alexandrini et Orientales.

Confusionem utriusque illius modi sentiendi de Christo sanciverit concilium Cp^lanum^ II (533), ubi distinctionem naturarum, ab Ephesino improbatam et a Chalcedonensi definitam [1], edixerit intellegendam non sensu antiocheno, qui Nestorii fuerat, sed potius Alexandrino, qui fuerat S. Cyrilli [2].

Doctrina de natura humana, quae careat hypostasi propria, sit proinde fucatus monophysismus aut imo apollinarismus formulis Chalcedonensibus involutus, et a scholasticis tum Orientalibus, cum Leontio Byzantino et Joanne Damasceno, tum Occidentalibus in genere ad nos usque transmissus [3]. *Homo* jamdiu non agnoscatur in Christo nisi *schematicus et abstrac-*

(1) « Das merkwürdige Resultat war, dass... die vierte ökumenische Synode die dritte geradezu annullirt. Zwar ist Nestorius nicht restituirt worden, aber was er wollte, ist — wenigstens dem Ansatz nach — durch das Chalcedonense für immer anerkamt, und das, was er bekämpfte, für immer verworfen worden » (SEEBERG : *loc. cit.*, p. 246). — « Die Synode von Chalcedon, die man zum Unterscheid von der Räubersynode Räuber - und Verräthersynode nennen könnte, hat das Geheimnis des griechischen Glaubens verrathen » (HARNACK : *loc. cit.*, p. 373 et cf. p. 391 : « Die Schmach dieses Konzils liegt darin, dass die grosse Majorität der Bischöfe, die wie Cyrill und Dioskur gesinnt waren, schliesslich eine Formel von Fremden, vom Kaiser und vom Papst aufnötigen liess, die ihrem Glauben nicht entsprach ». Cf. etiam p. 397-398).

(2) « Die Verdammung der drei Capitel enthielt ihrer Tendenz nach eine Correctur des Chalcedonense.... Der Kaiser corrigirte die Synodalbestimmung nach dem Geiste der orientalischen Kirche, der zu Chalcedon selbst zurüchgedrängt worden war. Er tilgte den abendländischen Einfluss ; er führte das Chalcedonense auf Cyrill zurück ; er restituirte den dogmatischen Gedanken der beiden ephesinischen Concilien, ohne das Chalcedonense anzutasten » (HARNACK, *loc. cit.* p. 419, et cf. p. 434) — « Mit dem... Konzil von 553 [war] der Sieg der cyrillisch-chalcedonensischen Orthodoxie besiegelt.... Durch seine 14 Anathematismen sicherte das Konzil die cyrillische Interpretation des Chalcedonense gegen jeden Versuch einer antiochenischen Ausdeutung seiner abendländischen Elemente » (LOOFS : *Leitfaden zum Studium der Dogmengesch.*, § 39, 6^b^ ; cf. item, etsi minus firmiter, SEEBERG, *loc. cit.*, p. 259).

(3) « Gesiegt hat in der griechischen Dogmatik, in religioser Hinsicht, Apollinaris. Der gemässigte Doketismus, den dieser rund, keck und offen ausgesprochen hat, liegt der Christusvorstellung der Orthodoxie, freilich durch allerlei Formeln verhüllt, zu Grunde. In diesen steht die Orthodoxie den Antiochenern viel näher als dem Apollinaris ; aber in der Sache hat sich von der antiochenischen Theologie nur die Behauptung erhalten, Christus habe eine wirkliche und vollkommene menschliche Natur gehabt » (HARNACK, *loc. cit.*, p. 438, nota 1 p. 436).

tus, quem formulae dogmaticae proferant et theologi logice definiant, at quem mentes jam non apprehendant nisi *in Deo consumptum*. Hoc sensu, Apollinarismus sit a saeculis multis haeresis ubique vigens [1].

76. Contra quos omnes, Pius X, decreto suo « Lamentabili », condemnavit tum proposit. 22am, qua affirmatur in genere « dogmata non esse [nisi] interpretationem quamdam factorum religiosorum, quam humana mens laborioso conatu sibi comparavit », tum 26am, qua edicitur « dogmata fidei retinenda esse tantummodo juxta sensum practicum, non vero tanquam normam credendi », tum 31am, qua affirmatur « doctrinam de Christo, quam tradunt... concilia Nicaenum Ephesinum, Chalcedonense, non esse eam quam Jesus docuit sed quam de Jesu concepit conscientia christiana » (D-B. 2022; 2026; 2031; C. 15; 772[31]).

Nobis igitur, quin controversiarum Christologicarum historiam ulterius prosequamur, statuendum est quo praecise sensu et quo jure Ecclesia definierit fidem suam de modo quo duae in Christo uniuntur naturae. Hoc autem faciemus duplici articulo ostendendo utriusque naturae: 1° unicam quidem esse personam, in qua uniantur; 2° distinctionem tamen manere perfectam quoad esse simul et operari.

ARTICULUS I

DE UNICA DUARUM NATURARUM PERSONA FILII DEI

THESIS VI — Dogma Ecclesiae catholicae est, Scriptura ac traditione fundatum, duas in Christo naturas ita esse Filii Dei ut ipse sit utriusque persona unica.

77. Praenotanda: I. **Scopus ac sensus generalis theseos.** Thesis duas partes habet, quarum una determinat quo sensu unica sit in Christo persona, altera asserit dogma hoc sensu definitum fundari Scriptura ac constanti Ecclesiae traditione.

Primae partis ratio est necessitas praecavendi difficultates et ambiguitates, quae multis oriuntur ex circumstantiis et modo quibus hoc dogma definitum est.

Aliis enim error Nestorii, contra quem data est definitio, videtur esse ab ejus adversario S. Cyrillo Alexandr. confictus, cum econtra

(1) Cf. E. Raven: *Apollinarism; An Essay on the Christology of the Early Church*, p. VII.

a Nestorio denunciatus sit in S. Cyrilli doctrina ille ipse monophysismus, quem re vera tam multi ejus discipuli postea professi sunt.

Aliis autem persona, quae definita est in Christo unica, videtur esse intellecta juxta philosophiam jamdiu antiquatam, ita ut sensus illius definitionis jam sit corrigendus et praevalenti nunc personae notioni accommodandus,

Scopus igitur illius primae partis est statuere quid sit ab Ecclesia, de unitate personae in Christo vere proindeque irrevocabiliter definitum, ostendendo dogma praescindere in se a subjectivo Nestorii errore [1], non implicare personae notionem ullam proprie philosophicam, sed eam tantum quae sit omnibus hominibus obvia proindeque apprehensibilis rudibus etiam illis qui dogma profitendum habent, non excludere igitur nisi illam philosophicam personae notionem, quae notioni illi vulgari contradicat.

78. II. **Circumstantiae definitionis.** 1° **Occasio definitionis** fuit doctrina Nestorii episc. Cp$^{\text{lani}}$ de conjunctione divinitatis et humanitatis in Christo ac de sensu quo propterea Maria dici possit Dei genitrix (θεοτόκος).

Is enim, ut erat in schola Antiochena eruditus et Diodori Tarsensis atque Theodori Mopsuestani discipulus, duas naturas volebat in Christo adeo distingui — vel disjungi : διαιρεῖν, χωρίζειν — ut Christus non esset unus, unus filius et una persona, nisi quia « utraque natura, per conjunctionem summam et inconfusam (συνάφειαν ἄκραν καὶ ἀσύγχυτον) in una persona Unigeniti, adoratur »[2], seu « duarum naturarum una est auctoritas, et virtus seu potentia, et unum *prosopon* secundum unam dignitatem et eumdem honorem »[3]. Homo enim in Christo, ratione divinae suae conjunctionis cum Deo, *coadoratur ;* quia ipse a Deo indutus est et in eo Deus absconditur, colitur et ipse (Διὰ τὸν φοροῦντα τὸν φορούμενον σέβω, διὰ τὸν κεκρυμμένον προσκυνῶ τὸν φαινόμενον). Quia Deus ab eo inseparabilis est, non separatur honor Deo exhibendus (Ἀχώριστος τοῦ φαινομένου Θεός, διὰ τοῦτο τοῦ μὴ χωριζομένου τὴν τιμὴν οὐ χωρίζω).

(1) Id est, a quaestione utrum Nestorius ipse id praecise senserit, quod, illi exprobratum, condemnatum est. Posito enim in tuto facto dogmatico de objectivo illius errore, locus manere potest dubio de sensu ejus subjectivo, quem ne Ecclesia quidem judicare intendit, etiam ubi damnat doctrinam aliquam in sensu ab auctore intento. — De Nestorii doctrina, cf. infra *Scholion* speciale.

(2) Epist. 2 ad S. Coelestinum (PL. 50. 443 B ; Loofs : *Nestoriana,* p. 171$^{6\ 8}$).

(3) Τῶν δύο φύσεων μία ἐστιν αὐθεντία καὶ μία δύναμις ἤτοι δυναστεία, καὶ ἓν πρόσωπον κατὰ μίαν ἀξίαν καὶ τὴν αὐτὴν τιμήν (Loofs : *op. cit.* p. 196 et cf. 224).

« Distinguo naturas, unio adorationem » (Χωρίζω τὰς φύσεις, ἀλλ' ἑνῶ τὴν προσκύνησιν) [1]. Christi igitur, qui natura duplex est, unitas est secundum dignitatem : « Λυτὸς ὁ εἷς ἐστι διπλοῦς, οὐ τῇ ἀξίᾳ, ἀλλὰ τῇ φύσει [2] ». Qui naturas aliter unitas esse volunt, ei Nestorio videntur laborare « aegritudine... affini putredini Apollinaris et Arii » [3] atque inducere « duarum naturarum in unam essentiam commixtionem » [4].

Praedicabat propterea Nestorius beatam Virginem non posse sensu proprio dici Dei genitricem [5] : Græcorum enim est dare diis matrem [6]. Mater vero non gignit antiquiorem se aut sibi non consubstantialem [7]. Maria ergo genuit, non divinitatem, sed hominem divinitatis organum : « Οὐκ ἔτεκεν, ὦ βέλτιστε, Μαρία τὴν Θεότητα,... ἀλλ' ἔτεκεν ἄνθρωπον Θεότητος ὄργανον » [8]. Hoc ei satis honori est genuisse mediatorem Dei dignitati cooptatum (τὸ γεννῆσαι μεσίτην τῇ τοῦ Θεοῦ συνημμένον ἀξίᾳ) [9]. Quia illa conjunctio exstitit ab ipsa conceptione virginea, non debet dici simpliciter, sensu Pauli Samosatensis, ἀνθρωποτόκος, quasi genuerit hominem deitate nudum [10] ; sed vel Θεοδόχος, quia δεξαμένη Θεόν [11], quando suscepit ac genuit formam quae suscepit Deum (τὴν Θεοδόχον μορφήν) [12], vel rectius et juxta Scripturam, Χριστοτόκος : Christus enim est appellatio utriusque naturae significativa [13], et « Scripturae ubique virginem matrem Christi, non Dei Verbi, praedicaverunt » [14].

(1) ***Ibid.*** 262. — (2) ***Ibid.*** 281. — (3) ***Ibid.*** 166[19] et 171[3].

(4) « Τὴν τῆς Θεότητος καὶ τῆς ἀνθρωπότητος φύσιν εἰς μίαν κατακιρνῶν οὐσίαν » (***Ibid.*** 229[5-6,13]).

(5) Improprio tamen sensu, ratione praedictae conjunctionis, scribebat S. Coelestino posse tolerari hoc periculosum vocabulum : « Si quis hoc nomen theotocon ***propter nam humanitatem conjunctam Deo Verbo, non propter parentem,*** proponet, ... ferri potest ... propter ipsam considerationem, quod solum nominetur de Virgine hoc verbum propter inseparabile templum Dei Verbi ex ipsa, non quia ipsa mater sit Dei Verbi : nemo enim antiquiorem se parit » (***Ibid.*** 167-168). Propterea addi debet et ἀνθρωποτόκος, si dicitur Θεοτόκος : « Et ego una tecum clamo τὸ Θεοτόκος, sed et τὸ Θεοτόκος dico et addo et τὸ ἀνθρωποτόκος... [Nam] genitrix Dei [est] propter unitum Verbum templo : genitrix Dei (Θεοτόκος) non propter nudam humanitatis divinitatem, sed propter unitum templo Deum Verbum ; ἀνθρωποτόκος vero propter templum, quod consubstantiale est naturaliter virgini sanctae « (301[17-18] et 303[2-6]).

(6) ***Ibid.*** 252[3] et cf. 179[3]. — (7) ***Ibid.*** 245. — (8) ***Ibid.*** 252.

(9) « Μέγα τῇ Χριστοτόκῳ παρθένῳ τὸ τεκεῖν ἀνθωπότητα τῆς τοῦ Θεοῦ Λόγου ὄργανον· ἀρκοῦν αὐτῇ πρὸς τιμὴν ὑπεραίρουσαν τὸ γεννῆσαι μεσίτην τῇ τοῦ Θεοῦ συνημμένον ἀξίᾳ » (***Ibid.*** 247). — (10) ***Ibid.*** 181-182 ; 185[5] ; 191[9], etc.

(11) ***Ibid.*** 277[20]. — (12) ***Ibid.*** 263[12] ; 276, etc. — (13) ***Ibid.*** 171[13] ; 175[8-18] ; 182. etc.

(14) ***Ibid.*** 167[10] ; cf. 176[7] ; 177[8] sqq ; 273-274 ; 277-278, etc.

79. 2° **Definitio.** — Doctrina porro hujusmodi multis, tum Constantinopoli et Alexandriae tum Romae et in Occidente, visa est duarum naturarum unionem implicare mere moralem proindeque Christum ita dividere ut filius Mariae verus ac proprius esset inseparabiliter quidem Deo conjunctus ejusque dignitatis particeps, at tamen ab inhabitante sibi Deo realiter alius.

Illam propterea sibi tum a Nestorio propositam tum a S. Cyrillo denunciatam **S. Caelestinus, in synodo Romana** anni 430, judicavi ita esse contra fidem totius Ecclesiae ut ediceret Nestorium a sede sua dejiciendum, nisi intra decem dies retractasset [1]. Eamdem jam S. Cyrillus impugnaverat et damnaverat, scribendo inter alia ad Nestorium epistolam suam 4^am^ [2], cum a S. Caelestino munus et officium accepit urgendi Nestorii retractationem aut depositionem. Quod effecit : 1° scribendo ad illum synodicam suam epistolam 17^am^ [3], cui subjunxit 12, qui dicuntur, **anathematismos**, seu summam eorum quae censebat Nestorio retractanda (D-B. 113-124) ; 2° agendo ut in concilio Ephesino damnaretur Nestorii, ac sua probaretur, doctrina.

Concilium, re vera, ipso praeside, at renuente adesse tum Nestorio tum Joanne Antiocheno cum 40-50 aliis episcopis orientalibus, 1° legit ac probavit praedictam 4^am^ S. Cyrilli epistolam [4] ; 2° legit responsum Nestorii ad eamdem [5] eique propterea anathema dixit [6] ; 3° hoc jam praemisso, epistolam synodicam S. Cyrilli, cui subnectuntur anathematismi, haud minus ac epistolam S. Caelestini ad Nestorium legi mandavit et *Actis* inseri [7] ; inquisivit imo num eidem synodicae Nestorius satisfecisset [8] ; 4° Nestorium tandem decrevit « impie sentientem et praedicantem » episcopali dignitate privari [9].

3° **Forma definitionis.** — In concilio igitur damnata est in genere, *ut blasphema et impia* in Christum, doctrina Nestorio tributa, at non est authentice contra eum edita professio fidei. Anathematismi tamen S. Cyrilli, sensu saltem quo, a concilio intellecti, ab Ecclesia postea approbati et propugnati sunt, habendi sunt practice tanquam genuina

(1) PL 50. 459-464. — (2) PG 77. 44 sqq. — (3) *Ibid.* 105 sqq.
(4) Mansi. IV. 1137 D-1169 B.
(5) PG 77. 49 sqq. vel apud Loofs *op. cit.* p. 173 sqq.
(6) Mansi IV. 1169 B-1177 B. — (7) Mansi IV. 1177-1180.
(8) *Ibid.* 1180 B. N. B. « Lecta est, prout supra habetur ». Porro supra, 1067-1084, habetur cum adjunctis anathematismis. — (9) *Ibid.* 1212 et cf. 1299.

expositio dogmatis contra Nestorium definiti [1].

80. 4° **Confirmatio definitionis,** in documentis, quibus contra Monophysitas statuendum fuit unitatem personae non inducere unitatem naturae, nec ex affirmato dyophysismo sequi adhaesionem nestorianismo : ita — A) Epistola dogmatica S. Leonis Magni ad Flavianum (D-B. 143-144 ; C. 677-684 et cf. 685-687). — B) Professio fidei concilii Chalcedonensis (D-B. 148 ; C. 688-690). — C) Anathematismi concilii Cp^{lani} II de *Tribus capitulis* (D-B. 213-228 ; C. 706-719). — D) Fides Pelagii papae (557) (C. 720) ; — E) Canones S. Martini in synodo Rom. anni 649 (D-B. 255-260 ; C. 729$^{2-7}$). — F) Epist. dogmatica Agathonis papae necnon prof. fidei concilii Cp^{lani} III (D-B. 288-290 ; C. 735-736 et 741-742). — G) prof. tandem fidei Orientalibus praescripta, in qua, suscepta synodo Ephesina, profitentur « quod in ea contra Nestorium damnatae memoriae definitum est, divitatem et humanitatem ineffabili et incomprehensibili unione in una persona Filii Dei unum nobis Jesum Christum constituisse, eaque de causa beatissimam Virginem vere esse Dei genitricem » (D B. 1462 ; C. 674$_b$).

81. III. **Notio personae.** — 1° *Sensus in genere.* Persona hic intellegitur, non sensu illo philosophice elaborato quo definiri solet : naturae rationalis individua substantia, sed sensu illo communissimo et omnibus obvio alicujus individui rationalis ab alio pariter individuo plene distincti, quo dicitur aliquis, aliquis homo, — quelqu'un : cf. I, q. 30, a. 4. — Hoc enim sensu norunt omnes numerare quot sint aliquo in loco personae, et personas singulas distinguere ab eis, quae sunt illarum et tamen non sunt illae : Ego habeo corpus, habeo animam ; Petri ante bellum duo erant brachia, jam non est nisi unum ; Paulus vividum olim habuit intellectum et jam est tota mente captus ; ego ante 15 annos fui puer, qui jam vir factus sum atque doctus.

2°. *Personae a natura distinctio.* Aliqua igitur datur, saltem

(1) Concilium jam Chalcedonense illos annumerat documentis quae sequitur, scilicet tum symbolo Nicaeno et Nicaeno — Cp^{lano}, tum tomo dogmatico S. Leonis ad Flavianum, (Mansi VII. 113) ; Concil. Cp^{lanum} II anathema dicit eis qui contra eos scripserint eosve dixerint contrarios rectae fidei (D-B. 226-227) ; S. Martinus in synodo Rom. anni 649 vindicat in specie certas S. Cyrilli formulas (D-B. 258 et 269 ; C. 729$^{5 \text{ et } 16}$). — Cf. notam (a) a Ballerini fratribus appositam ad notam Quesnelli apud PL. 54. 725 D. — A multis jam saeculis illi anathematismi habentur in Ecclesia ut exhibentes doctrinam concilio Ephesino probatam.

rationis, distinctio personae a natura, quae est omnibus obvia [1]. Persona enim facillime apprehenditur ut *quod* est et agit, seu ut subjectum *cujus* absolute et exclusive sunt partes, actiones, facultates, principia in genere agendi : *Ego* fleo, doleo caput et mathesim ago ; *meus* est pes et oculus, at etiam intellectus atque voluntas, etc.

Natura vero apprehenditur ut complexus virium, qualitatum, substantiarum et organorum, *quo* aliquis agere potest vel in certa specie collocatur : Ego sum homo et non angelus ; ex natura mea habeo quod possim ridere, philosophare at non sursum in aera ferri aut sola mente alium alloqui.

3° *Notio applicatur thesi.* Nemo igitur non potest apprehendere quid sibi velit hoc : duarum naturarum unicam esse personam. Hoc enim significat tantummodo aliquem, aliquam personam, esse subjectum cujus sint duae naturae seu duo principia agendi specifice diversa, ita ut quidquid ad alterutrum illorum principiorum *etiam physice* pertinet de illo subjecto tam vere praedicari possit quam de Petro quidquid ad suam humanam, aut de Gabriele quidquid ad suam angelicam naturam pertinet.

Persona hujusmodi utrum detur aut dari possit, ratio humana ex se ipsa ne suspicari quidem possit. At, data illa personae et naturae distinctione, quam ex ipsis creaturis haurire potest, jam capax est apprehendere, si revelatione doceatur, dari re vera personam cujus duae sint naturae, seu duas dari naturas, quae, etsi inter se specifice distinctae, in una eademque persona tamen uniantur.

Hoc porro dari in Christo thesis affirmat esse **dogma catholicum.**

PARS I : **Dogma catholicum est duas naturas esse Filii Dei.**

Probatur ex eo quod concilia contra Nestorium aut Nestorianos urgent, non ullam personae aut unionis personalis notionem abstractam, sed simpliciter factum quod quidquid physice ad naturam humanam in Christo pertinet est ipsius Dei Filii haud minus ac ipsa sua divina natura.

82. 1. **S. Cyrillus** : A) In sua **epistola a concilio Ephesino**

(1) Distinctio ea est τοῦ *quis* et τοῦ *quid,* seu ejus qui est vel habet et ejus quod habetur vel quo est. Sic cuilibet explicari potest naturam ejus humanam concretam esse τό quid ejus, nempe complexum notarum essentialium simul et individualium, quae, in se sumptae, potuissent esse alicujus alius at re vera sunt exclusive ejus. Quae distinctio omnibus accessibilis esse debet, ni dicatur esse merum figmentum dialecticum excogitatum ad obtegendam contradictionem, quae secus sit evidens in mysteriis Trinitatis et Incarnationis.

explicite probata, reducit ad hanc assertionem fidem de Incarnatione Nestorio profitendam.

« Nicaena synodus tradit « Filium unigenitum ex Deo Patre naturaliter genitum » esse eum ipsum (αὐτόν) qui « descendit, incarnatus et homo factus est, tertia die resurrexit et ascendit ad caelos » [1]. — Quo vero sensu Filius ab aeterno genitus a Patre dicatur genitus ex Virgine secundum carnem, explicat per appropriationem, quam Filius sibi fecit, generationis carnis suae : « Cum unierit sibi καθ' ὑπόστασιν τὸ ἀνθρώπινον, natus est ex muliere, eaque ratione dicitur genitus carnaliter (ταύτῃ τοι λέγεσθαι γεννηθῆναι σαρκικῶς)... Dicitur sustinuisse generationem carnalem, quatenus generationem carnis suae fecit sibi propriam ». (Ὑπομεῖναι λέγεται γέννησιν σαρκικήν, ὡς τῆς ἰδίας σαρκὸς τὴν γέννησιν οἰκειούμενος)[2]. Eodem sensu explicatur « eum passum esse et resurrexisse : quia corpus, quod factum erat ejus proprium, haec passum est,... ipse dicitur passus » (Ἐπειδὴ τὸ γεγονὸς αὐτοῦ ἴδιον σῶμα πέπονθε ταῦτα,... αὐτὸς λέγεται παθεῖν)[3]. Eodem etiam sensu beata Virgo dicitur Θεοτόκος : « Non quasi natura Verbi, seu deitas ejus, initium essendi sumpserit ex ea, sed quia, generato ex ea sancto corpore... cui unitus est, Verbum dicitur genitus secundum carnem »[4]. Ea tandem sola via est vitandi duos in Christo induci filios. « Si unionem καθ' ὑπόστασιν tanquam incomprehensibilem et indecentem repudiaverimus, eo prolabimur ut duos dicamus esse filios. Necesse enim omnino fit dividere (διορίσαι) et dicere alterum quidem seorsim (ἰδικῶς) hominem, qui Filii *appellatione* honoretur ; seorsim vero iterum Verbum Dei, qui filiationis habeat naturaliter *et nomen et rem* « [5].

83. B) **Anathematismis** suis omnibus hoc unum prosequitur, quod in Christo unus et idem agnoscatur Deus et homo, excludatur vero

(1) PG 77.45 B - Eodem modo epistola synodica praemissa anathematismis opponit Nestorio fidem Nicaenam : « Ἑπόμενοι... φαμὲν ὅτι αὐτὸς ὁ μονογενὴς τοῦ θεοῦ Λόγος, ὁ ἐξ αὐτῆς γεννηθεὶς τῆς οὐσίας τοῦ Πατρός,.. .κατελθὼν καὶ καθεὶς ἑαυτὸν εἰς κένωσιν, ἐσαρκώθη, καὶ ἐνηνθρώπησε, τοῦτ' ἔστι, σάρκα λαβὼν ἐκ τῆς ἁγίας Παρθένου, καὶ ἰδίαν αὐτὴν ποιησάμενος ἐκ μήτρας, τὴν καθ' ἡμᾶς ὑπέμεινε γέννησιν, καὶ προῆλθεν ἄνθρωπος ἐκ γυναικός » (*Ibid.* 109 B-C). Exprobrat autem Nestorio quod symbolum illud, etsi ore profert, recte non intelligat (*Ibid.* 108 D) ; quae ipsa est accusatio contra Nestorium S. Caelestini : « Inter multa quae a te impie praedicata universalis recusat Ecclesia, symbolo ab apostolis tradito plangimus haec verba fuisse sublata, quae nobis totius spem vitae salutisque promittunt » (PL 50. 475 A). — (2) PG 77. 45 C-D).

(3) *Ibid.* 48 A. — (4) *Ibid.* 48 D. — (5) *Ibid.* 48 C.

alius et alius, quorum alterius sint divina, alterius humana. Quod satis est demonstrari de primo et de ultimo [1].

Primus enim urget « beatam Virginem ideo esse Θεοτόκον, quia peperit carnaliter Verbum Dei factum carnem » (D-B. 113). Hoc autem significat generationem carnalem, quae physice pertinet ad solam naturam humanam, esse tamen Verbi, cujus etiam est natura divina.

Ultimus autem « confitetur Dei Verbum passum esse carne » (D-B. 124): quo significatur passiones illas naturae humanae physicas Verbi esse tanquam subjecti quod, quia illas habuit sibi proprias, dicitur vere passus, crucifixus, etc.

C) **Symbolo unionis** (433), quo Joannes Antiochenus et alii Orientales adhaeserunt damnationi Nestorii, profitetur eum, qui « ante saecula ex Patre natus est secundum divinitatem,... eumdem (τὸν αὐτόν) esse e Maria Virgine secundum humanitatem, consubstantialem Patri eumdem secundum divinitatem et consubstantialem nobis secundum humanitatem... Secundum intellectum inconfusae unionis — [quae facta est duarum naturarum] — confitetur b. Virginem Θεοτόκον, propterea quod Deus Verbum incarnatus est et homo factus est atque ex ipsa conceptione univit sibi templum ex ea sumptum » (C. 675).

84. 4° **S. Leo M.** (*Ep. dogm. ad Fl.*) a symbolo baptismali orsus, docet « eumdem sempiterni Patris unigenitum sempiternum natum esse de Sp. S. et M. Virgine » (C. 678); « proprietaiem utriusque naturae et substantiae in unam coivisse personam », ita « ut... unus atque idem mediator Dei et hominum, homo J. C., et mori posset ex uno et mori non posset ex altero. In integra ergo veri hominis perfectaque natura verus natus est Deus, totus in suis totus in nostris » (D-B 144 ; C. 680-681)... « Propter hanc ergo unitatem personae in utraque natura intelligendam, et Filius hominis legitur descendisse de cælo... et rursus Filius Dei crucifixus dicitur ac sepultus... Post resurrectionem vero,... quia non alter est resuscitatus quam qui fuerat crucifixus et mortuus,... [agnita est] in eo proprietas divinae humanaeque naturae individua permanere,... ut unum Dei Filium et Verbum confiteremur et carnem » (C. 682).

85. 5° **Concilium Chalcedon.** definit, « perfectum *eumdem* in deitate et perfectum *eumdem* in humanitate ; Deum vere et hominem vere *eumdem* ex anima rationali et corpore, consubstantialem Patri secundum deitatem et consubstantialem nobis *eumdem* secundum humanitatem ; ... ante saecula

(1) Formulae καθ' ὑπόστασιν ἡνῶσθαι et συνόδῳ τῇ καθ' ἕνωσιν φυσικήν, in 2° et 3°, adhibentur eodem sensu, unionis scilicet quae sit ***substantialis*** et non mere ***accidentalis*** aut ***moralis***. Sensus formalis « unionis hypostaticae » nondum est explicitus.

quidem de Patre genitum secundum deitatem, in novissimis autem diebus *eumdem*... ex Maria Virgine secundum humanitatem » (D-B 148 ; C. 690).

6° **Concil. Cp[lanum]II** (553), cum, ut amoveat ab adhaerentibus concilio Chalcedonensi speciem illam nestorianismi, qua eos monophysitae laborare dicunt, fidem catholicam de unitate personae profitetur, asserit tantummodo (*can.* 2) « Dei Verbi esse duas nativitates », quatenus « *idem* descendit de cœlis, incarnatus est ex beata Virgine Dei genitrice et ex ea natus est ; (*can.* 3) non alium esse Dei Verbum, qui miracula patrat, et alium Christum, qui passus est,... sed unum et eumdem Dom. nostrum J. C., Dei Verbum, qui incarnatus est et homo factus est, [ita ut] *ejusdem* sint et miracula et passiones, quas voluntarie sustinuit carne » (D-B 214-215 ; C. 707-707) [1].

86. 7° **Formulae aequivocae S. Cyrilli :** ἕνωσις φυσική seu ἕνωσις ἐκ δύο φύσεων et μία φύσις τοῦ Θεοῦ Λόγου σεσαρκωμένη, quae unitatem personae adeo exprimunt ut monophysismum multis sapuerint, *sensu quo ab Ecclesia sancitae sunt,* non enunciant nisi duarum naturarum unicum esse subjectum personale. Etenim :

A) Ἕνωσις φυσική, in anathematismo 2° (D-B. 115), ponitur tantum ad excludendam duorum subjectorum conjunctionem, quae sit secundum meram « dignitatem vel auctoritatem et potestatem » [2].

B) Duae vero aliae dicuntur a concil. Cp[lano] II, *can.* 8°, intellectae et intellegendae hoc sensu quod « ex divina et humana natura, unione καθ' ὑπόστασιν facta, unus Christus effectus est... Dicendo enim Verbum unigenitum unitum esse καθ' ὑπόστασιν, non dicimus factam esse naturarum ad invicem confusionem, sed potius, utraque manente quod est, intellegimus Verbum unitum carni [3]. Propterea unus est Christus, Deus et homo, *idem* consubstantialis Patri secundum divinitatem, et consubstantialis nobis *idem* secundum humanitatem » (D-B. 220 ; C. 712).

(1) Eodem sensu, contra eos qui eam seipsa Eutychianam dicebant, approbata est formula : « Unus de Trinitate passus est » (D-B. 201 ; 255 ; C. 705 ; 729[3]), quae econtra damnata erat et damnata manet (D-B. 1463 ; C. 691), si intellegatur sensu Eutychiano (Cf. Tixeront : *Hist. des dogmes,* III, p. 131 sqq).

(2) Eam hoc sensu, contra Orientales, qui suspicabantur confusionem naturarum, S. Cyrillus explicat (*Apologet. cont. Or.* 3 ; item *contra Theodor.* et *Explic. duod. capit.* PG. 76. 332 ; 405 B-C ; 300 D).

(3) Concilium, *can.* 4, explicat unionem καθ' ὑπόστασιν idem esse ac κατὰ σύνθεσιν et excludere unitorum tum confusionem tum divisionem. Formula « una natura Verbi Dei incarnata » explicatur in synodo Rom. anni 649, can. 5 (D-B. 258 ; C. 729[5]).

PARS II : **Hoc dogma fundatur Scriptura et traditione** (*Cont. Gent.* IV. 34 et 39).

87. 1° **Scriptura,** quatenus in Scriptura de uno eodemque subjecto personali dicuntur ea quae *physice* pertinent ad naturam tum divinam tum humanam, seu, ut jam probatum est, idem constat esse Deus simul et homo.

A) *Factum breviter revocatur in memoriam : Gal.* 4. 4 : qui praeexistebat Filius Dei naturalis, — quod pertinet physice ad divinam nat., — idem factus est ex muliere, — quod pertinet ad humanam...

Philipp. 2. 6-8 : Qui erat ita in forma Dei ut jure aequalis Deo esset, idem, exinanitione suscepta, obedivit usque ad mortem crucis, quod physice non potest pertinere nisi ad humanam naturam.

Rom. 9. 5 : Qui est Deus benedictus, idem est ex Israelitis secundum carnem.

Act. 20. 28 : Dei, cujus est Ecclesia, est etiam sanguis, quo illam acquisivit.

Tit. 2. 13-14 : Qui Deus magnus est, idem dedit semetipsum pro nobis.

Joan. 17. 5 : Qui homo alloquitur humana voce homines, idem dicit se habuisse claritatem apud Patrem priusquam mundus esset : quod physice impossibile est pertinere ad naturam humanam nec verum esse potest nisi de natura divina.

B) *Hinc arguitur :* Subjectum personale, de quo physica humana haud minus quam physica divina praedicantur, est duarum naturarum unica persona. Nam praedicationes hujusmodi subjectum idem suscipere nequit nisi ipse sit — a) vel una simpliciter natura — b) vel complexus physicus aut moralis duarum naturarum — c) vel una eademque persona cujus duae sint naturae. Jamvero repugnat et a) et b) — Ergo verum est c)

88. *Probo minorem :* — a) Repugnat eum, qui sit una simpliciter natura, dici habere physica alius naturae : hoc enim esset dicere physica unius naturae posse dici de alia natura, sanguinem v. g. habere, nasci de muliere aut obedire usque ad mortem diceretur, in casu, de natura divina — b) Repugnat duarum naturarum complexum suscipere praedicationes hujusmodi. Nam : α) Naturae divinae et humanae aggregatum physicum intrinsece repugnat. Sin autem per impossibile daretur, aggregatum hujusmodi non posset dici vere et proprie nec Deus, nec homo, nec proinde de eo possint praedicari ea quae sunt physice vel vere divina vel vere humana.

β) Complexus sane physicus et moralis dari potest ac datur naturae divinae et humanae, ubi v. gr. Deus homine ut instrumento utitur ad aliquid agendum, vel ubi hominem ut superior subditum voluntate sua movet atque regit : ita Deus prophetas aut legatos suos in genere. Nec negatur in Christo dari naturae divinae in humanam influxum proindeque conjunctionem hujusmodi : humanitas divinitati vero templo fuit veroque instrumento. At, si utriusque unio non fuisset nisi qualis est instrumenti ad causam principalem vel subditi ad superiorem, omnino non potuissent praedicationes fieri quales inveniuntur.

Conjunctiones enim hujusmodi permittunt praedicari de causa principali actiones instrumenti formaliter instrumentales, et de superiore actiones subditi ex ejus influxu vel reali vel juridice supposito ortas : eques v. gr. dicitur fossam aut aggerem ipse saltasse, sicut aviator aut nauta tot millia passuum in uno momento percurrisse ; item vir, quia cum uxore unum quid morale constituit, dici potest debita uxoris ipse contraxisse ideoque habere solvenda. At repugnat ea quae *physice* et *immediate procedunt ex solo instrumento* aut *subdito* praedicari vere et proprie de causa principali aut de superiori : non eques, quia sudat equus, dicitur et ipse sudare, vel crus sibi fregisse quia crucis fracturam equus perpessus est, cum econtra Deus dicatur habuisse sanguinem ac obedivisse usque ad mortem crucis ratione carnis sibi unitae. Haud magis dicitur : haec mulier est quinquaginta annos nata quia virum quinquagenarium habet ; nec vir dicitur, dormiente uxore, ipse dormire, dum econtra, ducto ex utero virginis corpore suo, Filius Dei dicitur ex Maria natus.

89. C) *Demonstratio coarctari potest ad unicum illud S. Joannis : Verbum caro factum* est, seu, qui sensus est, *Verbum factum est homo*. Nam Verbum Dei non potest concipi factus homo nisi naturam humanam ita sibi uniendo ut, manendo suppositum suae divinae naturae, factum sit suppositum etiam naturae humanae. Omnis enim alius sensus assertionis illius intrinsece repugnat.

Repugnat scilicet illum factum esse hominem : a) conversione substantiali sui in hominem, ut aqua facta est vinum ; ceterum hoc est falsum : Verbum permansit Deus, Verbum ; — b) induendo naturam humanam tantummodo ad modum accidentis, ut Petrus dicitur fieri doctus, sapiens : humana natura non est accidens quod induatur, et Verbum non dicitur factum humanum sed homo ; — c) per unionem tantummodo accidentalem aut moralem, qualis est inhabitantis Dei cum templo suo, vel viri cum uxore sua, aut Spiritus Sancti cum propheta ; uniones enim hujusmodi non permittunt unam substantiarum unitarum praedicari proprie et substantive de altera : qui

induit vestem non dicitur fieri vestis ; Sp. S. non fit propheta ; Deus non fit templum suum aut vir uxor sua, sicut econtra dicitur : Deus factus est homo.

90. DICES : **A)** Attamen Scriptura dicit : « In ipso *inhabitat* omnis plenitudo divinitatis » (*Col.* 2. 9). « Deus erat in Christo mundum reconcilianos sibi » (2 *Cor.* 5. 19). Ipse de sua humanitate dicit : « Solvite templum hoc, et in tribus excitabo illud » (*Joan.* 2. 19).

RESPONDEO : Verba hujusmodi enunciant aliquid veri, non totum verum de unione Dei cum nat. humana. Nec qui dicit minus, eo ipso excludit plus, si plus alibi dicatur. Plus porro, ut constat per praemissa, dicitur alibi. Unio personalis non excludit re vera naturam assumptam haberi etiam ad modum templi aut instrumenti : haud aliter corpus animae nostrae dicitur esse templum et instrumentum, quin unio tamen sit mere accidentalis.

B) Christus, dicendo : « *Ego et Pater unum sumus* » (*Joan.* 10. 30) et « *Pater major me est* » (*Ibid.* 14. 28), distinguit ipse in se duo *Ego* : Ego aequalis, Ego non aequalis Patri ; porro tot personae quot Ego.

RESPONDEO : Christus non dicit absolute : Non sum aequalis Deo, quo, quia negatio naturae malignantis est, exclusisset a se omnem sui cum Patre aequalitatem, sed affirmat tantummodo Patrem esse se majorem. Hoc autem, ut sit vere dictum, exigit inesse Christo aliquid unde vere sit Patre minor ; at non excludit illum eumdem esse ex alio capite cum Patre unum. Idem igitur, cum homo simul et Deus sit, haec duo potuit de se affirmare quin duo in se distingueret Ego seu personas.

91. 2° **Traditione,** quatenus communis ab initio fuit Ecclesiae fides Christum esse unum, qui et ab aeterno Deus et ex tempore homo esset. Quam fidem manifestat imprimis symbolum baptismale, in quo « Filius Dei » dicitur natus ex Maria Virgine, et quod propterea invocatum est contra Nestorium a S. Cælestino, S. Cyrillo, S. Leone : cf supra n. 82.

Manifestatur autem in specie illa traditio :

A) **Apud scriptores antenicaenos,** quatenus ipsi Deo tribuunt ea quae physice sunt ex sola natura humana, v. gr. :

S. IGNATIUS loquitur de « sanguine Dei » (*Eph* I. 1), de « passione Dei sui, cujus vult fieri imitator » (*Rom.* VI. 3) ; dicit Christum « unum esse medicum carneum simul et spiritualem, genitum et ingenitum, in carne factum Deum, in morte vitam veram, [qui] sit et ex Maria et ex Deo ». (*Eph.* VII. 2)

Melito Sardensis († c. 190), contra Marcionem, probat *eumdem* esse Deum simul et hominem : « Θεὸς γὰρ ὢν ὁμοῦ τε καὶ ἄνθρωπος τέλειος ὁ αὐτὸς, τὰς δύο αὐτοῦ οὐσίας ἐπιστώσατο ἡμῖν » [1].

S. Irenaeus, contra Gnosticos distinguentes J. Christum a Verbo, urget identitatem Verbi et Salvatoris : « Discite insensati, quoniam Jesus, ὁ παθὼν ὑπὲρ ἡμῶν, ὁ κατασκηνώσας ἐν ἡμῖν, οὗτος ἔστιν ὁ Λόγος τοῦ Θεοῦ » [2]. Dicit Scripturas testari eum « praeclaram habuisse in se eam, quae est ab altissimo Patre, genituram,.. functum autem esse et ea praeclara, quae est ex Virgine, generatione » [3]. Per multa ostendit « ipsum Verbum Dei incarnatum suspensum esse super lignum » [4]. Edicit « omnes extra dispositionem [— id est, extra viam salutis —] esse qui, sub obtentu agnitionis, alterum quidem Jesum intellegunt, alterum autem Christum, et alterum Unigenitum, (ab hoc autem rursum esse Verbum), et alterum Salvatorem... Sententia enim eorum homicidialis est, deos quidem plures confingens,... comminuens et per multa dividens Filium Dei... Si enim alter quidem passus est, alter vero in eum, qui natus est, descendit et rursus reliquit eum, non unus sed duo monstrantur » [5].

Tertullianus, inter ea « stulta », quae tamen ne Marcion quidem audet auferre, recenset « Deum crucifixum. Quid enim indignius Deo, nasci an mori? Nonne vere crucifixus est Deus? nonne vere mortuus? » [6]

S. Cyprianus scribit : « Dei Sermo ad crucem tacens ducitur » [7].

S. Hippolytus explicite dicit ipsum Verbum passum esse carne ; ipsum Verbum esse eum Filium quem Deus per carnem misit [8].

92. B) **Apud adversarios Apollinaristarum**, qui, etsi excludunt Verbi cum carne compositionem, eadem tamen vi inculcant utriusque unionem tantam ut Dei ipsius sint humana Christi.

S. Athanasius — nondum quidem contra Apollinarium, sed ea ipsa aetate qua jam ejus error spargebatur — etsi dicit eum, qui,

(1) *De Incarn. Chr.* (PG 5. 1221 A). Haud mirum igitur eundem scripsisse : Ὁ Θεὸς πέπονθεν ὑπὸ δεξίας Ἰσραηλίτιδος » *(Ibid.)*

(2) *Haer.* I. 9, 3 (PG 7. 541 B). — (3) *Ibid.* III. 19. 2 (940 B).

(4) V. 18. 1 (1172 B). — (5) III. 16. 8-9 (926-927 et 928 A).

(6) *De carne Christi* 5 (PL 2. 760 A-B). Idem in *adv. Prax.* 27 (*ibid.* 190-191) Christi constitutionem definit eis formulis, quas S. Leo transcribere potuit. - Attamen, ne nestorianismum eaedem tibi sapiant, attendas Tertullianum in hoc capitulo, cum velit contra Monarchianos ostendere « Filium », veram Trinitatis personam, esse, non « carnem seu hominem », sed ipsum Dei Sermonem, qui simul et Dei et hominis sit Filius, urgere distinctionem utriusque in Christo naturae.

(7) *De bono patientiae* 7 (Hartel : 402[20]).— (8) *Fragm. cont. Noet.* 15 (PG 10.812).

cum esset Deus, factus est homo, « mortuos quidem suscitasse ut Deus, quia ea non erant hominis opera,... at sitisse, laborasse et passum esse, ut corpus gestabat » (ὡς σῶμα φορῶν), tamen explicat ea omnia facta esse ab eo *non* « *divisim* », — « quae a corpore, sine divinitate ; quae a divinitate, sine corpore », — *sed* « *conjunctim* », et Dominum, a quo fiebant, fuisse unum (εἷς ἦν). « Nam spuebat humanitus (ἀνθρωπίνως)... et, cum volebat seipsum ostendere Deum, humana lingua hoc significabat dicens : Ego et Pater unum sumus »[1].

S. Gregorius Nazianz., 1ª sua *ad Cledonium epistola,* quae est contra Apollinaristas, eos pariter, qui velint hominem ex Virgine efformatum esse, quem Deus postea subierit, dicit ideo condemnandos quia ea non esset Dei generatio : « Οὐ γὰρ γέννησις Θεοῦ τοῦτο ἐστιν... Si quis duos filios, alterum ex Deo et Patre, alterum ex matre, non autem unum eumdemque induxerit, is excidat » a promissa salute : « Si quis *crufixum* non adorat, anathema sit atque in eorum qui *Deum interemerunt* numerum ascribatur »[2].

S. Epiphanius : a) in suo longiori symbolo, profitetur « Deum de Deo... incarnatum esse, id est, perfecte genitum esse ex beata Virgine, sumendo animam et corpus... non ex semine viri aut in homine, sed carnem adfingendo in seipsum, in unam ac sanctam singularitatem : « Εἰς ἑαυτὸν σάρκα ἀναπλάσαντα εἰς μίαν ἁγίαν ἑνότητα »[3].

b) In libro vero *adv. haeres,* (III. 29), contra Apollinaristas agens, explicat quo sensu Verbum factum sit homo perfecte :

« Cum perfecte dicimus, non duos idcirco Christos asserimus, non duos Reges Filios Dei, sed eumdem Deum eumdem hominem (τὸν αὐτὸν Θεὸν, τὸν αὐτὸν ἄνθρωπον) ; non ideo quod habitaverit in homine, sed quod ipse totus factus sit homo ; non quod [quis], cum homo esset, [processione quadam] ad divinitatis conditionem processerit ; sed quod Deus e caelo veniens, pro divinitatis suae potentia, suam sibi hominis affinxerit naturam : Οὐκ ἄνθρωπον ὄντα, ἐλθόντα εἰς προκοπὴν θεότητος, ἀλλὰ θεὸν ἀπ' οὐρανῶν ἐλθόντα, καὶ εἰς ἑαυτὸν ἀναπλασάμενον τὴν ἰδίαν ἐνανθρώπησιν »[4].

(1) *Ad Serap.* ep. IV. 14 (PG. 26. 656 C-657A) — Ps.-Athanasius (*De incarn. cont. Apollinar.* I. 11-12) passionem quidem et mortem ascribit carni Verbi, immutabilitatem vero ipsi Verbo ; at eum ipsum [dicit] patientem simul et non patientem : « Λυτὸς ἐστιν ὁ παθὼν καὶ μὴ παθών ». Erroris propterea arguit eos « qui dicunt alium esse qui passus est Filius et alium qui passus non est. Οὐ γὰρ ἕτερος ἐστι παρὰ τὸν Λόγον ὁ τὸν θάνατον καὶ τὸ πάθος ἀναδεδεγμένος, ἀλλ' αὐτὸς ὁ ἀπαθὴς καὶ ἀσώματος Λόγος, cum generationem carnis subire dignatus esset, omnia implevit ut haberet quod pro nobis offerret » (PG. 26. 1112 C-1114 A). — (2) PG. 37. 177 C-180 A et B.

(3) *Ancoratus,* 120 (PG. 43. 233 B-C). — (4) PG. 42. 684 D.

93. C) **In appellatione Virginis** Θεοτόκον, quam fuisse jamdiu usitatam constat : — **a)** per antiquiores auctores apud quos legitur : v. gr. Origenem (*Selecta in Deuter.* PG. 12. 813 C) ; Alexandrum Alexandrinum (*Epist. ad Alex. Cplan.*, 12 PG. 18. 568 C); Eusebium (*Vita Constant.* III. 43 PG. 20. 1104 A) ; S. Athanas (*Or.* 3. 14 et 33 PG. 26. 349 C et 393 A) ; S. Gregor. Nazianz.: 1ª ad Cledon. *epist.* : « Si quis S. Mariam Θεοτόκον non credit, extra divinitatem est » (PG. 37. 177 C) [1] ; — **b)** per commotionem Constantinopoli et ubique ortam — cf. epist. Joannis Antiocheni mox citandam, — ubi a Nestorio improbata est ; — **c)** per testimonium **Joannis** illius **Antiocheni,** qui tam firmiter ac tamdiu pro Nestorio stetit contra S. Cyrillum. In benignissima illa, nec unquam satis legenda, epistola qua, ante concilium, Nestorium hortatur ut mandatis S. Caelestini quam primum subscribat, ostendit vocabulum Θεοτόκον « a multis Patribus usurpatum, scriptum et pronuntiatum... nec ab ullo scriptorum ecclesiasticorum repudiatum », ... non posse abjici quin pessumdetur tota de Incarnatione doctrina salutaris. « Si id quod nomine [illo : Θεοτόκος] significatur non recipimus, restat ut in gravissimum errorem prolabamur ; imo vero, ut inexplicabilem illam unigeniti Filii Dei oeconomiam abnegenus ; hoc enim nomine sublato vel hujus potius nominis notione (τῷ ἐξ αὐτοῦ σημαινομένῳ) repudiata, sequitur mox illum non esse Deum, qui admirabilem illam dispensationem nostrae salutis causa suscepit, tum Dei Verbum neque se exinanivisse,... cum tamen divinae Scripturae... confirment... unicum sempiternum Dei Filium ante omnia saecula natum impassibili modo ex sacra quoque Virgine ortum esse » [2],

94. D) **In consensu contra Nestorium Ecclesiae Orientalis et Occidentalis,** qui constat : **a)** Ex epistola S. Hieronymi ad Hedibiam, in qua, quia de Christo praemisit : « Crucifigitur ut homo, glorificatur ut Deus », explicat : « Haec dicimus, non quod alium Deum et alium hominem esse credamus et duas personas faciamus in uno Filio Dei, sicut nova haeresis calumniatur, sed unus atque idem Filius Dei et filius hominis est » [3]. — **b)** Ex eis quae Cassianus contra Nestorium scribit in suo *De incarnatione,* priusquam noverit ea quae S. Cyrillus

(1) Plura exempla videas apud Hefele-Leclercq : *Hist. des conciles,* II[1], p. 243, nota 4. — Seeberg : *Dogmengesch.* t. II, p. 199, nota 3.

(2) PG 77. 1456 A-B. — (3) *Epist.* 120. q. 9 (PL 22. 996), « Nova haeresis », de qua ibi, alludit ad praenostarianismum, qualis fuit Leporii, vel Juliani Eclanensis (Cf. August. *Epist.* 219 et *Cont. Jul. op. imperf.* IV. 84).

de illo Romam transmisit [1]. — c) Ex condemnatione Nestorii a *S. Caelestino*. — d) Ex damnatione *in Africa* circa 426 lata in *Leporium*, cujus *Libellum retratationis* ad episcopos Galliae videas vel apud Cassianum, *op. cit.* [2] vel apud C. 664-677.

Difficultas

95. Exponitur. – Quoad traditionem, difficultas est quod scriptores ecclesiastici, tum ante tum post concilium Ephesinum, haud aliter ac Nestorius ac Nestoriani loqui solent de homine in Christo. Illum nomine concreto vocant ac distinguunt a Verbo tanquam aliquem ei conjunctum, ab illo susceptum, quo tanquam organo utatur et in quo tanquam in templo inhabitet.

Illum proinde videntur habere ut verum passionum et actionum Christi humanarum subjectum personale.

Tertullianus v. gr. dicit Patrem dereliquisse Filium, cum « *hominem ejus* tradidit in mortem » [3].

Novatianus a Filio Dei distinguit *filium hominis*, quem « legitimus Dei Filius... sibi adnectit,... ad se rapit atque Filium Dei facit, quod *ille* naturaliter non erat », ita ut « *Filium hominis* in se susceperit et consequenter *Filium Dei* fecerit » [4]. Verbum « *hominem fert, quem suscepit* » et « *suscepti hominis passio* » *est* [5].

Methodius Olympius definit Christum « hominem pura perfectaque deitate plenum et Deum in homine contentum » [6], seu, ut alibi ait, « hominem, in quo [Verbum] inhabitat » [7].

Eustathius Antiochenus, fidei Nicaenae propugnator fortissimus, loquitur de « homine Christi » [8]. Distinguit enim in illo ungentem (ὁ Χρίσας) et unctum (ὁ Χρισθείς), qui, « ad modum templi, egregie ornatus est ex divinitate in ipso inhabitante » [9]. Dicit « Verbum hominem tanquam templum sibi fabricatum gestasse » [10] « Homo [porro],

(1) Loofs : *Nestoriana*, p. 51-57. — (2) l. I, cp. 5 (PL 50. 25-29).

(3) *Adv. Prax.* 30 (RL 2. 195 B).

(4) *De Trinit.* 24 (PL 3. 932 C-B ; 933 C et 934 B).

(5) *Ibid.* 22 et 21 (830 C et 928 C — Cf. d'Alès : *Novatien*, apud *Gregorianum*, 1922, p. 440-444.

(6) « Τοῦτό εἶναι τὸν Χριστὸν· ἄνθρωπον, ἀκράτῳ Θεότητι καὶ τελείᾳ πεπληρωμένον, καὶ Θεὸν ἐν ἀνθρώπῳ κεχωρημένον » (*Conviv.* III. 4. PG 18.68 A)

(7) *Adv. Porphyr* (ed. Bonwetsch, p. 31[1].

(8) Cavallera : *Eustathii in Lazarum hom.* p. 77.

(9) *Fragm.* (P.G 18. 688 B. — (10) *Ibid.* 677 C.

quem gestavit imago est Filii ». Ille est, « non habitans in illo Deus, qui ad mortem ductus est »[1]. Idem ideo dicitur in throno sancto sedere « quia, propter Deum in illo assidue inhabitantem, dicitur in eodem throno cum divinissimo Spiritu collocatus »[2].

Professio fidei, quae dicitur Sardicensis (343), explicat in Christo passum esse non Deum, sed « hominem (ὁ ἄνθρωπος) quem induit, quem suscepit ex Maria ; ... surrexisse tertia die non Deum in homine, sed hominem in Deo, quem protulit Patri suo donum, quem liberavit a peccato et corruptione »[3].

96. S. Hilarius saepe loquitur de « homine assumpto », de « filii hominis assumptione »[4]. Explicat humana, quae de Christo proferuntur, intellegenda esse de « homine illo, quem ex utero S. Virginis assumpsit, et in quo se nasci hominem, qui Deus erat, voluit » ; referenda esse « ad hominem, per quem habitavit in nobis » ; nam « non alienae aut simulatae naturae hominem assumpsit »[5] ; Verbum vero, exinaniendo se, ideo non mutatum esse quia « id quod assumptum est, non proprietas interior est, sed exterior accessio »..., exaltatum porro post mortem quia « hunc pauperem ac dolentem, |id est|, assumptum a se hominem Unigenitus Dei in aeternitatis suae vita collocavit », seu « susceptus homo in naturam divinitatis acceptus est »,[6] « in gloria ipsius homo susceptus assumitur »[7].

S. Gregorius Nyssenus loquitur de efformato « novo homine », qui sit « Dei receptaculum » (Θεοῦ δοχεῖον)[8]. Scribit : « Ὁ ἐν Μαρίᾳ ἄνθρωπος, ἐν ᾧ ᾠκοδόμησεν ἡ Σοφία τὸν ἴδιον οἶκον »[9]. « Quod natum est homo est »[10]. Mors vero contigit non in divinitate sed « circa hominem » (περὶ τὸν ἄνθρωπον)[11].

S. Gregorius Nazianzenus, contra eos qui dicunt « hominem dominicum sine mente » (ἄνουν ἄνθρωπον Κυριακόν), profitetur se « non separare hominem (τὸν ἄνθρωπον) a divinitate »[12]. Ubi vero duarum naturarum explicare tentat quae sit unitas, praemittit « duas quidem esse

(1) *Ibid.* 677 D et 688 A-B. — (2) Σύνθρονος ἀποδέδεικται τῷ Πνεύματι διὰ τὸν οἰκοῦντα Θεὸν ἐν αὐτῷ διηνεκῶς » (*Ibid.* 685 B).

(3) « Ἀνέστη οὐχ ὁ Θεὸς ἐν τῷ ἀνθρώπῳ, ἀλλ' ὁ ἄνθρωπος ἐν τῷ Θεῷ ἀνέστη, ὄντινα καὶ προσήνεγκε τῷ Πατρὶ ἑαυτοῦ δῶρον, ὃν ἐλευθέρωσεν κ. τ. λ. » (Hahn *Biblioth. der Symbole*... § 157, p. 189). — (4) *In ps.* 2. 25 (PL 9. 276 A).

(5) *In ps.* 138. 2 et 3 (PL 9, 793 A-B et C ; cf. 276 A et 795 B).

(6) *In ps.* 68. 25 (PL 9. 486 B). — (7) *In ps.* 138. 23 (PL 9. 804 C.

(8) *In resurr. Chr. or.* I (PG 46. 616 B). — (9) *Epist.* III (PG 46. 1021 A-B).

(10) « Τὸ μὲν γεννηθὲν ἄνθρωπος » (*Adv. Apoll.* 37. PG 45. 1208 D).

(11) *Ibid.* 30 (1189 A). — (12) 1ª ad Cled. *epist.* CI (PG 37. 177 B-180 A).

naturas, Deum et hominem » (Θεὸς καὶ ἄνθρωπος) sed addit unitatem oriri ex duorum commixtione, qua[« Deus factus est homo et homo Deus » (Θεοῦ μὲν ἐνανθρωπήσαντος, ἀνθρώπου δὲ θεωθέντος) [1].

97. S. Augustinus saepissime loquitur de « homine assumpto » vel « suscepto » [2]; de « filio hominis », qui « adhaeret Filio Dei » [3], « quem Dei Sapientia gestabat » [4]; de « susceptione hominis », quae « ineffabiliter susceptum suscipienti copulavit » [5]. « Ipsa est illa ineffabiliter facta hominis a Deo Verbo susceptio singularis, ut Filius Dei et filius hominis simul, filius hominis propter susceptum hominem et Filius Dei propter suscipientem Unigenitum Deum, veraciter et proprie diceretur » [6]. Distinguit igitur in Christo « susceptum hominem » et « susceptorem », qui, « verum suscipiendo hominem, in homine apparuit », id est, « habendo hominem, inventus est ut homo » [7]. « Verbum [enim], illo suscepto, caro factum est » [8]. Unitas vero personae fuit ex arctissima illa suscepti hominis copulatione cum suscipiente : « Suscepit hominem tanta unitate personae ut idem ipse esset etiam hominis filius ». Homo ille « Verbo Deo copulat[us est] in tantam personae unitatem, ut idem ipse esset Filius Dei qui filius hominis, et filius hominis qui Filius Dei » [9]. « Verbum Dei... suscepit hominem, seque et illo fecit unum Jesum Christum » [10].

Leporii libellus, quem S. Augustinus probavit aut ipse confecit, loquitur pariter de « assumpto homine », qui « totum accepit quod est Dei » (C. 669), et explicat « Verbum in hominem dignanter hominem suscipiendo descendisse, et per susceptionem Dei hominem ascendisse in Deum Verbum » (C. 672).

S. Cælestinus exprobrat Nestorio quod neget Dominum « suscepisse pro nobis hominem » [11]; et in synodo Romana, contra eum invocat S. Hilarii dictum : « Filius Dei *hunc, cum quo* voluntate sua alvo virginali conceptus et natus est, sublimavit in Deum » [12].

(1) *Ibid.* (180 A).

(2) V. gr. *De dono persev.* 24. 67 (PL 45. 1033); *epist.* 170. 9 (PL 33. 751); *Enchir.* 36, 11 (PL 40. 250). — (3) *In Joan. tract.* 19. 15 (PL 35. 1553).

(4) *De div. quaest.* LXXXIII, q. 65 (PL 40. 60) et cf. *De agone christ.* 23. 25 : « In homine, quem portabat » (*Ibid.* 304). — (5) *De div. q.* LXXXIII, q. 73, 2 (*Ibid.* 85).

(6) *De praedest. et persev. sanct.* 15. 31 (PL 44. 982-983).

(7) *Div. quaest.* LXXXIII. q. 72. 2 (PL 40. 85). — (8) *Enchir.* 36, 11 (*Ibid.* 250).

(9) *Ibid.* 250-251 et 40 (252); cf. *de Trinit.* XIII. 17. 22.

(10) *Ad Volusianum epist.* 137. 3. 12 (PL 33. 520).

(11) *Epist. ad cler. et pop. Cplan.* (PL 50. 495 A). — (12) PL 50. 458 B.

S. Leo Magnus, in *epist. dogmat. ad Flav.*, dicit « hominem non consumi dignitate » Verbi assumentis sed « Dei et hominis unam personam » esse in Christo (D-B. 144; C. 681) [1]. Alibi loquitur de « susceptione hominis » [2]; de « vero homine, qui sit unitus vero Deo »; [3] de « unitate sui atque hominis », quam praestat deitatis potestas [4]; de « assumpti hominis substantia [non] separanda a deitate Verbi » [5]; de « homine assumpto in Filium Dei, [et] sic in unitatem personae Christi... recepto ut nec sine deitate conceptus sit, nec sine deitate editus, nec sine deitate nutritus » [6].

Concilium Toletanum 11^m^ (675) loquitur pariter de homine, quem Filii persona assumpsit; « de suscepti hominis forma ». Dei Filium imo dicit distingui « natura ab homine assumpto » [7], sicut « persona creditur discretus a Patre et a Spiritu Sancto »; unum econtra esse persona « cum homine », sicut unum est « natura cum Patre et Spiritu Sancto » (D-B 285-286; C. 733 et 782).

98. II. **Solvitur.** 1° Haec exscribere non abs re visum est. Hinc enim apparet imprimis quantopere traditio manserit affixa considerationi Christi, ut aiunt, historici seu hominis illius, quem Deum tamen esse sciebat; eumdem quantopere tenuerit esse aliis hominibus similem, quam perfectum scilicet, quam integrum nec ullo carentem, quod ceteris insit hominibus [8] ... Hoc autem quanti sit momenti apparebit in controversiis ulterioribus dirimendis.

Hinc apparet etiam non ex solis vocibus aut formulis dijudicandum esse quae sit de mysterio Christi doctrina vera et adaequata alicujus auctoris vel alicujus aetatis. Formulae enim, quibus ineffabile illud mysterium exponatur analytice non sunt aliae inductae, aliae agnitae

(1) P L 54. 767 A et 769 C — (2) *Epist.* 35. 2 (*Ibid.* 805 C) — (3) *Ibid.* 3 (809 A). (4) *Ibid.* 2 (807 A) — (5) *Ibid.* 1 (805 A). — (6) *Sermo* 28. 6 (*Ibid.* 225 B-C). Adde formulam S. Cyrilli « una natura Verbi Dei incarnata » suspicionem ei movisse confusionis naturarum : *Epist.* 88. 1 (*ibid.* 927 B).

(7) Sic omnino legi debet, et non, ut suggeritur in editis, « assumpta ». Non enim « assumpta natura » distinguitur « ab homine.

(8) In illa consideratione *viam* iniisse *aliam* Occidentales in genere necnon scholam, quae dicitur, antiochenam, *aliam* Alexandrinos cum Orientalibus in genere non videtur posse negari. Priores naturas imprimis, seu, in concreto, Deum et hominem attendebant in una persona ineffabiliter unitum; posteriores econtra personam potius Verbi Dei considerabant novam sibi ineffabiliter unientem naturam... Duplex ea est traditio, cujus momentum in historia Christologicarum haereseon verum et magnum est, at facile apud dogmatum historicos exaggeratur.

ut minus aptae, periculosae aut falsae ideoque vitandae, nisi paulatim et consequenter ad exortas controversias et condemnatos errores.

2° Scriptores porro, praemissis formulis, scopum habebant, concreta pro abstracta voce posita, signandi carni a Verbo assumptae nihil deesse quod veri et integri sit hominis: hoc enim inculcandum habebant contra vel Marcionem, vel arianos, Apollinaristas aut Eutychianos. Naturam tamen illam non eo ipso intellegebant esse secundum in Christo subjectum personale, siquidem humana, quae explicabant in Christo ex illa oriri, tenebant tamen omnino esse ipsius Filii seu Verbi Dei.

99. Quam fuisse eorum fidem constat :

A) In genere, ex eorum explicita doctrina de unitate personae in Christo : ita ex professo Tertullianus, S. Gregorius Nazianzenus, S. Augustinus, Leporius, S. Caelestinus, S. Leo Magnus iis ipsis in locis unde desumptae sunt formulae praemissae.

B) In specie, et per modum exempli, ex certis illorum affirmationibus, v. gr.

S. Hilarius : « Unigenitus Dei Filius, Dei Verbum et Deus Verbum... omnia quae hominum sunt et oravit et passus est... ut nativitatem nostram cum ipsis infirmitatis nostrae iniisse intellegeretur officiis ». Falso igitur, ratione hujusmodi infirmitatum, Christus negetur esse vere Deus, nam « Deus, etsi Deus manebat, usque ad originem nascendi se hominis humilia|vit, ita ut hominis filius esset qui erat antea Dei Filius. Non enim alius Filius Dei quam qui filius hominis » [1].

S. Gregorius Nyss., etsi loquitur de homine in Maria efformato, tamen adeo non habet illum ut personaliter a Deo incarnato distinctum ut « Dei genitricem » (Θεοτόκον) nolit dici « etiam hominis genitricem » (καὶ ἀνθρωποτόκον) [2].

S. Augustinus non tantum explicite docet duarum substantiarum in una eademque persona unionem, sed etiam, ubi dicit « Deum habere hominem » vel « mori in homine, quem portabat », utitur compa-

(1) *In ps.* 53. 7-8 (PL 9. 341 A-B et 342 A) ; cf. item *De Trinit.* X. 19 : « Hujus corporis homo Jesus Christus et Dei Filius et hominis est filius, et ex forma Dei se exinaniens formam servi accepit. Non alius filius hominis quam qui Filius Dei est ; nec alius in forma Dei quam qui in forma servi perfectus homo natus est » (PL 10. 357 A-B). — De doctrina S. Hilarii, cf. Le Bachelet art. *Hilaire (saint)* apud DTC, VI. 2427.

(1) « Μὴ τὴν ἁγίαν Παρθένον τὴν Θεοτόκον ἐτόλμησέ τις ἡμῶν καὶ ἀνθρωποτόκον εἰπεῖν· ὅπερ ἀκούομέν τινας ἐξ αὐτῶν ἀφειδῶς λέγειν ; » (*Epist.* 3 PG 46. 1024 A)

rationibus, quae dualitatem personarum excludant haud minus in Christo quam apud singulos homines :

« Sicut anima habens corpus non facit duas personas sed unum hominem, sic Verbum habens hominem non facit duas personas sed unum Christum » [1]. « Sicut martyres passos et mortuos in corporibus, quae portabant, sine animarum interfectione vel morte, sic Filium Dei passum et mortuum dicimus in homine, quem portabat » [2].

100. Quaeres qua ratione **B. Virgo dici debeat mater Dei** (III. q. 35, a. 4).

Responsum habetur ex praenotatis de distinctione personae et naturae. Nam, cum personae non sit quidquam nisi ratione naturae aut naturarum quas habet, illius autem vere sit quidquid suae naturae competit, posito naturam humanam factam esse vere et proprie personae divinae, divina illa persona jam omnino dicenda est nata ex muliere, ex qua sua est natura.

Nec, re vera, ut alicujus personae aliqua sit mater, requiritur ex matre esse totum id quod persona est vel habet : homines enim a matre non habent suam animam. Mater alicujus humanae personae ea dicitur, ex qua caro ejus est. Jamvero haud minus ex Maria est caro, quae Dei facta est. Ergo Dei Maria haud minus vere et proprie mater est quam S. Anna ipsius Mariae.

Hinc S. Cyrillus, ab initio controversiae, solvebat dilemma, quod Nestorius ad mortem usque putavit invictum : Aut naturam divinam peperit Maria, aut non est Dei genitrix :

« Respondebitur a nobis : Carnem factum esse illud ex Deo Patre Verbum Scriptura divinitus inspirata dicit, hoc est, carni sine confusione et secundum hypostasim unitum ; neque enim *alienum* ab eo erat unitum illi corpus, et natum ex muliere, sed, ut *suum cuique nostrum proprium est corpus,* eodem modo etiam Unigeniti corpus proprium illi erat et non alterius ; sic namque factus est etiam secundum carnem » (*adv. Nestor.* I. 1 PG 76. 19 D).

(1) *In Joan. tract.* 19. 15 (PL 35. 1553).

(2) *De agone christ.* 23. (PL 40. 303-304). — De S. Augustini Christologia plura habet Portalié, art. *Augustin,* apud DTC, I, 2364-2366.

Scholion
DE NESTORII DOCTRINA

101. I. **Quaestio ponitur** : Nestorius a S. Cyrillo delatus est et in concilio Ephesino damnatus est quasi Christum diviserit et duas in illo admiserit personas physicas, quarum unitas esset ordinis mere moralis. Jamvero Nestorius, in orationibus et operibus suis, deprehenditur in Christo non dividere nisi naturas, ita ut, seposita dualitate naturarum, Christus sit omnimode unus : unus Christus, unus Dominus, unus Filius, una persona.

Etenim Christum non vocat « duplum » nisi « naturarum » : « Ὁ εἷς ἐστι διπλοῦς,... ἀλλὰ τῇ φύσει » [1]. Divinitatis et humanitatis docet esse divisionem, at Christum, qua Christum et filium, esse indivisibilem : « Nam non habemus duos Christos nec duos filios. Nec enim est apud nos primus Christus et alter, neque alius et alius, neque alius iterum filius et alius iterum ; sed ipse unus est duplex,... natura » [2]. Duas igitur naturas explicat conjunctas in una persona : « Utraque natura in una persona unigeniti adoratur » [3]. « Duarum naturarum est... ἓν πρόσωπον » [4]. Laudat propterea S. Cyrillum quod profiteatur « duarum naturarum divisionem secundum rationem humanitatis et deitatis earumque conjunctionem in una persona ἑνὸς προσώπου » [5]. Illam vero conjunctionem dicit adeo arctam et perpetuam ut « Verbum Dei », qui « antea filius erat et vocabatur », assumpta forma servi, jam « non possit vocari separatus filius (κεχωρισμένος υἱός), ne duo filii praedicentur... Propterea Verbum Deus vocatur etiam Christus, siquidem habet conjunctionem ad Christum continuam, et [jam] non est Deum Verbum sine humanitate agere quidquam » [6]. Hinc est cur « generatio, quae est ex b. Virgine, filii dici possit — filium enim Dei genuit etiam ἡ Χριστοτόκος παρθένος —, siquidem filius Dei duplex est quoad naturas » [7]. Christus igitur, « sicut Deus existens et homo,... idem ipse... et novissimus est et ante saecula, sicut homo quidem recens, sicut Deus autem ante saecula » [8].

Ex hujusmodi assertionibus, quibus consonat doctrina exposita in opere posthumo : *Le livre d'Heraclide* [9], concludant facile multi Nestorium non fuisse nestorianum ; non fuisse condemnatum nisi

(1) Loofs : *Nestoriana*, 281[8-9] ; cf. 263[15] et 276[15] : « duplum naturarum » et 274[15] : « διπλοῦς ἐστι τὰς φύσεις », etc.

(2) *Ibid.* 281[3-8] ; cf. 273[13] : « Εἷς ὁ Χριστὸς καὶ εἷς κύριος », Item 224[12-15], sed authenticitatis dubiae. — (3) *Ibid.* 171[7] (PL 50. 443 B). — (4) *Ibid.* 196[16].

(5) 176[15-17] (PG 77. 52 C) — (6) 275[4-12]. — (7) 274[11-15].

(8) 278[4-7] et cf. 280[9-10 et 15]. — (9) De quo cf. Seeberg : *Lehrbuch der Dogmengesch.* II, p. 202 et Tixeront : *Hist. des dogmes*, III, p. 24-33.

quia perverse interpretatum a S. Cyrillo ; non abjecisse vero S. Cyrilli doctrinam, Θεοτόκον imprimis, nisi eo sensu monophysitico, quo a non paucis re vera S. Cyrilli discipulis intellecta est et in concilio Chalcedonensi abjecta [1].

102. II Principia solutionis.

1° Controversia doctrinalis exacerbata simul et obscurata est, non tantum diversitate exegetica et theologica scholae Alexandrinae et Antiochenae, sed etiam diuturna contentione Alexandriae et Constantinopolis de primatu in Oriente.

A) **Indicia historica illius contentionis** : 1° Oppositio diuturna S. Athanasii et Alexandrinorum Meletianis Antiochiae, quibus econtra communicabant episc. Orientales. — 2° Tentamen intrusionis in sedem Cp^lanam Maximi Cynici (380), cui favebat Petrus Alexandrinus. — 3° Canones 1 et 2 concilii Cp^lani (381), quibus praecavetur exercitium auctoritatis Alexandrinorum extra Aegyptum et extollitur praeeminentia Sedis Novae Romae. — 4° Depositio S. Joannis Chrysostomi a Theophilo Alexandrino in synodo *ad Quercum* (403) : cui concilio aderat Cyrillus Alexandrinus, Theophili nepos et successor (412), qui Chrysostomi nomen diptycis Ecclesiae suae noluit inserere nisi anno 417. — 5° Depositio Nestorii a Cyrillo Alexandrino in conc. Ephesino (431). — 6° Depositio Flaviani Cp^lani a Dioscoro Alexandrino in « *latrocinio Ephesino* ». — 7° Condemnatio Dioscori Alexandrini in conc. Chalcedonensi.

B) **Indicia illius contentionis in scriptis Nestorii** : 1° In *epist. ad Joannem* Antiochenum, ante conc. Ephes. : « De consueta vero ex Ægypto praesumptione maxime tua religiositas non debet admirari, dum habes antiqua hujus exempla perplurima » (Loofs : *Nestoriana*, p. 186) — 2° In oratione, quam habuit post delatam sibi epistolam synodicam cum anathematismis S. Cyrilli, commemorat quoties Alexandrini agressi sint Orientales : « Docuit me et Moyses non conturbari, siquidem experimentum acceperit praedicti prophetae Aegyptiaca desperatio. Nec beatum quondam Flavianum [Antiochenum], cum, tyrannico spiritu, epistolas mitteres ; nec

(1) Ita v. gr. Bethune-Baker : *Nestorius and his Teaching* (Cambridge. 1908); item aliquatenus Harnack : *Dogmengesch.* II^4, p. 356. — De tota illa quaestione videas praeter Seeberg et Tixeront, *locis cit.* : Jugie : *Nestorius et la controverse nestorienne* (Paris 1912), collatis recensionibus illius operis datis v. gr. a Cavallera in *Bulletin de litt. ecclés.* 1912. p. 409-411 et 1913, p. 79-88 ; a d'Alès in *Recherches de science relig.* 1914, p. 241-243 ; a Chapman in *Rev. bénédictine*, 1914, p. 194-197 ; ab H. Koch in *Theolog.-Littztg*, 1913, p. 460. Item Mac Lean, art. *Nestorianism* in *Encyclop. of Religion and Ethics*. p. 330-331.

eum, qui ante hunc inter sanctos numeratur, Meletium perturbasti. Tu quae habes et donas : bonus homo de bono thesauro profert bona (et malus homo de malo thesauro profert mala), et beato Nectario talium munerum tuorum gustum dedisti. Taceo de Joanne, cujus nunc cineres adorando veneraris invitus » [1].

103. *2° Formulae utrinque adhibebantur de se adeo aequivocae ut, pro contraria cura vitandi Apollinarismi vel Adoptianismi, suspicionem necessario moverent.*

A) **Æquivocatio oriebatur imprimis ex synonymia reali, etsi non notionali aut adaequata,[2] quae utrinque agnoscebatur vocibus** φύσις et ὑπόστασις. Nam voces illae, etsi jamdiu in quaestionibus de Trinitate distinguebantur, tamen, quia extra Deum non agnoscebatur ulla in rerum natura φύσις, quae non esset simul ὑφεστῶσα [3], ubi agebatur de Christo, usurpari solebant indifferenter [4].

(1) Loofs. *op cit.* p. 300 (PG 48. 581-582). Cf. ea quae Johanni Antiocheno jam anno 433 S. Cyrillo adhaerenti scribebat Eutherius episc. Tyanensis : « Omnia fecistis, soli placere festinantes Ægyptio » (cit. ap. Harnack : *Dogmengesch.*, II⁴, p. 365, nota 4). — N. B. 1° Adhaesionem ab Orientalibus, praesertim Antiochenis, datam Nestorio haud illegitime tribuas etiam ex parte timori traditionali Syrorum ne ab Ægyptiis opprimerentur. — 2° Opera polemica et epistolae S. Cyrilli ad Nestorium multo magis quam scripta Nestorii sapiunt sapientiam episcopalem (« Cyrill hat würdiger geschrieben als sein Rivale ». Harnack. II⁴, p. 356). Qui S. Cyrillo crimini vertunt munera Constantinopolim ad aulicos sibi conciliandos missa, iis ratio habenda est tum consuetudinis in rebus politicis agendis, tum influxus quo Ephesi legati imperatoris usi sunt — De largitionibus illis cf. Nestorius : Le *livre d'Héraclide* (trad. Nau), p. 247-248 et 305-307 ; Batiffol : *Etudes de liturgie et d'archéol. chrét.*, p. 154 ; Hefele-Leclercq : *Hist. des conciles*, II², p. 1318-1320.

(2) Quatenus vox ὑπόστασις non adhibebatur pro complexu notarum essentialium seu pro « natura » considerata in abstracto, id est, pro οὐσία, bene vero φύσις, ut videre est v. gr. apud S. Cyrillum : *Quod B. M. sit Deipara*, 12 (PG 76. 269) : de quo cf. Jugie, *op. cit.* p. 776 et 180-183 ; Chapman : *Rev. bénéd.* 1914, p. 195). — (3) Nam, ait S. Cyrillus, « τὸ μὴ ὑφεστὼς, ἐν ἴσῳ τῷ μηδενὶ, μᾶλλον δὲ παντελῶς οὐδέν » (*De recta fide, ad Theod.*, 13 PG 76. 1153 B).

(4) Hoc multipliciter constat apud S. Cyrillum : A) Affirmat synonymiam : « Dicimus unionem καθ'ὑπόστασιν factam esse, verbo hoc καθ'ὑπόστασιν nihil aliud demonstrante nisi hoc tantum quod ἡ τοῦ Λόγου φύσις, ἥγουν ἡ ὑπόστασις, id est, ipsum Verbum, humanae naturae (φύσει) unitum, unus intellegitur et est Christus, idem Deus et homo » (*Apologet. cont. Theodor.* 2 PG 76. 401 A). — B) Indifferenter dicit unionem factam esse καθ'ὑπόστασιν vel κατὰ φύσιν : cf. v. gr. in ad Nestor. *epist.* 17 vel *hom. pasc.* 8. 4 (PG 77. 109 D et 112 B ; et 568 C) ; in *adv. Nestor.* II. 1 et *De recta fide ad reginas*, 12 (PG 76. 65 A ; 1220 B). — C) Post unionem, φύσεις sicut et ὑποστάσεις, dividi non vult : cf. pro φύσεις,

Hinc erat cur : a) Διαίρεσις φύσεων, quam Nestorius contra Apollinaristas urgebat, S. Cyrillo saperet idem ac διαίρεσις ὑποστάσεων seu personarum. — b) S. Cyrillus, etsi teneret duas φύσεις convenire in Christum constituendum, ita ut Christus esset εἷς ἐξ ἀμφοῖν, tamen vellet eum dici ἕνα φύσει, vixque toleraret duas dici in Christo, post unionem, φύσεις : explicabat enim, sicut ex diversis naturis, corpore scilicet et anima, est una hominis natura, item ex divina et humana natura esse « unam Verbi Dei naturam incarnatam » (μίαν τὴν τοῦ Θεοῦ λόγου φύσιν σεσαρκωμένην)[1] : quam formulam quae Apollinaristae cujusdam erat [2], ipse putabat esse S. Athanasii [3] et intellegebat de natura divina in Verbo subsistenti sed induta carne, Nestorius vero intellegebat sensu Apollinaristarum. — c) Formulae, S. Cyrilli : ἑνῶσθαι καθ'ὑπόστασιν, κατὰ φύσιν, ἕνωσις φυσική, Nestorio sapuerint naturarum ipsarum unionem vel potius mixtionem et confusionem, cum econtra exclusio hujusmodi unionis et unio μόνῃ συναφείᾳ S. Cyrillo saperet meram duarum hypostaseon seu personarum appositionem.

104. B) **Orta jam controversia, suspicioni utrinque habitae sunt formulae et appellationes, quae, apud alios vel in alio contextu, recto sensu usurpatae inveniuntur** : Sic v. gr. :

a) Orientales et Nestorius de humana natura, quam conantur affirmare perfectam et non divinae permixtam, dicunt : ἡ τοῦ δούλου μορφή ; τὸ ἐκ σπέρματος Δαυείδ ; τὸ ληφθέν ; τὸ φαινόμενον ; ὁ ἄνθρωπος : quae vocabula, quia concreta, S. Cyrillo suspicionem movent ὑποστάσεως propriae. Ipse enim potius dicit ἀνθρωπεία vel ἀνθρώπου φύσις, σάρξ, σὰρξ ἔμψυχος, σῶμα ; vocem ἄνθρωπος in specie non excludit ut attributum : ὁ Λόγος γέγονεν ἄνθρωπος, at excludit ut subjectum : οὐκ ἄνθρωπον ἀνειλῆφθαί φαμεν παρὰ τοῦ Θεοῦ Λόγου [4].

b) Utrinque adhibetur formula scripturistica : ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο ; corpus Christi dicitur divinitatis ναός [5]. At, sicut Orientalibus

Epist. 45 : « Μετὰ μέντοι τὴν ἕνωσιν οὐ διαιροῦμεν τὰς φύσεις ἀπ'ἀλλήλων (PG 77. 232) ; pro ὑποστάσεις, *anath.* 3 et *Epist.* XVII (PG 77. 120 C et 116 A). — D) « Μία φύσις τοῦ Λόγου σεσαρκωμένη » idem illi est ac unum πρόσωπον : « Ignorant ***unam*** esse ***naturam Verbi*** incarnatam. Si enim unus est Filius, Verbum ex Deo Patre genitum, qui deinde secundum assumptionem carnis prodiit homo ex muliere, non propterea εἰς δύο μεριστήσεται πρόσωπα καὶ υἱούς » (*Epist.* XLVI. 2 PG 77. 242 A).

(1) Cf. v. gr. *Epist.* XLIV (PG 77. 225 B). — (2) Cf. Voisin : *L'apollinarisme*, p. 155 et 182 sqq. — (3) *De recta fide ad reginas*, 10 (PG 76. 1212 A).

(4) ***Apologet. cont. Theodor.*** 8 (PG 76. 429 A).

(5) Ita S. Cyrillus ipse, tum in suo *Commentario in S. Joannem* l. XI (PG 74. 455 D ; 564 A ; 528 C ; 549 C-D ; 564 A), tum adhuc in ***epist.*** 50 (PG 76. 260 A),

expositio S. Cyrilli ἕνωσις φυσική sapit apollinarismum, ita S. Cyrillo sapiunt adoptianismum formulae orientalium ἕνωσις simpliciter, vel ἐνοίκησις aut συναφεία [1].

Hinc sequitur non ex formulis solis determinandam esse doctrinam quae vere fuerit Nestorii aut S. Cyrilli, sed inquirendum quid proprie suis formulis uterque voluerit intellegi aut excludi.

105. *3° Perversum sensum, quem Nestorius putabat latere sub* Θεοτόκος *et aliis S. Cyrilli formulis, S. Cyrillus aperte excludebat.*

A) **Timebat** imprimis **Nestorius** ne Deus seu Dei Verbum, id est, Deitas ipsa intellegeretur **initium existendi accepisse ex Virgine,** obiisse mortem, aliquamve sui passam esse deminorationem.

Jamvero hoc ipsum S. Cyrillus explicite excludebat in sua jam ad Nestorium epistola secunda, — quam videas PG 77. 45-48.

B) **Timebat** ne, admissa in Christo naturarum unione, confusione aut permixtione, qualem admiserat Apollinarius et somniavere postea multi Monophysitae [2], natura humana ita absorberetur a divina ut quae sunt ejus **proprietates physicae jam dicerentur de ipsa natura divina,** seu jam non admitteretur in Christo **nisi una natura.**

Quod quidem videri poterat insinuatum : a) formula S. Cyrilli : μία φύσις τοῦ Θεοῦ Λόγου σεσαρκωμένη ; — b) prohibitione anathematismi 4ⁱ ne voces de Christo applicarentur aliae homini praeter Verbum, aliae Deo ipsi ; — c) assertione S. Cyrilli quod Christus sit ἐξ ἀμφοῖν et quod naturae post unionem distinguantur θεωρίᾳ μόνῃ.

Jamvero S. Cyrillus aperte docuit diversas esse naturas ad veram unitatem coactas, et ex quibus duabus unus sit Christus atque Filius, at earum non tolli diversitatem per unionem [3] ; Verbum enim, « dei-

(1) Quanta fuerit de formulis illis aequivocatio constare potest per interpretationes, quas dedere anathematismi S. Cyrilli 2ⁱ et 3ⁱ vel Andreas Samosatensis vel Theodoretus (Cf. *S. Cyrilli : Apologet...*). — Omnes tamen inveniuntur indifferenter usurpatae vel apud Apollinaristas v. g. συναφεία. vel apud Antiochenos v. gr. ἕνωσις οὐσιώδης, ἕνωσις φυσική. Cf. Voisin : *L'appolinarisme,* p. 282 et Harnack, II⁴, p. 335, note 2 et p. 342.

(2) Cf., in oratione quam habuit post acceptas litteras S. Caelestini et S. Cyrilli, quomodo eam praetendat rationem cur Θεοτόκος non haberi possit ut tessera fidei : hoc et Arius et Apollinarius dicit, et tamen uterque est haereticus (Loofs : *op. cit.* 300-301). Cf. econtra apud S. Cyrillum (*Epist.* 44) quomodo « non omnia quae haeretici dicunt statim fugienda ac repudianda sint » (PG 77. 225 A).

(3) « Διάφοροι μὲν αἱ πρὸς ἑνότητα τὴν ἀληθινὴν συναχθεῖσαι φύσεις· ἐξ δὲ ἐξ ἀμφοτέρων Χριστὸς καὶ Υἱός· οὐκ ὡς τῆς τῶν φύσεων διαφορᾶς ἀνῃρημένης διὰ τὴν ἕνωσιν » (2ª *ad Nestor. epist.* IV PG 77. 45 C).

tate, aut ex Patre nativitate non abjecta, mansit, in ipsa quoque carnis assumptione, quod erat » [1] ; « non [igitur] Dei Verbum plagas aut clavorum perforationes aut alia id genus verbera in propriam naturam accepisse, sed corpus, quod sibi asciverat, haec fuisse expertum » [2].

Ita jam ante editam ullam Nestorii condemnationem. Eadem vero epistola explicat Verbum a B. Virgine generatum esse secundum carnem, hoc sensu quod « generato ex ea sancto corpori, animato anima rationali, unitum est καθ' ὑπόστασιν » [3]. Quam animae etiam rationalis assumptionem inlassanter postea affirmavit [4] sicut et exclusit omnem naturarum confusionem [5].

106. a) **Formulam vero** μ. φ. τ. Θ. Λ. σ., — quam usurpat quia putat ex usu PP. significare perfectam Christi unitatem personalem [6], — explicat omnino non excludere realitatem humanae naturae a divina diversae, cui competant ea quae sint physice humana.

α) Significat, post unionem, sublatam esse *sectionem* in duo (ὡς ἀνῃρημένης ἤδη τῆς εἰς δύο διατομῆς), minime vero, per incarnationem aut inhumanatio-

(1) *Ibid.* 48 C. — (2) *Ibid.* 48 A. Cf. pariter : *In Joann.* l. XI, cp. 10 : « Πέπονθε κατὰ σάρκα· θανάτου γὰρ δεκτικὸν τὸ σῶμα· τεθνᾶναι δὲ διὰ τοῦτο [ὁ Λόγος] λέγεται· τὸ γὰρ ἴδιον αὐτοῦ τέθνηκε σῶμα » (PG 74. 549 A).

(3) *Epist.* IV. (PG 77. 48 D). — (4) Cf. v. gr. *epist.* XVII et XLVI (PG 77. 116 C et 240 A-B) ; *adv. Nestor.* II (PG 76. 61 A).

(5) Cf. v. gr. *epist.* XXXIX, XL et XLV (PG 77. 180 B 193 A et C, et 232 A-B) ; *quod unus sit Christus* (PG 75. 1289. C-D). Hoc ceterum fateri debent historici etiam S. Cyrillo malevoli : « Nestorius richtete sich in seinem Kampfe gegen den Photinianismus, als habe das Wort erst aus der Jungfrau seinen Anfang genommen ; gegen den Apollinarismus, gegen die Vorstellung, als sei das Fleisch Christi nach der Auferstehung nicht mehr Fleisch, also gegen die « deificatio » des Fleisches, und gegen die Vermischung. Das Alles traf den Cyrill in der Tat nicht » (Harnack, II[4], p. 357, note 3). Item p. 353 : « Cyrill ist nirgendwo weder nach lincks noch nach rechts, mit Absicht, von der Linie abgewichen, auf der sich der Erlösungsglaube der griechischen Kirche und ihrer grossen Väter gehalten hat. Er war Monophysit, sofern er gelehrt hat, dass der Logos nach der Menschwerdung immer nur, wie vorher, eine Natur habe ; aber als Gegner des Apollinaris hat er die menschliche Natur mit der göttlichen in Christus nicht vermischen wollen ». Et in nota 1 : « Am Tage liegt, dass Cyrill in Bezug auf die landläufigen und damals noch immer weit verbreitenden doketischen und apollinaristischen Vorstellungen (Scheinmenschheit, κρᾶσις, σύγχυσις, τροπή) reinigend gewirkt hat. Es ist bewunderungswürdig, wie fest er hier gewesen ist. Vielleicht liegt darin seine grösste Bedeutung ».

(6) « Ἕνα φαμὲν Υἱόν, καὶ, ὡς οἱ Πατέρες εἰρήκασι, μίαν φύσιν τοῦ Θεοῦ Λόγου σεσαρκωμένην » (*Epist.* XLV. PG 77. 232 D).

nem, inductam esse ullam conversionem aut confusionem [1] : « diversitatem enim naturarum agnoscere, non est secare in duo unum Christum » [2].

β) Non excludit in specie quod, in unione, « caro, etsi Dei facta est caro, maneat caro ; et similiter [quod] Verbum, etsi carnem fecit sibi propriam, sit Deus et non caro » [3].

γ) Ex illa formula igitur illegitime concludatur Verbum pati sua divina natura : « Recte hoc diceretur, si non esset [in unione] quod ex natura sua passionem suscipere possit (Εἰ οὐκ ἦν... τὸ πεφυκὸς ὑπομένειν τὸ πάθος). Deficiente enim, quod ex natura sua pati possit (τοῦ πεφυκότος πάσχειν), necessarium omnino esset passionem cadere in Verbi naturam ; sed, cum [formula] dicat σεσαρκωμένην », prae oculis ponit totum quod secum fert Incarnatio : « frustra nugantur qui dicunt consequens omnino esse ut ipse in sua natura passionem sustinuerit, cum adsit caro, circa quam merito concipiatur contigisse passionem, Verbo manente impassibili » (ὑποκειμένης τῆς σαρκός, περὶ ἣν εἰκότως ἂν συμβῆναι τὸ παθεῖν νοοῖτο, ἀπαθοῦς ὄντος τοῦ Λόγου) [4].

δ) Duarum naturarum permixtionem et confusionem (φυρμὸν καὶ σύγχρασιν), vel humanae in divina subtractionem (μειουμένης ὥσπερ καὶ ὑποκλεπτομένης.... ἐν αὐτῷ) haud magis implicat quam μία φύσις hominis in genere implicat confusionem animae et corporis, ex quibus est : quae, cum sint et ipsa ἑτεροειδῆ, διάφοροι φύσεις [5], constituunt tamen μίαν ἀνθρώπου φύσιν [6]. Quam explicationem, sic post concilium Ephesinum expositam, innuerat jam ante concilium [7], quin tamen comparationem sic institutam censeret esse adaequatam, nam modum unionis jam tunc dicebat esse supra mentem (ἀπορρήτως καὶ ὑπὲρ νοῦν) [8].

ε) Formula igitur, etsi unam tantum nominat naturarum ex quibus est Christus, duas tamen supponit haud minus quam corpus simul et anima significatur ubi, pro more Scripturarum, ex parte una totus homo significatur [9]. Consequenter enim ad hunc modum loquendi, « si quis eum vocat Unigenitum et Deum ex Deo, [tamen] non existimat eum existere sine

(1) *Epist.* XL. (Ibid. 192 D 193 A) — (2) *Epist.* XLIV (225 B).
(3) *Epist.* XLV. (232 C-D.
(4) *Epist.* XLVI. 1 (240 D). — (5) *Epist.* XLIV et XLV (225 B et 233 A).
(6) *Epist.* XLVI (241 C) et cf. *Quod unus sit Christus* (75. 1292 A).
(7) *Adv. Nestor.* II. (75. 61 A).
(8) *Ibid.* 60 D, et cf. *Quod unus sit Christus,* ubi pariter dicit : Ἀπερινοήτως παντελῶς ὁ τῆς ἑνώσεως τρόπος (75. 1292 A) ; cf. *hom. pascal.* XVII (PG. 77. 781 A-B).
(9) V. gr. vocibus « caro » aut « anima » significatur totus homo.

carne seu humanitate. Ac rursus, tametsi quis eum vocet hominem, non excludet ab eo quod sit Deus et Dominus » [1].

107. b) **Formulas igitur, quod Christus sit** εἷς ἐξ ἀμφοῖν, **et quod post unionem duae naturae distinguantur** θεωρίᾳ μόνῃ, **eo ipso explicat non inferre ullam earum confusionem.** Ceterum distinctionem hujusmodi ipse clare significat esse in re ipsa nec opponi nisi sectioni, qua seorsim et sibi utrumque unitorum existeret. Explicando enim Orientales in *Symbolo unionis* dissentire a Nestorio, ait :

« Ea, ex quibus constitutus intellegitur Christus, simplici solaque cogitatione (μόναις ἐννοίαις) complectentes, naturarum quidem dixere differentiam (διαφοράν) : — neque enim, ut dicebam, idem naturali qualitate sunt divinitas et humanitas ; — at, quae unita sunt nullo modo dividunt (μερίζουσι) [2] »... « *Aliud* [porro] est dividere (διαιρεῖν) naturas ipsas,... et sola honoris aequalitate hominem dicere conjunctum Deo, et *aliud* rursum vocum agnoscere differentiam (διαφοράν) [3] ».

Item, ubi explicat « dicere humanitatis naturam et divinitatis in Emmanuel, [si modo] humanitas facta sit propria Verbi et unus Filius intellegatur cum ea, » haud magis officere unitati Christi quam admittere in nobis corpus et animam officit naturali nostrae unitati [4]. Et, re vera, ipse explicite dicit, non obstante formula μία φύσις, non tantum concipi sed etiam manere in uno Filio utramque naturam in sua proprietate naturali : « ἐν ἰδιότητι τῇ κατὰ φύσιν ἑκατέρου μένοντός τε καὶ νοουμένου » [5]. Quod patet ex jam dictis de humana carne, quae non tantum maneat in Christo caro et passionis capax, sed etiam sola patiatur et moriatur.

108. c) **Anathematismum tandem 4^m^ explicat** excludere quidem **vocum de Christo prolatarum distributionem inter duo subjecta personalia,** ita ut aliae applicentur homini in seipso seorsim a Christo considerato (παρὰ τὸν ἐκ θεοῦ Λόγον ἰδικῶς νοουμένῳ), aliae vero soli verbo, at nullo modo negare vocum illarum alias esse θεοπρεπεῖς ideoque rationem suam habere in natura divina Verbi, alias autem ἀνθρώπινα significare proindeque rationem habere in humanitate assumpta :

(1) *Quod unus sit Christus* (75. 1292 B-C).
(2) *Epist.* XL (77. 193 D - 196 A — (3) *Ibid.* (197 A).
(4) *Epist.* XLVI (245 A - B). Cf. *in Joann.* l. X, cp. 2 (PG. 74. 344 B-C).
(5) *Epist.* XLVI. (77. 241 B).

α) Distinctionem hujusmodi ipse jam ante nestorianam controversiam statuerat, ubi contra Arianos scribebat : « Quotiescumque in sacris Litteris aliquid dicitur quod soli carni atque humanae figurae convenit, illud noli ad Verbum referre, sed da naturae carnis (μὴ ἐπὶ τὸν Λόγον ἀνάγῃς, ἀλλὰ δὸς τῇ φύσει τῆς σαρκός) ea quae illi conveniunt »[1]. Posito enim quod Verbum factum est homo, « consequens est ad humanitatem referre ea quae humanitus dicuntur » (εἰς τὴν ἀνθρωπότητα φέρειν τὰ ἀνθρωπίνως εἰρημένα)[2].

β) Eamdem distinctionem prae se ferebat epistola synodica praemissa anathematismo. Eas enim voces, quas, contra Nestorium, urgebat dictas esse ab uno eodemque (παρ' ἑνὸς εἰρῆσθαι), dicebat esse tum ἀνθρωπίνας tum θεϊκάς, quas de se ipso Christus protulerat[3]. Nam, aiebat, ei ipsi, qui non horruit se exinanire et caro fieri, nulla est ratio denegandi, quia « secundum humanitatem sunt » (εἰ γεγόνασιν ἀνθρωποπρεπῶς), « eas voces quae homini et exinanitioni conveniunt » (τοὺς ἀνθρώπῳ πρέποντας λόγους.... τοὺς τῇ κενώσει πρέποντας λόγους)[4].

γ) Eodem sensu, tempore consilii Ephesini, in *Explicatione duodecim capitum,* explicabat se, etsi « Evangelii voces omnes, tum τὰς ἀνθρωπίνας tum τὰς θεοπρεπεῖς, uni προσώπῳ applicat », tamen, « si quid humanum [Christus de se] praedicat, hoc ad humanitatis ejus conditionem transferre » (τοὺς τῆς ἀνθρωπότητος αὐτοῦ μέτροις καταλογιούμεθα)[5].

δ) Item in *Apologetico contra Orientales,* ubi dicit se « non ignorare suas utrique naturae convenire voces » (τὴν ἑκάστῃ φύσει πρέπουσαν φωνήν)[6], imo probare ut singulae voces accipiantur prudenter, siquidem « aliae sunt θεοπρεπεῖς, aliae τῇ μετὰ σαρκὸς οἰκονομίᾳ ἁρμοδιώτεραι »[7], sed hoc excludere tantum quod ita dividantur inter hominem et Verbum ut Christus dividatur « εἰς ἄνθρωπον ἰδικῶς τε καὶ ἀνὰ μέρος, καὶ εἰς Θεὸν Λόγον ἰδικῶς τε καὶ ἀνὰ μέρος »[8].

ε) Propterea admittit *Symbolum unionis,* quo Orientales profitentur voces de Christo alias communiter proferri tanquam de una persona, alias dividi tanquam de duabus naturis (τὰς μὲν κοινοποιοῦντας, ὡς ἐφ' ἑνὸς προσώπου, τὰς δὲ διαιροῦντας, ὡς ἐπὶ δύο φύσεων),

(1) *Thesaurus* XXVIII (PG 75. 429 B-C). — (2) *Ibid.* XXII (369 B).

(3) *Epist.* XVII (PG 116 B) et cf. pariter *hom. pasc.* XVII : « καίτοι παντέλειος ὢν ὡς Θεὸς, τὰ τῆς ἀνθρωπότητος ἰδια... εἰς ἑαυτὸν... ἀναλαβών » (*ibid.* 781 A).

(4) *Epist.* XVII (116 C). — (5) PG. 76. 301 C. — (6) *Ibid.* 340 C.

(7) *Ibid.* 337 C. — (8) *Ibid.* B et cf. idem in *Apologet. cont. Theod.* (417 B-C) et *Quod unus sit Christus* (75. 1328 B-C).

nam, ut ipse explicat amicis suis, illi jam non « admittunt divisionem physicam » (φυσικὴν διαίρεσιν) et admittunt voces convenire, « non quidem alias, ut Filio seorsim, Verbo qui est ex Patre, alias vero, ut alii etiam iterum filio, ei qui est ex Virgine, sed alias divinitati ejus, alias humanitati ejus »[1]... « Evidens enim est eos, dum dicunt alias voces, [quia] θεοπρεπεῖς, aptandas esse divinitati ejus, alias vero, [quia] ἀνθρωπίνας, ejus iterum humanitati, eo ipso non dividere in duos unum J. C. » (οὐ μερίζουσιν εἰς δύο τὸν ἕνα Ἰ. Χ.)[2]. Nam « aliud est vocum agnoscere differentiam, aliud [eas] dividere duabus personis tanquam alii et alii »[3], ut faciebat Nestorius. Porro anathematismi vis et sensus erat tantum contra blasphemiam Nestorii, ita ut S. Cyrillus jam professus esset se facillime consensurum eis omnibus qui vesaniam ejus anathematizassent[4].

109. 4° *Id econtra, in quo proprie se prodit Ecclesiae dogma, et quod S. Cyrillus propugnavit ut controversiae objectum proprium et essentiale — Verbi scilicet esse etiam ea quae secundum humanam naturam sunt in Christo — id Nestorius admittere semper detrectavit.*

A) **Eum esse dogmatis sensum** proprium jam supra demonstratum est.

Eam autem esse doctrinam, quam S. Cyrillus proprie urget ut Nestorio profitendam constat exinde quod volebat : 1° eum ipsum, qui ex Deo Patre est aeternus et in se impassibilis, agnosci tamen ex Virgine in tempore natum, carne passum et mortuum ; 2° hoc non intellegi nisi eo sensu quod Verbum, ratione unionis καθ' ὑπόστασιν, suam fecerit carnem cum omnibus quae carnis naturalia sunt.

Prius patet.

Posterius autem probatur ex innumeris locis, ubi per hujusmodi apprehensionem et appropriationem explicat Deum dici ex Virgine natum, profecisse, passum, mortuum et resuscitatum esse, Sic. v. gr :

110. a) **Ante exortam controversiam,** contra Arianos : Sicut admittitur Filius passus esse quia « ἴδιον ἦν αὐτοῦ τὸ πάσχον σῶμα », ita

(1) *Epist.* XL. (77. 196 A). — (2) *Ibid.* (197 A-B).

(3) "Ετερον δὲ ἐστι τὸ φονῶν εἰδέναι διαφοράν, καὶ ἕτερον τὸ μερίζειν δυὸ προσώποις, ὡς ἑτέρῳ καὶ ἑτέρῳ » (*Epist.* XLIV. PG. 77. 228 B et cf. idem epist. XL (197 A).

(4) *Epist.* XXXIV (PG 77. 161 A-B). — Hinc apparet ne mutationem quidem sententiae quoad rem intercessisse apud S. Cyrillium, ubi admisit *Symbolum unionis*. Ita etiam Mahé in DTC. III. 2514.

dicitur « profecisse », quia « proficere debetur carni » et ille, utpote « ἐν αὐτῇ γενόμενος, suas fecit carnis affectiones inculpabiles » (τὰ αὐτῆς οἰκειούμενος ἀκατηγόρητα πάθη) [1].

b) **Initio controversiae,** ad Nestorium ipsum scribit : « Verbum dicitur subivisse generationem carnalem, quatenus suae carnis generationem fecit sibi propriam » : (ὡς τῆς ἰδίας σαρκὸς τὴν γέννησιν οἰκειούμενος). Ex eadem ratione dicitur passus : quoniam « τὸ γεγονὸς αὐτοῦ σῶμα πέπονθε » ; mortuus : quoniam « τὸ ἴδιον αὐτοῦ σῶμα ἐγεύσατο θανάτου » ; resuscitatus : quoniam « ἐγηγερμένης αὐτοῦ τῆς σαρκὸς, ἡ ἀνάστασις αὐτοῦ λέγεται ... ὅτι τὸ αὐτοῦ ἐγήγερται σῶμα »[2]. Item in *hom. pascali* XVII : « Qui est ante saecula Filius, dicitur destinatus fieri filius in extremis saeculi temporibus, ut τῆς ἰδίας σαρκὸς τὴν γέννησιν οἰκειούμενος » [3].

c) **Quando explicat et vindicat anathematismos suos :** Etsi Dei Verbum secundum essentiam suam est impassibilis, tamen profitendum est passum, crucifixum et mortuum carne, quia « ἴδιαν ἐποιήσατο σάρκα τὴν τοῦ θανάτου δεκτικήν » [4]. — Ob eamdem rationem dicitur ex itinere defessus, esuriisse, somnum cepisse, quia scilicet « caro facta est ejus propria, ejusque pariter factae sunt, κατ' οἰκείωσιν οἰκονομικήν, carnis infirmitates. Nam... τὰς τῆς σαρκὸς ἀσθενείας οἰκειοῦσθαί φαμεν αὐτὸν μετὰ τῆς σαρκός » [5] « Ipsius [uno verbo] facta sunt τὰ ἀνθρώπινα, siquidem totum mysterium dispensationis ejus in carne consistit in hoc quod ipsum dicatur accepisse formam servi » (ἐν τῷ λέγεσθαι λαβεῖν αὐτὸν τὴν δούλου μορφὴν ὅλον ἐστί) [6].

d) **Post unionem cum Orientalibus,** explicat eodem modo Verbum Dei manere impassibile, etsi « sibi ascribere cernitur passiones, quae propriae carni accidcrunt » [7]. Nam, « κατ' οἰκείωσιν οἰκονομικήν, sibi (εἰς ἑαυτόν) ascribit passiones propriae suae carnis » [8]. Hinc est cur *se potuerit offerre in sacrificium :* « Cum corpus ex Virgine sumptum fecisset sibi proprium

(1) *Thesaurus* 28 (PG 75. 429 A). — (2) *Epist.* XVII (PG 77. 45 D-48 B).

(3) PG 77. 481 A. Item, *in Joann.* l. 11 (PG 74. 549 A).

(4) *Explicatio duodecim capitum,* 12 (PG 76. 312 C). Item *Apologet. cont. Orientales,* 12 : « Quia... affirmamus ἴδιον ὑπάρχειν αὐτοῦ τὸ ἐκ τῆς... Παρθένου ληφθὲν ἄχρον σῶμα, eam ob causam jure optimo, κατ' οἰκείοσιν οἰκονομικήν dicimus αὐτοῦ λέγεσθαί τὰ τῆς σαρκὸς πάθη » (*Ibid.* 380 D). « Quando igitur dicitur carne passus, non ipse in propria natura, qua Deus est, intellegitur passus, sed potius ἰδιοποιούμενος τὸ πάθος· αὐτοῦ γὰρ γέγονε τὸ ἐνωθὲν αὐτῷ σῶμα... Ἰδιοποιεῖται γὰρ, ὡς ἔφην, τὰ τοῦ ἰδίου σώματος πάθη » (*Ibid.* 381 A et C).

(5) *Quod unus sit Christus* (PG 75. 1328 D : cf. 1332 C : « οἰκειοῦται τὰ ἡμῶν »).

(6) *Ibid.* 1288 D et cf. B : « ἴδιον γεγονὸς τοῦ λαβόντος τὸ ληφθέν ».

(7) « Ἑαυτῷ προσνέμων... τὰ ἰδία σαρκὶ συμβεβηκότα πάθη » (*Epist.* XXXIX PG 67. 180 C). — (8) *Ibid.*

(ἴδιον αὐτὸ ποιησάμενος), dici potuit subiisse ea quae in ejus carne facta sunt. Cujus enim proprium est corpus, hujus etiam pleno jure dicuntur quae sunt [corporis]. Quia igitur Verbum Dei, postquam homo factus est, mansit divinitus quidem impassibilis, at necessario sibi appropriavit ea quae sunt carnis suae (οἰκειούμενος ἀναγκαίως τὰ τῆς ἑαυτοῦ σαρκός), dicitur passus esse carne ea quae sunt secundum carnem » [1]

111. B) **Nestorium vero constat : a) cognovisse eam esse proprie doctrinam quae contra se urgererur ; — b) eam praecisse detrectasse semper admittere,**

a) **Cognovit eam contra se urgeri doctrinam,** siquidem sua ad Cyrillum epistola denunciat eum esse errorem, quo adversarii sui abducantur ab evangelica traditione ad errorem gentilium et Arii atque Apollinarii.

Appropriationem enim, quam fatetur ex unione oriri, distinguit duplicem : aliam ipse admittit, nam fatetur unionem corporis seu templi ad Filii divinitatem esse adeo intimam ut « ea quae sunt ejus [templi scilicet], natura divinitatis sua faciat » (ὡς οἰκειοῦσθαι τὰ τούτου τὴν τῆς θεότητος φύσιν), aliam vero, eam scilicet quae extendatur ad ipsa carnis assumptae naturalia, denunciat ut suorum adversariorum propriam. Error enim illi pessimus est « affigere nomini appropriationis (τῷ τῆς οἰκειότητος προστρίβειν ὀνόματι) etiam carnis assumptae proprietates (τὰς ἰδιότητας,) id est, generationem, et passionem, et mortem »... In eum porro prolabuntur « ii qui sic abducuntur nomine appropriationis (τῷ τῆς οἰκειότητος τοὺς τοιούτως παρασυρομένους ὀνόματι). Propter appropriationem (διὰ τὴν οἰκειότητα) Deum Verbum necessario faciunt participem (κοινωνόν, μέτοχον) tum lactationis, tum progressivi incrementi, et formidinis tempore passionis atque indigentiae praesidii angelici, ut taceatur et circumisio, et immolatio et sudor et fames, etc » [2].

(1) *Epist.* L. (264 A).

(2) *Ad Cyrillun* II (Loofs : *Nestoriana*, p. 178[29]-179[9] ; PG 77.56 A-B). Cf. pariter in *Le Livre d'Heraclide*, p. 130 : « Tu dis qu'il s'est attribué toutes les propriétés ». Ibidem, p. 139, eadem iisdem fere verbis asseruntur : « Que le corps ait été le temple de la divinité de Dieu le Verbe et que le temple ait été uni par une adhésion supérieure de la divinité au point de s'attribuer ce qui lui est propre par la liaison de la nature de la divinité, c'est beau à confesser et conforme à la tradition des évangiles. Quelle est donc cette autre union hypostatique que tu veux m'enseigner ?... Toutes les choses qui naturellement sont dites de la chair ne peuvent être dites du Verbe. » etc.

112. b) **Eam praecise doctrinam detrectavit semper admittere,** siquidem :

α) Ea praecise est quam in praemissis locis impugnat ut errorem pessimum.

β) Ea est quam Ephesi detrectavit, ubi episcopis interrogantibus respondit « *bimestrem aut trimestrem non oportere dici Deum* » : hoc enim episcopi audientes intellexerunt idem sonare ac prohibitio ab eodem in epistola facta ne « *de Deo Verbo dicatur lactatio neque generatio ex Virgine* » [1]. Vocis igitur sensus est Deum non debere dici ante duos vel tres menses natum : quod re vera haud aliter intellegi debet ac Deum dici ex Virgine natum aut in cruce mortuum [2].

γ) Ea est contra quam nititur tota sua argumentatio ex Scriptura aut ex Patribus Nicaenis : vult enim ea quae sunt carnis, generationem v. gr., nullibi attribui ipsi Deo aut Verbo sed unice Filio, Domino, Christo, quae sint nomina utriusque naturae significativa. Cf. jam in sua ad S. Cyrillum epistola II [3]. Item in orationibus, : « Attende, quaeso : Apostolus et evangelistae..., ubi dicunt nomen Filii, et quod ex muliere editus est, ponunt vocem ἐγεννήθη, at ubi commemorant Verbum, nullus eorum ausus est dicere γέννησιν διὰ τῆς ἀνθρωπότητος » [4].

(1) « Ἃ ἐκεῖ ἀπηγόρευσε περὶ τοῦ Θεοῦ Λόγου λέγεσθαι,... μὴ δεῖν περὶ Θεοῦ λέγειν γαλακτοτροφίαν, μηδὲ γέννησιν τὴν ἐκ παρθένου· οὕτω καὶ ἐνταῦθα πολλάκις ἔφη, δίμηναῖον ἢ τρίμηναῖον μὴ δεῖν λέγεσθαι Θεόν » (Mansi, IV. 1181 C).

(2) In opere suo posthumo, Nestorius illud dictum suum explicat intellegendum fuisse juxta solitam suam distinctionem appellationum communium et non communium utriusque naturae : de Deo scilicet, seu de Verbo, repugnare haec dici, minime vero de Filio Dei (*Le livre d'Héraclide*, p. 121-123). Eadem verba, qualia apud Socratem (H. E. VII. 34) referuntur, sensum fundunt paululum diversum : « Ἐγὼ, ἔφη Νεστόριος, τὸν γενόμενον δίμηναῖον καὶ τρίμηναῖον οὐκ ἂν Θεὸν ὀνομάσαιμι » (PG. 67. 813 C) : Nestorius negaverit eum, qui ante duos et tres menses natus sit, posse vocari Deum. Sensum hujusmodi haud improbabile est non esse ab ipso Nestorio intentum sed ab adversariis ejus potius deductum : deducebant enim illum negare natum ex Maria esse Deum. (Ita probabiliter cum Bethune-Baker, *op. cit.* p. 79 contra Mac Lean, *loc. cit.* p. 329, qui putat alium sensum non potuisse ulli in mentem venire). At haud minus probabile est eam re vera fuisse Nestorii mentem. Nolle enim « natum ante duos menses vocari Deum » plene consonat illius assertioni S. Thomam non dixisse Deum eum quem palpavit : quod Nestorius adeo vult excludi ut propterea, perversis evangelii verbis, invocationi ad suscitatum substituat doxologiam erga Deum suscitantem : « Ὁ μαθητὴς... τῇ ψηλαφήσει περὶ τῆς τοῦ σταυρωθέντος σώματος πεισθεὶς ἀναστάσεως, τὸν παραδοξοποιὸν ἐδοξολόγει Θεόν· ὁ κύριός μου καὶ ὁ Θεός μου, δόξα σοι, οὐ τὸ ψηλαφηθὲν προσαγορεύων Θεόν· οὐδὲ γὰρ ψηλαφήσει Θεότης εὑρίσκεται » (Loofs p. 267-268). Haud aliter Theodorus Mopsuestanus (D-B 224).

(3) Apud Loofs, p. 175-178 vel PG 77. 52-53. — (4) Loofs. p. 287.

Item late et magna vi in opere suo posthumo, in quo contendit S. Cyrillum illegitime arguisse ex Patribus Nicaenis :

« Où les Pères ont-ils dit que Dieu le Verbe est né, selon la chair, d'une femme ?... Montre donc que les Pères ont dit cette parole.... Pourquoi donc imputes-tu mensongèrement aux Pères ce qu'ils ne disent pas ?... Comment disent-ils que Dieu souffrit et mourut ?... qui l'a dit ? Toi ou les Pères ? Dis-le, ne trompe pas tes auditeurs à l'aide des Pères, en disant que tu adhères à leurs paroles et à leurs enseignements. Lis donc où ils ont dit que « Dieu le Verbe a souffert ». Et si tu dis que le Livre divin a dit que Dieu le Verbe a souffert, lis-le et ne le cache pas. Si tu ne le lis pas, pourquoi calomnies-tu les Pères » ? [1]

δ) Personam illam — πρόσωπον — quam, consequenter ad unionem, admittit esse in Christo unicam, aperte negat esse, ut vult S. Cyrillus, ipsum Dei Verbum :

« Moi je disais et j'affirmais que l'union est dans un seul *prosôpon* du Christ .... Toi tu fais le contraire, parce que tu veux que, dans les deux natures, Dieu le Verbe soit le prosôpon d'union... C'est donc le Christ qui est le prosôpon de l'union ; Dieu le Verbe n'est pas celui de l'union, mais de sa nature, et ce n'est pas la même chose » [2].

113. Dices : 1° At eae *lites* erant *de verbis*. Ideo enim et ideo

(1) *Le livre d'Héraclide*, p. 131-133. — (2) *Ibid.*, p. 127 et 128 ; item 129 : « De l'union des deux natures résulte un *prosôpon*... Nous ne divisons pas le *prosôpon* de l'union. Nous ne partons pas encore de Dieu le Verbe, comme d'un *prosôpon* d'union mais de celui d'où sont partis les Pères », id est, ex illis vocibus, utriusque naturae significativis : Dominum, Jesum Christum, Filium Dei, quae in symbolo Nicaeno praemittuntur assertionibus de consubstantialitate Verbi — N. B. Nestorii doctrina erat naturae utrique suum esse πρόσωπον, ita ut ex unione oriretur non duorum προσώπων confusio aut compositio in unum sed mutua apprehensio et quasi ad invicem donatio, vi cujus unum existeret commune πρόσωπον : quod, etsi valde obscurum nec forte ipsi Nestorio clare perspectum, tamen manifestum est esse ordinis mere moralis : Cf. Tixeront, *op. cit.*, p. 27-31.

Ad eam quasi duorum προσώπων in tertium quoddam conjunctionem alludere videtur S. Cyrillus in *De recta fide ad reginas*, 12. Adversarii, ait, nomen « Christus » volunt convenire tum Verbo extra carnem posito, tum ei qui natus est ex virgine, tum, « tertio, ambobus, quasi ratio unionis, ut ipsi aiunt, eos — [Verbum et filium virginis] colliget in unum πρόσωπον (Ὡσανεὶ τοῦ τῆς συναφείας λόγου, καθάπερ αὐτοί φασιν, εἰς ἓν αὐτοὺς πρόσωπον συνεισδέοντος) (PG 76, 1220 B). Ipse, econtra, in *De recta fide ad Theod.* 23, loquitur de colligatione, quae est per ipsum Verbum : Θεὸς Λόγος... ἀνθρωποτητα καὶ θεότητα εἰς ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν συνδούμενος » (*Ibid.* 1168 B).

tantum Nestorius nolebat Deum seu Verbum dici natum, passum aut mortuum, quia putabat ipsam Deitatem induci passibilem.

Respondeo : Hoc re vera *motivum* erat. Unionem sane, vi cujus etiam naturalia carnis assumptae fierent Dei ipsius, seu Verbi, propria, Nestorius reputabat impossibilem. Eam, quo modo fieri posset, S. Cyrillus haud magis apprehendebat [1], at, cum ecclesiastica traditione, firmiter asserebat esse credendam : quae controversia erat non de solis vocibus, bene vero de christianae religionis mysterio primario et fundamentali.

114. 2° *Nestorius tamen epistolam dogmaticam S. Leonis Magni approbavit et laudavit, ut quae suam ipsius doctrinam enunciaret* [2].

Respondeo Nestorio accidisse quod devictis accidere solet, ubi suos adversarios, jam mutata fortuna, vident ab aliis profligatos : quos contra communes hostes habemus socios, eos facile stare pro nobis existimanus. Eutyches porro et Dioscorus doctrinam propugnabant eam ipsam quam, etsi a S. Cyrillo abjectam, Nestorius contendebat fluere ex ejus formulis. Haud mirum igitur eum, ubi doctrinam hujusmodi legit condemnatam, et Aegyptium audivit a Romano Pontifice improbatum, existimasse Constantinopolitanum jam vindicatum [3] et suam ipsius approbatam esse doctrinam.

At *quam leviter* de hoc ipse *judicaverit,* seu, ut alii dicunt, *quantam illusionem* hac in re *passus sit*[4], hinc apparet quod :

a) Flavianum Cp^{lanum} laudarit pariter quasi secum sentiret,[5] cum tamen Flavianus aperte profiteretur sé — α) sequi concilium Ephesinum sub S. Cyrillo coactum ; — β) admittere Christum esse in una hypostasi (ἐν μιᾷ ὑποστάσει) ; — γ) « non abnuere dicere μίαν τοῦ θεοῦ

(1) Cf. supra n° 81 et 106 ; cf. in specie *hom. paschal.* XVII : « Responderim miraculum supra rationem esse, neque dispensationis modum omnino nostra cognitione comprehendi posse (ταῖς καθ'ἡμᾶς ἐννοίαις οὐχ ἁλώσιμος τῆς εἰς ἅπαν οἰκονομίας ὁ τρόπος) (PG. 77. 781 A-B). Subjungitur tamen, ut mysterium jam adumbrans, comparatio rubi, quem Moyses vidit incombustum, in quo rubus et ignis manebant natura diversi etsi intime conjuncti. Quam comparationem Nestorius etiam suae explicationi dicit aptam : *Le livre d'Héraclide,* p. 141.

(2) *Le livre d'Heraclide,* p. 327-330. — (3) *Ibid.* 307-317, totus est in inculcando Dioscorum, in *latrocinio Ephesino,* iterasse processum S. Cyrilli contra seipsum.

(4) « Sur la fin de sa vie, il trouva que Léon et Flavien avaient enseigné la même doctrine que lui. Il y a peut-être là une certaine dose d'illusion, pardonnable à un proscrit qui, au jour où le vengeur arrive, n'est pas porté à le chicaner sur des nuances » (Duchesne : *Hist. anc. de l'Egl.,* t. III, p. 452).

(5) *Op. cit.* p. 298 ; 316.

Λόγου φύσιν τεσαρκωμένην, propterea quod D. n. J. C. « sit εἷς ἐξ ἀμφοῖν » ; — ὁ) « anathematizare Nestorium impium et eos qui quae ejus sunt sapiant vel dicant » [1].

b) S. Leo Magnus, etsi formulas habet quas Nestorius, sicut laudavit S. Cyrillum de servata distinctione naturarum [2], potuit probare ac facere suas, tamen ea ipsa de Deo ipso asserit, quae Nestorius odio semper habuit : v. gr.

« Sempiterni genitoris unigenitus sempiternus natus est ex Spiritu Sancto » (C. 678). « Natura inviolabilis naturae est unita passibili... In integra veri hominis perfectaque natura verus natus est Deus » (C. 680). « Filius Dei, de caelesti sede descendens... nova nativitate generatus,... ante tempora manens, esse cœpit ex tempore... Impassibilis Deus... et immortalis [non dedignatus est] mortis legibus subjacere » (C. 681).

Quae omnia significant unicam illam « personam, [quae] in utraque natura intelligenda est » (C. 682), esse ipsam Dei Verbi personam aeternam et non, ut voluit Nestorius, illam quae tantum consequenter ad unionem orta sit [3].

ARTICULUS II

DE UTRIUSQUE NATURAE PERSEVERANTE DISTINCTIONE

THESIS VII — Duae naturae ita in Christo distinctae manent ut utraque suo connaturali modo agat et duplex sit in illo non tantum actionum in genere sed etiam volitionum species.

Duplex quod hic enunciatur dogma jam supra (nn 71-73) dictum est qua occasione, quibus in conciliis, contra quos haereticos statutum sit.

I DE DUPLICI NATURA

115. Sensus theseos est non tantum Christum esse *ex* duabus naturis (ἐκ δύο φύσεων), sed etiam *in* Christo duas esse naturas specifice diversas, quae, *etiam post unionem*, maneant distinctae et servent singulae distinctas suas proprietates et activitates connaturales.

(1) Mansi : VI. 541 — (2) Ad Cyrillum *epist.* II (Loofs. p. 176 ; PG 77. 52 CD) ; item *Le livre d'Heraclide*, p. 129.

(3) Plura de his apud Jugie, *op. cit.* p. 307-309.

Demonstratio jam facta est, quatenus probatum est in Christo vivente et agente, — post peractam proinde unionem, — naturam fuisse vere et plene humanam una cum natura proprie divina. Argumenta enim ducta sunt ex factis et dictis Christi, quibus apparet incremen tum accepisse, esuriisse, flevisse, dilexisse, contristatum et passum esse, obedivisse, voluntatem suam humanam distinxisse a voluntate Patris sui, proindeque a sua propria divina.

Repugnat ceterum ejus, qui Deus vere sit et homo, naturam esse unam, nam unica hujusmodi natura oriretur vel ex mera conjunctione duarum, quae manerent singulae et perfectae, — et tunc improprie et falso diceretur unica natura — vel ex conversione ambarum in ter tiam aut unius in alteram, vel ex compositione ambarum imperfecta rum et incompletarum, quae ad invicem naturaliter ordinatae se mutuo complerent ac perficerent. Hoc autem utrumque tum in se repugnat tum contradicit dictis de Christo (III, q. 2, a. 1 ; *cont. Gentes*, IV. 35).

Ita jam TERTULLIANUS : « Si Sermo ex transfiguratione et demutatione substantiae caro factus est, una jam erit substantia Jesus ex duabus, ex carne et spiritu mistura quaedam, ut electrum ex auro et argento ; et incipit nec aurum esse, id est spiritus, neque argentum, id est caro, dum alterum altero mutatur et tertium quid efficitur. Neque ergo Deus erit Jesus. Sermo enim desiit esse, qui caro factus est ; neque caro, id est homo : caro enim non proprie est qui Sermo fuit. Itaque, ex utroque neutrum est ; aliud longe tertium est quam utrumque est ». [1].

Item S. CYRILLUS ALEXANDR., qui, etsi unionem propugnavit physicam, tamem firmissime ac saepissime asseruit duas naturas coivisse ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀναλλοιώτως, ἀμεταβλήτως, ita ut nulla intercesserit confusio (σύγχυσις, σύγκρασις, συνουσίωσις) [2], sed naturarum, etiam post unionem, perseveraverit diversitas specifica [3].

Quam totius Ecclesiae fidem sancivit *concil.* CHALCEDONENSE, ubi sua professione fidei edixit « unum et eumdem Christum Filium

(1) *Adv. Praxeam*, 27 (PL 2. 191 A-B).

(2) Cf. v gr. *adv Nestor.* V. 4, *quod B. Maria sit deipara*, 2 ; *Apologet. contr. Orient.* 1 ; 10 ; 11 ; *contr. Theod.* 4 ; 5 ; 8 ; 10 ; de *recta fide ad Theod.* 6 et 10 (PG 76, 230 C ; 257 B-C ; 320 B-C ; 365 A ; 372 D ; 413 B ; 420 D et 421 B ; 429 B ; 440 D) etc. Cf. HARNACK *op. cit.* II⁴, p. 382.

(3) Cf. supra citata ex *epist.* IV, et *epist.* XL atque XLVI (PG 77. 45 C ; 193 B ; 241 B). Item *adv. Nestor.* II. 6 (76. 85 A).

Dominum unigenitum *in duabus naturis inconfuse* (ἀσυγχύτως), *immutabiliter* (ἀτρέπτως)... agnoscendum esse » (D-B 148 ; C. 690) [1].

116. Nec obstat quod *antiqui scriptores*, ad significandum vel simpliciter unionem, vel unionem esse valde intimam, formulas adhibuerint quae utriusque naturae permixtionem significarent. Nam hujusmodi formulae occurrunt etiam apud eos qui, ubi ex professo mentem suam exponunt, formalem confusionem excludunt quam maxime.

Sic v. gr. Tertullianus, non obstantibus praemissis, scribit in suo *Apologetico* : « Nascitur homo Deo mistus » [2]. Quem sequitur Novatianus. Nam in iis ipsis capitulis, in quibus filium hominis a Filio Dei ita distinguit ut duas vix non inducat personas, loquitur de utriusque permixtione : « Dei Filius... sibi filium hominis annectit,... *connexione sua et permixtione* sociata.... Ut filius hominis.... ipsa *permixtione* feneratum et mutuatum teneret quod ex natura sua possidere non posset... Christum ex utroque connexum, ut ita dixerim, ex utroque contextum atque concretum » [3].

Recte igitur S. Cyrillus explicat Nestorio non esse timendum ne vox κρᾶσις, si quando a Patribus adhibita est, inducat aliquam, quasi duorum liquidorum, confusionem : « Ea voce non sunt usi nisi ex sua cura ostendendi summam inter se convenientium unionem » [4].

(1) Item conc. Cp[lanum] II, can. 7 (D-B 219 ; C 711). — Duo alia adverbia ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως, sunt contra Nestorianos. Ἀτρέπτως porro excludit omnem mutationem, quae accidat alicui enti ex sua cum alio conjunctione aut mero contactu : alterationem dicas. Ἀσυγχύτως excludit confusionem duorum, quae commisceantur ad aliud tertium heterogeneum constituendum. Σύγχυσις enim, ex usu Stoïcorum, dicebatur commixtio qualis fit in remediis conficiendis, seu, pro nostro modo loquendi, in mutationibus substantialibus. Aliud erat « appositio » seu « collatio « (παράθεσις), qua plura, v. gr. tritici et hordei grana, superficie tenus in unum conferuntur. Aliud etiam « mixtio » (κρᾶσις, si misceantur liquida, μῖξις, si arida), qua duo ita ex toto se compenetrant seu coextenduntur (κρᾶσις δι' ὅλων) ut nulla sit unius pars cui non adsit pars alterius, et tamen singula suas servent proprietates immutatas : ita, aiebant, anima cum corpore, ignis cum ferro candente (Cf. Zeller : *Die Philosophie der Griechen*, III[1], 1, p. 128-129).

(2) XXI (PL 1. 399 B).

(3) *De Trinit.* 24 (PL 3. 933 C et 934 B-C). Cf. 11 : « divinitate Sermonis in ipsa concretione permixta » (903 C),

(4) *Adv. Nester.* I. 3 : « Τὸ μὲν τῆς κράσεως ὄνομα τεθείκασί τινες τῶν ἁγίων Πατέρων· ἐπειδὴ δεδίενται μὴ ἄρα τις ἀνάχυσιν συμβῆναι νομισθῇ, καθάπερ ἐν τάξει τῶν ἀλλήλοις συγκεκραμένων ὑγρῶν, ἀπαλλάττω σε δειμάτων : ...κατακέχρηνται δὲ τῇ λέξει, τὴν εἰς ἄκρον ἕνωσιν τῶν ἀλλήλοις συμβεβηκότων καταδηλοῦν σπουδάζοντες » (PG 76. 33 B).

II DE DUPLICI OPERATIONE ET VOLITIONE

117. I° **Sensus theseos** est in Christo, etsi unus et idem est qui operatur et vult, duo tamen dari non tantum principia operandi et volendi sed etiam operationes et volitiones specifice diversas et physice distinctas.

II° **Adversarii.** Contradicit non tantum monophysitis proprie dictis, qui eo ipso monothelitae erant, sed etiam eis qui, etsi volebant naturas in Christo non confundi sed manere specifice diversas, tamen putabant non posse humanae assignari suam respective actionem seu motum energeticum (κίνησιν ἐνεργετικήν seu ἐνέργειαν) quin eo ipso agnosceretur esse persona humana [1].

Contradictionis igitur, ex parte adversariorum, ratio fundamentalis erat operationum ab ipsa persona distinctio insufficiens, quasi actionum species multiplicarentur pro personarum et non pro naturarum numero. Sollicitudo ea erat tuendi unitatem Christi physicam. Alia erat tuendi unitatem illius moralem, seu cavendi conflictum in eo moralem et possibilitatem peccati : quod putabant impossibile, ubi dualitas esset physica voluntatum aut saltem volitionum.

118. III° **Probatio theseos** — **Nos,** qui servetur unitas illa moralis voluntatum in Christo, exponemus infra. Interim negamus dari re vera in Christo unitatem operationis aut volitionis physicam : 1° quia dantur in Christo operationes specifice humanae, quae non possunt procedere immediate a natura divina : nasci, mori, pati, flere, esurire, loqui, etc.. — 2° Quia Christus ipse distinguit in se duplicem voluntatem, sensu volitionis : « *Descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me* » (*Joan.* 6. 38). « *Pater, si vis, transfer calicem istum a me ; verumtamen, non mea voluntas, sed tua fiat* » (*Mt.* 26, 39). Voluntas enim illa, quae se paternae subdit, non potest esse nisi voluntas humana, siquidem voluntas Christi divina est cum paterna identica. — 3° Quia sola humana operatione ac volitione Christus potuit obedire, mereri,

(1) Ita, in specie, SEVERUS ANTIOCHENUS, de cujus doctrina cf. LEBON : *Le monophysisme sévérien,* p. 443 sqq. Abjiciebat propterea formulam S. Leonis : *Operatur utraque forma, cum alterius communione, quod proprium habet* (Mansi XI, 444 C-D), nam omnem naturam realem, quae seipsa ageret, putabat non posse non esse subsistentem : « Οὐκ ἐνεργεῖ ποτε φύσις οὐχ ὑφεστῶσα προσωπικῶς » (Apud LEBON, *op. cit.* p. 444, note 1).

etc.— 4° Quia solae operationes, quae in Christo procedant ab humana natura, sunt Christi seu Filii Dei propriae : omnes enim quae sunt ab ejus divina natura sunt toti Trinitati communes.

Ratio igitur, cur unius ejusdemque subjecti agentis non repugnet plures esse operationes specifice diversas, est distinctio saltem rationis inter personam, quae agit, et naturam seu principium, quo agit. Persona enim, etsi operatur hoc sensu quod ejus sunt principia operandi immediata et operationes, tamen non per se ipsam formaliter operatur ; virtus operandi et operatio non competit ei nisi ratione principii operationis immediati, quod dicitur natura. Hinc est cur etiam in Trinitate operatio sequatur numerum non personarum sed naturae ipsius. Item in Christo : operationes habet tot specifice diversas quot et naturas (III, q. 18, a. 1 et 2 ; q. 19, a. 1).

119. IV. **Consentiunt Patres.** Nec aliter sensere ii ipsi doctores, qui unitatem personae seu « unum subjectum operans » in Christo propugnavere quam maxime.

Pro quibus omnibus sit S. Cyrillus Alexandrinus, quem voluere olim Monothelitae et nunc dogmatum historici praelusisse monothelismo [1].

Jamvero non tantum, ut constat per praemissa in thesi praecedente, docuit θαύματα divina et πάθη humana esse unius ejusdem que subjecti, sed etiam :

1° *Affirmat passiones et actiones humanas ascribendas esse humanitati Christi.*

Ita in genere de eis quae Verbum ipsum dedecere videntur, ut « flere, metuere mortem, recusare calicem, pontificem esse », siquidem « flevit humane,... infirmatus dicitur secundum humanitatem » [2]. « Ubi audieris eum flevisse et mœrore ac metu affectum fuisse, adverte eum, praeter hoc quod Deus est, esse etiam hominem, et tribue humanitati quae illi debentur » [3].

2° *Docet ejus carni ascribendos esse motus omnes nobis connaturales.*

« Pie et orthodoxe interpretabimur dicta [de passione ejus], si divinitati tribuamus divina, carni vero ascribamus ea quae per ipsam et quasi ex ipsa

(1) Cf. v. gr. Harnack, *op. cit.* II⁴, p. 353.

(2) *Apologet. cont. Orient.* 10 (PG 76, 441 B-C).

(3) « Ἀνατίθει τῇ ἀνθρωπότητι τὰ αὐτῇ χρεωστούμενα » (*Thesaurus.* 24 (PG 75, 396 C et cf. 393 C). Item, *in Joann.* l. 7 (PG 74, 56 et 57).

dicuntur per *insitos nobis naturales motus* » [1]. « Eademque ratione de reliquis et singulis, quae humano more fiunt, judicans invenies in Christo carnis affectiones motas (τὰ τῆς σαρκὸς πάθη κεκινημένα), non ut perinde atque in nobis imperium obtineant, sed ut earum motus inanes fiant (ἵνα κινηθέντα καταργηθῇ) vi ac virtute Verbi carnem inhabitantis » [2].

3° *Principium ponit, ubi duarum naturarum, ut nos dicimus, seu essentiarum diversitas detur specifica, ibi dari etiam operationum diversitatem :* « Naturae invicem differentes ita ut diversae censeantur inter se ac prorsus alienae, identitatem operandi (τὸ ταυτοειδὲς κατ'ἐνέργειαν)... in nullis rebus habent, sed ubi quibusdam [naturis] competit ratio essentiae diversa (ὁ τοῦ πῶς εἶναι [3] λόγος ἑτεροφανής), ibi diversae plane sunt [naturae] et id quod secundum operationem est non eodem modo se habet » (ἕτεραί που πάντως ἐκεῖ, καὶ τὸ κατ'ἐνέργειαν οὐκ ὁμοίως ἔχει) [4].

In Christo porro tenet omnino, etiam post unionem, duarum naturarum servari differentiam specifiam.

« Divinitatis et humanitatis maximam esse differentiam... ego quoque

(1) « Τῇ μὲν θεότητι νέμοντες τὰ θεοπρεπῆ, ἀνατιθέντες δὲ τῇ σάρκι τὰ δι' αὐτὴν καὶ ὡς ἐξ αὐτῆς εἰρημένα διὰ τῶν ἐν ἡμῖν φυσικῶν κινημάτων » (*Ibid.* 396 D).

(2) *Ibid.* 397 C.

(3) Ea formula propria est, qua, apud S. Cyrillum, significatur naturarum notio specifica. Eodem sensu dicitur ποιότης φυσική (Lebon : *Le monophys. sévérien*, p. 441)

(4) *De Trinitate*, 3 (PG 75. 797 D). — N. B. tamen ἐνέργειαν apud S. Cyrillum intellegi, non principium *quod* operetur seu *ex quo* tanquam ex subjecto operationis procedat opus, sed principium *quo* seu cujus virtute physica subjectum agens operetur. Hic enim sensus est quo, *in Joann.* l. XI, cp. 12, ex identitate naturae in Trinitate concludit ad identitatem ἐνεργείας. Explicando enim exinde esse cur quidquid dicitur esse opus (ἐνέργημα) unius personae sit re vera « opus (ἀποτέλεσμα) totius et unicae deitatis », addit hoc intellegendum esse de « virtute naturali » (κατὰ γε τὸν ἐν δυνάμει τῇ φυσικῇ λόγον), id est de virtute naturali, qua singulae personae agunt (PG 74. 337 A). Eodem sensu (*adv. Nest.* IV. 2) dicit SS. Trinitatis esse ἐνέργειαν unicam, ita ut in omnibus operibus ejus manifestetur motus unicus (μία κίνησις), nec proinde possit ulli personae attribui motus operativus exclusive proprius (μιᾶς ὑποστάσεως οἷον εἰς ἔργα κεκινημένης), quin eo ipso inferatur in Deum diversitas uaturae (PG 76. 180 C-D).

Immerito igitur principium praemissum Lebon (*op. cit.* p. 456-457) putat, ex mente S. Cyrilli, non habere vim in Christo. Putat enim S. Cyrillum, quia φύσιν in Christo non intellegit nisi de subjecto agente proptereaque negat esse duplicem, eo ipso excludere duas ἐνεργείας seu duas virtutes operativas diversas. At non advertit principium poni a S. Cyrillo universalissimum et statuere virtutem operandi seu ἐνέργειαν diversificari seu multiplicari, non praecise pro numero φύσεων, qua sunt subjectum agens, sed pro earum diversitate specifica (ὁ τοῦ πῶς εἶναι λόγος). Ipse porro fatetur (p. 441) S. Cyrillum admittere illam diversitatem specificam in Christo iis ipsis verbis quibus hoc loco utitur.

fateor ; diversa enim sunt quod ad rationem essentiae pertinet (κατὰ τὸν τοῦ πῶς εἶναι λόγον), et nihil inter se similia videntur. Ubi vero nobis profertur in medium Christi mysterium, illius unionis ratio, [etsi] excludit divisionem (διαίρεσιν), [tamen] non ignorat differentiam (διαφοράν) » [1].

120. 4° *Secum igitur consequenter :*

A) *Dicit* « *duplicem operationem* (ἐνέργειαν) » ostensam esse in Christo, quatenus unus et idem « patiens erat ut homo, agens autem (ἐνεργῶν) ut Deus » [2].

B) *Motus utriusque naturae adeo distinguit* ut motus humanos ostendat a divina natura in Christo dirigi et comprimi. Sic in agonia : « Humanae quidem naturae (φύσεως) erat perturbationi esse obnoxium, divinae vero in omnibus manere constantem. Mortis quidem praesens imago Jesum turbat, sed deitatis virtus commotam illico sedat passionem (κεκινημένον εὐθὺς χειροῦται τὸ πάθος) et ad confidentiam transfert (καὶ μεταμορφοῖ πρὸς εὐτολμίαν)... Nam hominis natura, etiam in ipso Christo, quod ad ipsam pertinet, invenitur debilis ; sed ab unito sibi Verbo attollitur ad confidentiam Deo congruam » [3].

(1) *Adv. Nestor.* II. 6 (PG. 76. 85 A). Cf. *epist.* IV, ubi jam Nestorio affirmat « unione non sublatam esse naturarum differentiam (οὐχ ὡς τῆς τῶν φύσεων διαφορᾶς ἀνῃρημένης διὰ τὴν ἕνωσιν) (PG. 77. 45 C). Item *epist.* XL et XLVI (193 B-C et 241 B).

(2) *In Luc.* 23. 33 (PG. 72. 937 A). Item *De recta fide ad reginas* II. 17, occasione interrogationis de loco ubi positus sit Lazarus : « Ἀγνοεῖν ἀνθρωπίνως λέγεται, ἀλλ' οἶδε θεϊκῶς,... ὡς ἔξὸν αὐτῷ μὴ εἰδέναι κατὰ τὸ ἀνθρώπινον, ἐνήργηκε θεϊκῶς, ἀναστήσας αὐτόν » (PG 76. 1356 B-C). — Nec obstat, quod opponebant Monothelitae (apud Maximum : *Disp. cum Pyrrho* PG 91. 344 B-C ; Mansi X. 752 B), Cyrillum dixisse de Christo suscitante filiam Jairae : « Μίαν καὶ συγγενῆ δι' ἀμφοῖν ἐπιδείκνυσι τὴν ἐνέργειαν » (*In Joan.* IV. PG 73. 577 C-D). Ibi enim, cum velit probare carnem Christi, « qua et quia unitam ei qui sua natura vita est », factam esse et ipsam vivificam (ζωοποιὸν.... ζωοποιὸν δυναμένην), ostendit eam cooperatam esse (συνεργάτην ὥσπερ τινά) suscitationi mortuorum : quos enim Christus voce, ut Deus, vivificabat, eosdem vivificabat per contactum suae carnis — apprehendendo manum — ita ut per haec duo, vocem scilicet et tactum], una et cognata demonstraretur operatio : « ζωοποιῶν μὲν ὡς θεὸς, τῷ παντουργῷ προστάγματι· ζωοποιῶν δὲ αὖ πάλιν καὶ διὰ τῆς ἁφῆς τῆς ἁγίας σαρκὸς, μίαν τε καὶ συγγενῆ δι' ἀμφοῖν ἐπιδείκνυσι τὴν ἐνέργειαν ». Jure igitur explicabat S. Maximus (*loc. cit.*) dualitatem operationis physicae ibi non negari sed potius affirmari.

(3) « Ἀτονοῦσα μὲν γὰρ ἡ ἀνθρώπου φύσις, καὶ ἐν αὐτῷ τῷ Χριστῷ, τὸ ὅσον εἰς αὐτήν, εὑρίσκεται· ἀνακομίζεται δὲ διὰ τοῦ ἑνωθέντος αὐτῇ Λόγου εἰς εὐτολμίαν θεοπρεπῆ » (*In Luc.* 22. 42 PG 72. 921C-924 C). Item *Thesaurus*, 24 : « τὸ μὲν οὖν ταράττεσθαι τῆς σαρκὸς ἴδιον πάθος· τὸ δὲ ἐξουσίαν ἔχειν θεῖναί τε καὶ πάλιν λαβεῖν, τῆς τοῦ Λόγου δυνάμεως ἔργον ἐστίν » (PG 75. 400 B).

C) *In eodem actu distinguit duplicem actionem,* humanam scilicet et divinam, Sic. v. gr. in *baptismo* « baptizabatur quidem ut homo, baptizabat vero ut Deus (θεϊκῶς) in Spiritu Sancto » [1]. « Suum ipsius Spiritum accipit, et accipit quidem quatenus homo erat, sibi autem eum dat qua Deus » [2].

Item *in sacrificio suo :* « Non ipsa Verbi natura [dicimus] eum vocatum esse pontificem aut alia hujusmodi nomina, sed propter œconomiam cum nostra carne et propter mensuram quae secundum nostra est » [3]. « Ipse proinde factus est sacerdos secundum humanam naturam, quanquam, ut Deus, accipiebat ab omnibus sacrificia. Ipse victima secundum carnem ; ipse is qui peccatis nostris propitiatur secundum divinitatis virtutem » [4]. « Sibi igitur] et Patri fidei nostrae confessionem [id est, sacrificium] proferebat... Quando dicis indignum esse Deo ut sacrificet (τὸ ἱερουργεῖν), astipulor et ego. Sed, si solum esset et abque carne Verbum, recte diceres ; at vero quia factum homo, vide et sacrificantem propter humanitatem (διὰ τό ἀνθρωπινον) et in dignitatibus ultra creaturam, ut Deum : considet enim Deo et Patri. Vide igitur ἱερατεύοντα μὲν αὐτὸν κατὰ τὸ ἀνθρώπινον, συνεδρεύοντα δὲ ὡς θεόν » [5].

121. D) *Distinguit in specie duplicem in eo voluntatem,* siquidem, occasione *orationis in horto,* ostendit inesse Christo voluntatem quae, pro naturali hominum infirmitate, repugnet adimplere voluntatem Patris de passione subeunda et tamen a Verbo deducatur ad eamdem volendam : « Ubi enim ait : *Si possibile est, transeat a me calix iste,...* natura hominis, etiam in ipso Christo, invenitur, quantum ad ipsam pertinet, viribus deficens (ἀτονοῦσα), sed per unitum sibi Verbum reducitur (ἀνακομίζεται) ad fiduciam (εὐτολμίαν) Deo dignam, et revocatur (μεταπαιδεύεται) ad generosam animi vim, ita ut jam non propria sua placita eligat (μὴ τοῖς ἰδίοις τὸ δοκοῦν ἐπιτρέψαι θελήμασιν) sed Dei voluntatem ac propositum sequatur » [6].

Clarius adhuc alibi illam voluntatem distinguit a voluntate divina Verbi : « Quando apparet formidare mortem et dicere : *Si fieri potest,*

(1) *Adv. Nestor.* IV. 2 (PG 76. 177 B).

(2) *In Joann.* l. XI, cp. 10 (PG 74. 548 B). — (3) *In Hebr.* 2. 17 (*Ibid.* 965 C-D).

(4) « Αὐτὸς τὸ θῦμα κατὰ τὴν σάρκα· αὐτὸς ὁ ταῖς ἁμαρτίαις ἡμῶν ἱλασκόμενος κατὰ γε τὴν τῆς θεότητος δύναμιν » (*De recta fide ad reginas* II. 11 PG. 76. 1349 A). — (5) *Apologet. cont. Orient.* 10 (*Ibid.* 368 C).

(6) *In Joan.* IV. I (PG 73. 352 B). Voluntatem porro Patris paulo infra (353 B) revocat in memoriam esse identice voluntatem Filii qua Deus est, ita ut Fili ad Patrem, qua Deus, nulla esse possit subjectio.

transeat a me calix iste, considera quod caro formidans mortem edocebatur a Verbo eam gestante ne jam sic afficeretur (ἐδιδάσκετο μηκέτι τοῦτο πάσχειν). Dixit enim ad Patrem : *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Nam ipse quidem, qua Verbum est ac Deus, non timebat mortem... hoc enim erat volitum Patris. Sed habet etiam voluntatem non moriendi (τὸ μὴ θέλειν ἀποθανεῖν), quia caro vult connaturaliter vitare mortem (διὰ τὸ παραιτεῖσθαι τῆς σαρκὸς τὸν θάνατον φυσικῶς). Docens itaque humanitatem jam non quae sibi sunt insita cogitare, sed Dei voluntatem quaerere, dicit ut homo : *Non sicut ego volo, sed sicut tu* » [1].

Consensus igitur in antecessum erat S. Cyrilli cum S. Leone definiente : « Agit utraque forma, cum alterius communione, quod proprium est, Verbo scilicet operante quod Verbi est et carne exequente quod carnis est » (D-B 144 ; C. 681).

122. **Consensere pariter postea orthodoxi,** quibus dualitas operationum et voluntatum habebatur ut consequentia dualitatis naturarum [2]. Haud mirum igitur, exorta jam controversia de necessitate aut liceitate dicendi duas operationes in Christo, S. Sophronium Hierosolymitanum tanta vi professum esse necessitatem. Sua enim *Epistola synodica,* quam et ad Honorium Romanum et ad Sergium Cp^lanum^ pontificem misit, profitetur quidem unum et eumdem esse, qui τὰ θαύματα πέπραχε et παθήματα πέπονθεν, atque in genere τὰ τῆς ἑκατέρας εἰργάζετο φύσεως, at dicit eum ea operatum esse κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο. [3]. Et hoc, quia « sicut utraque natura indiminute proprietatem suam custodit, ita et operatur utraque forma cum alterius communione id quod proprium habet [4]... Propterea, neque post unionem, habent eamdem indifferenter ad invicem operationem,... neque dicimus earum unam et unicam (μίαν καὶ μόνην) [esse] operationem, ne eas [sic] cogamus ad unam essentiam et naturam... [Ratio est, quia], juxta peritos, ex operationibus tantum naturae noscuntur et essentiarum semper differentia ex operationum differentia nata est discerni » [5].

Quam doctrinam in specie S. Agatho, enunciat, sua synodica ad imperatorem professus duas ideo in Christo dari voluntates et operationes, quia omnia, quae ad proprietates naturarum pertinent, sunt in eo confitenda duplicia ; voluntas autem et operatio non ad perso-

(1) *Thesaurus*2 4 (PG 75. 397 A). Eodem sensu explicat alibi Christum passionem, quamquam per se invisam et voluntati aversam (ἀβούλητον.... ἀνεθέλητον) fecisse tamen voluntariam (ἑκούσιον.... θελητόν) (*In Matth.* XXVI. 50 PG 72. 456 C-D).

(2) Cf. Tixeront : *op. cit.* p. 160-168. — (3) PG 17^3^, 3168 B.

(4) *Ibid.* 3168 D. — (5) *Ibid.* 3169 A-B.

nam sed ad naturam pertinet (C. 738). Item concilium Constantinopolitanum III (681) *non tantum definit duas esse in Christo voluntates et operationes* (θελήματα καὶ ἐνεργείας) sed etiam significat se ea intellegere etiam *de volitione atque motu operativo*, siquidem approbat dicta tum S. Athanasii : « *Oportebat carnis voluntatem moveri sed subjici voluntati divinae*, » tum S. Leonis : « *Agit utraque forma cum alterius communione quod proprium est* » (D-B 291-292 ; C. 743-744).

Scholion I.

De operatione theandrica.

123. 1° **Origo formulae.** — Formula inducta est, labente saec. 5, ab Areopagita in *epistola* sua 4ª, ubi dicit Christum « nec divina ut Deum effecisse, nec humana ut hominem, sed, Deo facto viro, *novam quamdam deovirilem operationem* nobis exhibuisse » [1].

Qualis igitur ab auctore suo usurpata est, monophysismum potius ac monothelismum quemdam sapere videtur : unitatem subjecti agentis adeo vult tueri ut, etsi duplex sit in Christo principium operandi specifice diversum, operari tamen sit unicum. Quo sensu formula Monophysitis placuit [2] et a Severo Antiocheno in specie approbata est [3].

Prioribus propterea Monothelismi fautoribus visa est apta, in quam convenirent tum Monophysitae moderati tum catholici. Hoc concilio inserta est a Cyro Alexandrino anathematismis, qui dicuntur unionis anni 633, quasi significaret Christum « *operari divina et humana una theandrica operatione* » [4]. Consensit Sergius Cp[lanus], qui imo putavit aut putare finxit ad eum sensum posse accommodari formulam S. Leonis : *Agit utraque forma*, etc [5].

124. 2° **Formulae approbatio.** Eam econtra hoc sensu intellectam S. Martinus in synodo Romana anni 649 voluit omnino damnatam,

(1) « Οὐ κατὰ θεὸν τὰ θεῖα δράσας, οὐ τὰ ἀνθρώπινα κατὰ ἄνθρωπον, ἀλλ' ἀνδρωθέντος Θεοῦ, καινήν τινα τὴν θεανδρικὴν ἐνέργειαν ἡμῖν πεπολιτευμένος » (PG 3. 1072 C). — (2) Notum est Areopagitae opera invocata primum esse a Monophysitis et abjecta esse a catholicis ut spuria. Paulatim tantum auctoritas ejus invaluit et annumeratus est sanctis Patribus.

(3) Cf. Lebon : *op. cit.* p. 451-452. et *Severi* fragm. citatum apud PG 34. 1077 nota 46. — (4) « Ἐνεργοῦντα τὰ θεοπρεπῆ καὶ τὰ ἀνθρώπινα μιᾷ θεανδρικῇ ἐνεργείᾳ « (Mansi X. 972 B). — (5) Mansi X. 973 B.

nec ipsum vocabulum tolerari voluit [1] nisi ut significativum mirificae unitionis, quae datur in Christo, duplicis operationis [2].

Item S. Maximus, orthodoxae fidei contra Monotheletas, eadem aetate, confessor simul et propugnator fortissimus. Pro sua sancti, ut putabat, Dionysii admiratione et veneratione, formulam interpretatus est quasi negaret quidem Christum quidquam effecisse ut merum hominem at astrueret duarum operationum diversitatem simul essentialem et unionem indivulsam [3]. Non affirmaret ex Incarnatione jam competere Deo novam quamdam operationem unam, quae divino-humana esset, sed jam dari in rerum natura novum illud et inauditum duarum operationum naturalium, quae se ita mutuo compenetrent et circumincessionem habeant ad invicem ut neutra operetur sine alterius communione [4].

Formulam vero sic vindicatam et omni suspicione purgatam S. Joannes Damascenus inseruit suo libro *De fide orthodoxa*, et explicavit « actionem theandricam nihil aliud declarare quam quod, Deo facto viro, humana quaeque ipsius actio divina erat sive deificata nec divinae ipsius operationis expers (ἄμοιρος) ; rursumque divina ipsius actio humanae ipsius actionis exsors (ἄμοιρος) non erat ; verum utraque una cum altera considerabatur. Porro modus hic loquendi περιχώρασις dicitur, quando quis duo quaedam una dictione complectitur. Quemadmodum enim igniti gladii incisam unam ustionem atque inustam sectionem dicimus et tamen sectionem distinctam ab ustione esse necnon alius aliusque naturae asserimus, ignis nempe ustionem ac ferri sectionem. Ad eumdem modum theandricam unam [5] Christi actionem dicentes, duas ambarum ipsius naturarum actiones intellegimus, divinitatis videlicet ipsius divinam, humanitatis autem humanam actionem » [6].

(1) Cf. *ibid.* 980 B quomodo haereticos arguerit quod formulae primigeniae ingesserint ipsi vocem « μίαν ».

(2) « Si quis, secundum scelerosos haereticos, deivirilem operationem, quod Graeci dicunt θεανδρικήν, unam operationem insipienter suscipit, non autem duplicem confitetur secundum sanctos Patres, hoc est, divinam et humanam, aut ipsam deivirilis, quae posita est, novam vocabuli dictionem unius esse designativam sed non utriusque mirificae et gloriosae unitionis demonstrativam, condemnatus sit » (D-B 278 ; C. 729[15]).

(3) *Opuscula* (PG 91. 100 D-101 A).

(4) *Disp. cum Pyrrho* et *Ambig. liber* (PG 91. 345 D-348 A et 1045-1060).

(5) N. B. Damascenum admittere vocem « unam », quam excludebat S. Martinus ut ps. Areopagitae alienam. — (6) III, 19 (PG 94. 1080-1081).

125. 3° **Formulae explicatio.** — Exinde vero formula facta est trita ad significandas Christi actiones, in quibus alterutra « forma agit quod proprium est cum alterius communione » (Cf. III, q. 19, a. 1). Hujusmodi vero non sunt nisi actiones quae dicuntur tum stricte humanae tum mixtae [1]. Humanae, v. gr. currere, manducare, orare, dolere, obedire, etc, quae, etsi sunt suppositi divini ut principii *quod*, tamen eliciuntur, ut a principio *quo*, a sola natura humana. His igitur forma divina non communicat nisi lato sensu, quatenus identificatur realiter cum supposito, cujus sunt et a quo valorem ac dignitatem moralem accipiunt ordinis divini. **Theandricae** proinde non sunt nisi **lato sensu.**

Stricto sensu theandricae sunt operationes mixtae, quarum effectui totali cooperatur, per modum principii elicitivi quo, utraque forma : sic. v. gr ambulare in mari, miracula voce et imperio patrare, condere Ecclesiam, instituere sacramenta... Tunc enim una est complexive operatio utriusque formae, non tantum propter unitatem suppositi et unitatem moralem inter utriusque formae operationem propriam, sed etiam propter coefficientiam unius effectus resultantis.

126. QUAERES, **de illa communicatione operationis divinae cum humana,** — a) utrum in actionem Christi humanam actio divina influat aliter ac in actiones hominum in genere ; — b) utrum Filius in suas humanas operationes aliter aut magis influat quam Pater et Spiritus Sanctus.

RESPONDEO : a) Influxus ille est **ejusdem rationis,** sive agatur de influxu morali — per gratias actuales — quo Deus movet animam humanam in genere, sive agatur de influxu aut concursu physico quo Deus

(1) Operationes igitur Christi **simpliciter divinae** — notionales scilicet, quae dicuntur, ad intra, et operationes ad extra, quae sunt ei cum Patre et Sp. S. communes, **theandricae non dicantur** nisi improprio sensu. Eliciuntur enim a forma divina sine ulla omnino formae humanae communione. Nec juvat dicere : Sunt ejusdem personae cujus est forma humana, proindeque, sicut, ratione personae, operationes humanae dicuntur saltem lato sensu theandricae, ita operationes divinae. Disparitas enim est maxima : nam, persona, cujus sunt actiones humanae, identificatur realiter cum forma divina proindeque, ratione illius identitatis, forma divina vere dici potest communicare cum operatione alterius formae. Econtra, in operationibus simpliciter divinis, persona, cujus sunt, realiter distinguitur a forma humana nec proinde ratio datur cur haec forma dicatur cum illis communicare. Admissa ceterum communicatione hujusmodi, actio simpliciter divina Filii jam non esset ejusdem rationis ac actio Patris et Sp. Sancti : quod repugnat.

cooperatur vel singulis hominum actionibus vel miraculis ab aliquo homine patratis. Sola differentia est in hoc quod, apud Christum, natura, facultas aut operatio, in quam influitur, est hypostatice ipsius Filii Dei, ita ut ipse, ratione illius unionis, dici possit et movens et motus : sic v. gr. ubi dicitur Christus « ductus a Spiritu Sancto ».

b) Influxus ille divinus **haud magis proprius est Filii quam Patris est Spiritus Sancti** ; trium enim ad extra influxus est unicus. Nec inde sequitur trium etiam esse operationes theandricas, siquidem theandrica non est nisi actio humana facta cum communione operationis divinae. Haec autem actio solius Filii est.

127. Corollarium : Datur ergo **in Christo vita duplex,** divina et humana, quarum principium formale est realiter distinctum sicut realiter distincti sunt illarum motus et operationes. Est quidem utraque ab intrinseco personae Christi, quatenus est ab intrinseco naturae ad illam personam pertinentis, at vita humana nullo modo radicatur in Verbo ut in suo principio formali ; persona enim qua talis ne partialiter quidem est principium quo vivitur.

Verbum igitur suam humanam vitam, sicut et naturam atque operationem omnem, dignificat et divinam facit hoc sensu quod eam suam habendo elevat ad ordinem divinum. Illius etiam, sicut et omnis vitae, dici debet « prima causa effectiva » (III, q. 2, a. 5, ad 3^{m} et q. 5, a. 3, ad 2^{m}) ; at illi omnino non est principium intrinsecum motus. Si qua ex unione hypostatica naturae humanae accedit nova activitas et nova quasi vita, ea est per consequentiam et procedit formaliter, ut videbitur infra, ex gratia actuali et habituali, qua natura humana ornatur in Christo sicut et in justis omnibus.

Scholion II.

De Honorii R. P. doctrina et condemnatione.

128. I **Doctrina**; 1° *Exponitur in duabus epistolis ad Sergium Cplanum.*

A) *Prima epistola* scribitur Sergio, qui interrogaverat utrum recte ac prudenter consuluisset, ad vitanda multorum scandala et praecavendas inutiles disceptationes, non duas vel unam dici operationem in Christo, dummodo affirmaretur « unum eumdemque, qui vere Deus sit et homo, operari divina et humana et ex uno eodemque Verbo Dei

incarnato procedere indivisibiliter et indivise omnem divinam atque humanam operationem » [1].

Respondet Honorius [2] se eum laudare quod « novas vocum quaestiones » non probaverit introduci ; quae « possent scandalum simplicibus generare ». Scripturae enim confitentur tantummodo « Dominum J. C., mediatorem Dei et hominum, operatum divina, media humanitate Verbo Deo naturaliter unita, eumdemque operatum humana ineffabiliter atque singulariter, assumpta carne discrete, inconfuse... ita ut, manentibus utrarumque naturarum differentiis, cognoscatur uniri... siquidem profecto divinitas crucifigi non potuit, nec passiones humanas experiri vel perpeti, sed propter ineffabilem conjunctionem humanae divinaeque naturae, idcirco Deus dicitur pati... Unde et unam voluntatem fatemur Domini nostri J. C., quia profecto a divinitate assumpta est nostra natura, non culpa, illa profecto quae ante peccatum creata est, non quae post praevaricationem vitiata ». Hinc, sepositis quaestionibus, quas non tetigere neque Scripturae neque concilia, satis sit stare claris assertis Scripturae, quod « Filius ac Verbum Dei... ipse sit unus operator divinitatis atque humanitatis... Utrum autem, propter opera divinitatis et humanitatis, una an geminae operationes debeant derivatae dici vel intellegi, ad nos ista pertinere non debent, relinquentes ea grammaticis, qui solent parvulis exquisita derivando nomina venditare ». Refutandæ igitur sunt voces illae novae, quae noscuntur scandala generare, quatenus « una operatio » suggerit Eutychianismum, duplex operatio Nestorianismum, teneri.

B) *Secunda epistola* scripta est post acceptam synodicam Sophronii Hierosolymitani contra negantes duplicem operationem.

Probat pariter « unius vel geminae operationis vocabulum » excludi « ex praedicatione fidei », nam, stando divinis testimoniis, « unius operationis vel duarum esse vel fuisse Dominum J. C. sentire et promere satis ineptum est... Quantum ad dogma ecclesiasticum pertinet,... propter simplicitatem hominum et amputandas inextricabiles quaestionum ambages,.. non unam vel duas operationes in mediatore Dei et hominum definire, sed utrasque naturas in uno Christo... cum alterius communione operantes atque operatrices confiteri debemus : et divinam quidem quae Dei sunt operantem, et humanam quae carnis sunt exsequentem... Auferentes ergo scandalum novellae adinventionis,... pro una, quam quidam dicunt, operatione, oportet nos unum operatorem... in utrisque naturis veridice confiteri ; et pro duabus operationibus, ablato geminae operationis voca-

(1) Mansi XI. 533 D et 537 A — (2) Epistola graece, *ibid.* 537 sqq, latine apud PL 80. 471-474.

bulo, ipsas potius duas naturas,... in una persona Unigeniti,... praedicare pròpria operantes » [1].

129. 2° *Hinc apparet Honorium :* A) Non percepisse quidem quam gravis quaestio sub vocabulorum querela lateret, quove tenderet prohibitio a Sergio facta ne duplex in genere assereretur operatio.

B) Quoad rem, aperte professum esse utramque naturam in Christo operari propria.

C) Duplicem voluntatem non exclusisse nisi sensu voluntatis labilis et ad malum, sicut apud nos, pronae.

D) Imo, teste Joanne abbate, qui, cum esset Honorii scriba, epistolam primam ipse composuerit et postea explicavit, voluntas, quam dicit in Christo fatendam esse unam, est voluntas ipsa humana, quae non, sicut apud nos, distrahatur in motus contrarios, carnis et spiritus [2]. Quam interpretationem Joannes IV R. P. sustinet ipse ac vindicat epistola speciali de hoc data ad imperatorem, tribus vix annis post defunctum Honorium [3].

130. II **Condemnatio.** 1° Concilium Cp^lanum III (681), sessione sua 13, epistolam primam Honorii annumeravit eis quas, quia « invenit omnino alienas existere ab apostolicis dogmatibus (δογμάτων) et a definitionibus sanctorum conciliorum,... *sequi vero falsas doctrinas haereticorum,* omnino abjecit et tanquam animae noxias execratum est ». Propterea, cum aliis monothelismi fautoribus, quorum « et nomina *a sancta Dei Ecclesia projici judicavit,...* simul projici a sancta Dei Ecclesia catholica, *simulque onathematizari* praevidit (συνεὶδομεν) et Honorium, qui fuerat papa antiquae Romae, eo quod invenit, per scripta, quae ab eo facta sunt ad Sergium, quia in omnibus ejus mentem secutus est et *impia dogmata confirmavit* » [4].

(1) PL 80. 474-475 ; Mansi. XI. 579-582.

(2) « Unam volutatem diximus in Domino, non divinitatis ejus et humanitatis, sed humanitatis solius. Cum enim Sergius scripsisset quod quidam duas voluntates in Christo contrarias dicerent, respondimus Christum non habuisse duas voluntates contrarias, carnis scilicet et spiritus, sicut nos habemus post peccatum, sed unam tantum, quae naturaliter humanitatem ejus insigniret » (*Epist. cit.* apud Maximum : *Disp. cum Pyrrho.* PG 91. 329 A-B).

(3) PL 80. 60 sqq. — Cf. Tixeront *op. cit.* 168-178.

(4) « Κατὰ πάντα τῇ ἐκείνου γνώμῃ ἐξακολουθήσαντα, καὶ τὰ αὐτοῦ ἀσεβῆ κυρώσαντα δόγματα » (Mansi XI. 553 E et 556 C). In sessione 18ª, de eodem dictum est : « ὡς ἐκείνοις ἐν τούτοις ἀκολουθήσαντα » (*Ibid.* 665 A). Cf. C. 740.

Patrum igitur concilii, quibus tanto cordi erat damnatis episcopis Cp^lanis et Alexandrinis annumerari episcopum Romanum, mens sane erat eum condemnare ut qui *impia dogmata* tenuisset ac confirmasset.

2° At S. Leo papa II, epistola ad Constantinum imperatorem, qua concilium confirmavit, paulo aliter anathematizandum eum dixit: « Anathematizamus novi erroris inventores,... necnon et Honorium, qui *hanc apostolicam Ecclesiam non apostolicae traditionis doctrina lustravit sed profana proditione immaculatam* [*hanc scilicet Ecclesiam*] *maculari permisit* »[1].

3° Cum igitur sententiae concilii vis absoluta non agnoscatur nisi quatenus et eo sensu quo probatur a R. Pontifice, manet Honorio ab auctoritate infallibili ascriptum esse errorem mere practicum, seu damnosam negligentiam in fungendo munere apostolico ac dispiciendis amovendisque fidei periculis.

CAPUT TERTIUM

DE INCARNATIONIS POSSIBILITATE ET EXECUTIONE

Hoc tertio capite completur demonstratio realitatis Incarnationis, quatenus excluditur, quantum humanae rationi licet, apparens ejus repugnantia seu impossibilitas et exponitur modus, quo a Deo decreta est atque executioni mandata.

Hinc quatuor articuli : 1° Utrum Incarnatio sit possibilis. 2° Utrum sit a Deo libere an ex aliqua necessitate decreta. 3° Quomodo sit a Deo praeparata. 4° Quomodo sit a Deo effecta.

(1) «...Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ Ὀνώριον, ὅστις ταύτην τὴν ἀποστολικὴν Ἐκκλησίαν οὐκ ἐπεχείρησε διδασκαλίᾳ ἀποστολικῆς παραδώσεως ἁγνίσαι, ἀλλὰ τῇ βεβήλῳ προδοσίᾳ μιανθῆναι τὴν ἀσπίλον παρεχώρησε » (*Ibid.* 733 A ; PL 96. 408 B et 410 A). — Suis aliis de eodem epistolis S. Leo II scribit : « Qui flammam haeretici dogmatis, non ut decuit apostolicam auctoritatem, incipientem exstinxit sed negligendo confovit » (Ad *episcopos Hisp.* PL 96. 414 B). « Qui immaculatam apostolicae traditionis regulam, quam a praedecessoribus suis accepit, maculari consensit » (*ad Ervigium, ibid.* 419 D).

ARTICULUS I

DE POSSIBILITATE INCARNATIONIS

THESIS VIII — Supposita Incarnationis fide, humana ratione mysterii hujus non tantum possibilitas negative demonstratur, sed etiam convenientia suadetur.

PARS I est *proxima fidei,* ex dogmate generali quod « nulla unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest » (D-B 1797; C. 194 a).

131. I. **Ratio demonstrat hoc mysterium non repugnare.**

1° *A priori.* A) Ex necessaria concordia fidei et rationis. — B) Ex infinitate et incomprehensibilitate divinae hypostaseos : tanta est ut ab humana ratione nequeat unquam judicari incapax unionis, quam fides doceat.

2° *A posteriori,* ostendendo repugnantiam non probari ex parte Verbi assumentis : quod satis est ut mysterium nequeat affirmari simpliciter impossibile.

Apparet quidem repugnantia etiam ex parte naturae assumendae, quatenus non possit componere cum persona divina nec possit esse integra quin sua etiam personalitate gaudeat ; sed ea melius et latius dissipabitur infra, ubi agetur de natura et modo unionis hypostaticae. Interim vero evacuata manebit, si modo constet Verbo non repugnare eam sibi assumere. Quod enim ex parte Dei non repugnat, id, si per fidem constet esse a Deo factum, eo ipso constat non repugnare ex parte creaturae in qua fit.

Jam igitur ostenditur repugnantiam non probari ex parte Verbi.

Repugnantia oriretur ex ejus immutabilitate, vel majestate, vel incommunicabilitate, vel consubstantialitate cum aliis personis, Atqui :

132. Immutabilitas non obstat, nam tota mutatio est in humanitate, quae, etsi non prius fuit nec proinde mutatur ex aliquo suo reali *statu* in alium, tamen vere mutatur per comparationem ad statum in quo fuisset, si producta fuisset in sua propria et connaturali personalitate. Ex sua proinde a Verbo assumptione habet ad Verbum relationem illam realem, quae est unio, et cui correspondet ex parte Verbi relatio rationis, sicut ex creatione omnis creatura habet ad Deum relationem realem, cui ex parte Dei correspondet relatio ratio-

nis : quod sufficit ut Verbum dicatur ex tempore incarnatum sicut Deus ex tempore dicitur creator [1].

Verbum enim non est homo nisi quatenus de illo vere et proprie praedicatur homo (q. 16, a. 1 c et a. 6 c), et hoc non incipit praedicari de illo nisi ratione illius suae unionis seu relationis ad naturam assumptam. Ea porro « quae relative dicuntur, possunt de novo praedicari de aliquo absque ejus immutatione », — ut patet in casu creationis. — « Unde, in talibus, non oportet omne quod dicitur fieri esse mutatum, quia hoc potest accidere per mutationem alterius ». Sic igitur « esse hominem praedicatur de novo de Deo absque ejus mutatione per mutationem humanae naturae, quae assumitur in divinam personam » (q. 16, a. 6, ad 2[m]).

133. Nec obstat quod Filius Dei sit homo nobiscum *univoce*, apud nos vero nemo sit aut dicatur homo per meram relationem ; nam univoce quidem est homo, quantum ad *naturae veritatem*, at non quantum *ad modum habendi* eam. Nos enim naturam habemus ut quoddam nostrae personae constitutivum ; ille vero naturam nostram habet per meram illius elevationem et assumptionem ad personam ab ea realiter distinctam et aliunde jam constitutam.

Dices : *Mutatur quod de non unito fit unitum. Verbum porro est, quod de non unito fit unitum.*

Respondeo : Mutatur quidem quod de non unito fit unitum per mutationem sui realem, non autem quod fit unitum per meram assumptionem alterius mutati. Jamvero, ex dictis, unio fit per meram naturae assumptae mutationem, eaque ratio est cur haec unio seu relatio « non sit realiter in Deo sed secundum rationem tantum : dicitur enim Deus unitus creaturae ex hoc quod creatura est realiter unita Deo absque ejus mutatione » (q. 2, a. 7, ad 1[m]).

Paucis, divina Verbi hypostasis, cum sit et ipsa, in functione personificandi, virtutis infinitae, seipsa praestare potest eminenter id quod praestaret aliqua personalitas finita, nec illa quasi extensione ad extra suae functionis hypostaticae magis evidenter mutatur quam divina activitas quando, creando, suam virtutem extendit ad aliquem terminum sibi extrinsecum [2].

134. Urgebis dicendo : *Attamen mutatio facta est, siquidem*

(1) I, q. 13, a. 7 ; III, q. 2, a. 7.

(2) Cf. S. Bonaventuram : in III, *dist.* 1, a. 1, q. 1. Item Franzelin : *De Verbo incarnato thes.* 33, p. 292-295.

perfectior est Christus quam Verbum solum : Verbo enim perfectius est habere duas quam unam tantummodo naturam.

RESPONDEO hoc verum esse de persona, quae non sit ipsa perfectionis infinitae, minime vero de ea, quae, sicut persona Verbi, sit seipsa infinita. Haec enim, assumendo naturam, non addit quidquam infinitae naturae quacum identificatur ; munus autem ejus hypostaticum, cum sit infinitum, non acquirit quidquam perfectionis, ubi naturam novam, quam suppositandi virtutem habebat ab aeterno, jam actu suppositat. Suppositatio enim actualis naturae assumptae non est perfectio realiter distincta a perfectione, quae est aeterna naturae divinae suppositatio, nec illi proinde addi aut cum illa connumerari potest. Eodem modo negatur Deus fieri perfectior ex eo quod, praeter ipsum etsi per ipsum, ut per causam exemplarem et efficientem, incipit existere ens novum.

Ratio datur ab ALEXANDRO HALENSI : « Illud *quid*, secumdum quod homo, non connumeratur cum illo *quid*, [secundum] quod Deus, quia non sunt ejusdem generis » (III, q. 6, m. 4). Item S. THOMAS : « Incarnatio nihil bonitatis adjicit ad personam divinam ; etiam nihil adjicit ei diligibilitatis. Unde persona Verbi incarnati non est plus diligenda quam persona Verbi simpliciter, licet sit secundum aliam rationem diligenda, quae tamen ratio sub universali bonitate Verbi comprehenditur » [1]. « In persona composita, quamvis sint plura bona quam in persona simplici, quia est ibi bonum creatum et bonum increatum, tamen persona composita non est majus bonum quam simplex ; quia bonum creatum se habet ad bonum increatum sicut punctum ad lineam, cum nulla sit proportio unius ad alterum. Unde, sicut lineae additum punctum non facit majus, ita nec bonum creatum additum in persona bono increato facit melius. Vel etiam quia tota ratio bonitatis omnium bonorum est in Deo ; unde et ipse dicitur omne bonum ; unde non potest sibi fieri additio alicujus boni, quod in ipso non sit » [2].

135. B) **Majestas** non obstat, nam Verbum Incarnatione non deprimitur aut ullam suam intrinsecam perfectionem amittit. Patres propterea dicere solent haud magis deprimi quam divitem subveniendo pauperi aut solem illuminando terram aut lutum. Dicitur quidem *exinanitus*, sed denominative tantum, quatenus naturae assumptae proprietates et infirmitates fecerit suas ; at eo ipso non quidquam patitur detrimenti in sua divina natura ; majestatem suam tantummodo occultat interim ad majorem Dei divinarumque perfectionum manifestationem.

(1) *De unione Verbi*, a. 1, ad 9[m]. — (2) In III, dist. 6. q. 2, a. 3. ad 1[m].

Nec valet comparatio cum rege mulierem conditionis servilis sibi ducente in uxorem. Nam disparitas est duplex : a) Rex unionem contrahit formaliter secundum naturam suam ; Verbum vero non secundum naturam induit naturam et officium servi. — b) Rex ideo tali unione deprimi videtur quia ipse, qua homo, natus est perfici per societatem conjugalem ; Verbum econtra, cum sit seipso infinitae perfectionis, excludit se ex ulla sua cum creatura relatione perfici.

136. C) **Incommunicabilitas** non obstat, nam incommunicabilitas, quae est de ratione personae, excludit eam communicari aliis suppositis, at non excludit eam ad se plures naturas assumere : « Persona dicitur incommunicabilis, in quantum non potest de pluribus suppositis praedicari ; nihil tamen prohibet plura de persona praedicari » (q. 3, a 1, ad 2[m]). Communicatio porro de persona Verbi non dicitur nisi per naturae humanae assumptionem : quae vox significat ese fixum et in se consistens, ad quod aliud trahitur, ita ut persona divina dicatur quidem assumere sibi naturam humanam, nullatenus autem assumi ipsa a natura humana. Hinc dictum S. Augustini : « Homo Deo accessit, non Deus a se recessit » [1].

D) **Consubstantialitas** divina non obstat, quasi non possit una persona sine aliis incarnari, nam, etsi efficientia, ut videbimus, sit communis, quippe quae sit immediate ab essentia divina, tamen suppositare seu terminare in ratione hypostasis, cum sit functio proprie et formaliter personalis ideoque in Trinitate triplex, potest esse unius tantum personae. Mysterium igitur non est hic aliud ac mysterium trium personarum, in unica natura adeo realiter distinctarum ut una non sit alia. Ad tollendam speciem contradictionis, quam secum ferre videtur incarnatio solius Verbi, sufficit functionem hypostaticam distingui *ratione* a substantia divina seu ab eis omnibus quae sunt tribus communia : quod tractatus de Deo trino est principium fundamentale.

137. III. **Hoc non demonstrat nisi praesupposita Incarnationis fide.**

A) Secus ratio posset Incarnationis possibilitatem demonstrare *positive*. Independenter scilicet ab omni revelatione, id est, ex rei ipsius rationibus intrinsecis, seu ex sua propria apprehensione tum personae divinae tum naturae humanae, posset demonstrare earum conjunctionem esse Deo possibilem : quod supponeret ratione sola posse apprehendi modum quo unio hypostatica fieri possit.

(1) *Ad Volusianum epist.* 137. 10 (PL 33. 520).

Jamvero *theologice certum* est hoc non posse fieri. Nam de fide est mysteria proprie dicta — quale sane est Incarnationis — non posse « perspici ad instar veritatum, quae [rationis] proprium objectum constituunt ;.... intellectum creatum sic excedere ut, etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta maneant » ; « non posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari » (D-B. 1796 et 1816 ; C. 182-183). Ea porro quae ex intrinsecis rei principiis, seu independenter ab omni revelationis lumine, per meram terminorum apprehensionem et analysim, dignoscuntur inter se compossibilia, jam omnino dici nequeunt manere obvoluta fidei caligine ; ingrediuntur potius rationis objectum proprium et per eam dici debent ex naturalibus principiis intelligi.

B) *Scriptura*, re vera, significat hoc mysterium transcendere captum omnis humanae mentis, quatenus significat illud non fuisse ulli praeter Deum naturaliter cognitum. Ex ea enim Christus, id est, Filius Dei « *factus ex semine David secundum carnem* » (*Rom.* 1. 3), « *factus ex muliere, factus sub Lege, ut eos qui sub Lege erant redimeret* » (*Gal.* 4.4 et cf. *Rom.* 8. 3-4), est centrum illius « *sacramenti absconditi a saeculis in Deo* » (*Eph.* 3.9 ; *Col.* 1. 26), seu illius « *sapientiae in mysterio, quae abscondita est* » (1 Cor. 1. 20-2. 10).

Nec aliter sensere Patres, ut videre est latius demonstratum apud Petavium l. III, cp. 1 ; vel brevius apud Pesch n. 48.

PARS II : **Mysterii hujus convenientiam ratio suadet** (III, q. 1, a. 1 et 2 ; q. 3, a. 8 ; *cont. Gentes,* IV. 53 et 55)

138. Hoc facit, considerando Incarnationem 1° absolute, id est, secundum suam excellentiam ; 2° respective ad finem in ea intentum.

1° **Absolute.** — A) *Convenit Deo in genere,* id est : a) Summae bonitati sui diffusivae. Incarnatio enim est maxima Dei communicatio tum intensive tum extensive : superat communicationem boni divini per creationem, per gratiam, per gloriam. b) Attributorum divinorum manifestationi : amoris, misericordiae, justitiae, omnipotentiae, tandem sapientiae, quae relucet tum in substantia mysterii tum in variis ejus circumstantiis intrinsecis.

B) *Convenit praesertim personae assumenti* (q. 3, a. 8), quatenus Filius, — a) sicut fuit exemplar rerum creandarum, conveniens est ut sit etiam rerum restaurandarum et reducendarum ad perfectionem suam immobilem ; — b) cum sit aeternae Dei sapientiae foetus, praeaptus esse videtur, qui sui communicatione consummet perfectionem sapientiae hominis, quae

est per participationem Verbi Dei ; — c) praeaptus est, qui filiationem per adoptionem mereatur et influat hominibus.

C) *Convenit naturae assumptae* (q. 4, a. 6 ; *cont. Gentes.* IV. 55), nam : — a) justitiae convenit illam naturam satisfacere pro peccato, quae ipsa peccavit ; b) majori dignitati humanae naturae est ab ipsa devinci eum a quo devicta est ; — c) magis elucet divina sapientia et potentia, dum de natura corrupta et infirma assumpsit id quod in tantam virtutem et dignitatem promotum est.

D) *Convenit toti generi humano,* quod ex Incarnatione nobilitatur, ditatur, plenius beatur.

E) *Convenit toti mundo,* qui, mediante humana natura, perficitur et conjungitur Deo magis immediate atque perfectius ad eum reducitur.

2° **Respective ad finem intentum,** id est, ad reparationem generis humani : sive consideratur totum opus reparationis (q. 1, a. 2), sive specialiter satisfactio pro peccato (*ibid.* et Suarez : *disp.* 4, s. 1, n. 2), sive hominis perductio ad beatitudinem (*Cont. Gentes,* IV. 54).

ARTICULUS II

DE LIBERO INCARNATIONIS DECRETO

THESIS IX – Restauratio hominis lapsi per Christum adeo est divinae bonitatis donum gratuitum ut Incarnatio dici nequeat fuisse necessaria aut ullius creaturae meriti fructus.

I

Donum gratuitum restaurationis hominum

139. Fides Ecclesiae *catholicae est initium salutis pro genere humano, seu restaurationis illius in ordine ad finem suum supernaturalem assequendum, esse totum in libera Dei voluntate.*

1° **Factum statuitur.** — Doctrina ea est quam implicat Symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum, ubi profitetur : *Propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelis.* Eadem enunciatur in *Decreto* tridentino *de justificatione* (*cp.* 1-2), ubi *Patri*

misericordiarum et Deo totius consolationis ascribit quod « Filium suum miserit ad homines ut... omnes adoptionem filiorum reciperent » (D-B 794 ; C. 874). Scriptura sacra idem diserte et explicite docet. Salutem generis humani per Christum exhibet ut opus singularis misericordiae et charitatis Dei, qui « *propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo* » (*Eph.* 2. 4-5). « *Commendat* [*enim*] *charitatem suam Deus in nobis, quoniam, cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est* » (*Rom.* 5. 8 et cf. 3. 24). Epistola *ad Ephesios* in specie totam dispensationem restaurationis nostrae ascribit « beneplacito » divinae voluntatis [1], nec evolvit fere nisi dictum Christi : « *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret* » (*Jo.* 3. 16). Cui consonat dictum S. Joannis ipsius : « *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum* » (1 *Jo.* 4. 9).

140. Patrum eadem est unanimis affirmatio. Pro quibus omnibus sit unus S. Irenaeus.

Etsi restaurationem hominis ascribit firmissime satisfactionibus Christi seu compensationi inobedientiae, quae fuit in Adamo, per obedientiam, quae fuit in Christo, tamen totius operis redemptivi consilium ascribit clarissime benignitati Dei in homines se statim post lapsum manifestanti :

« Magnanimus fuit Deus, deficiente homine, eam quae per Verbum esset, victoriam reddendam ei providens » [2]. « Deus miseratus est plasmati suo et dedit salutem ei, per Verbum, id est, per Christum redintegrans » [3]. « Eum odivit Deus qui seduxit hominem ; ei vero qui seducatus est miseratus est » [4], ita ut jam in ipsa prolatione sententiae appareat miseratus hominem deceptum et omnem suam ad eum inimicitiam retorquens in deceptorem serpentem : « Hominem miseratus est et retorsit inimicitiam, quam [serpens inducere voluit], in ipsum inimicitiarum auctorem, auferens quidem suam adver-

(1) *Eph.* 1. 1-11. Praedestinatio nostra « in adoptionem filiorum per Jesum Christum » facta est « secundum propositum voluntatis suae, in laudem gratiae suae, in qua gratificavit nos in Filio suo » (5-6). « Remissionem peccatorum » seu « redemptionem per sanguinem » Christi « habemus... secundum divitias gratiae ejus » (7) (Cf. Prat. : *La théologie de saint Paul*, II[6], p. 101 sqq.).

(2) *Haer.* III. 20. 1 (PG 7. 942 A).

(3) *Haer.* V. 21. 3 (1182 B).

(4) III. 23, 5 (964 A).

sus hominem inimicitiam, retorquens autem illam et remittens illam in serpentem « [1].

141. Theologi catholici idem sentiunt, ut constat per S. Thomam, qui docet Deum Patrem tradidisse Christum passioni secundum tria : — 1° Quatenus aeterna sua voluntate praeordinavit passionem ejus ad hominum liberationem. — 2° Quatenus inspiravit ei voluntatem patiendi pro nobis. — 3° Quatenus non protexit eum a passione sed eum exposuit persecutoribus (III, q. 47, a. 3). Et, q. 49, a. 4, ad 2m, ait « dicendum quod passio Christi non dicitur quantum ad hoc nos Deo reconciliasse quod *de novo nos amare inciperet,* cum scriptum sit : « *In charitate perpetua dilexi te* » *Jer.* 31. 3| ; sed quia per passionem Christi sublata est odii causa, tum per ablationem peccati, tum per recompensationem acceptabilioris boni ».

142. 2° **Factum vindicatur contra falsas interpretationes.** — Hinc apparet quam prave intellegatur doctrina catholica ab eis qui, quia reconciliatio nostra cum Deo ascribitur meritis ac satisfactioni Christi, fingunt per eam excludi omnem Dei in homines benevolentiam antecedentem ad ejusmodi merita, Deumque induci tanquam naturae humanae inimicum, apud quem intercesserit nescio quis justitiae ac misericordiae conflictus, cui finem tantum fecerit satisfactio per Christum exhibita [2].

Doctrina econtra catholica est, etsi Christus reconciliationem nobis vere meruit, tamen ex Dei benevolentia fuisse quod Christus nobis daretur, per quem jus ad tantum bonum haberemus.

Nec ulla contradictio est in eo quod Deus ipse sua misericordia ordinaverit Christum ad restaurationem nostram, et Christus eamdem satisfactione sua debuerit mereri, ac vere meruerit. Aliud enim est offensori obviam ire et viam ei aperire, qua reparationem offensae praebere possit, aliud offensorem ea via in amicitiam restitutum

(1) IV. 40, 3 (1114). — Item in sua *Demonstratione praedicationis apostolicae* (n° 37-38) : « Le Verbe de Dieu s'est fait chair... afin de détruire la mort et de rendre la vie à l'homme. Car (avant lui) nous étions dans les liens du péché, devant naître coupables et sujets à la mort. Ainsi donc Dieu le Père, plein de miséricorde, nous envoya le Verbe, lequel fécond en ressources est descendu pour nous sauver » (Traduction Barthoulot apud RSR 1916 p. 394). Idem videas apud *S. Augustinum : Sermo* 214. 5, 6 et *de natura et gratia.* 5 (PL 38. 1184 et 44. 250).

(2) Ita v. gr. Aug. Sabatier, de quo apud Rivière : *Le dogme de la Rédemption : Essai d'étude historique,* p. 11-14. Item H. Schell : *Kathol. Dogmatik,* III. 1, p. 17 ; contra quem videas Stufler in ZSKT. XXX (1906), p. 385 sqq.

amicitia vera diligere. Jamvero vera amicitia Deum non amat nisi hominem per merita Christi sibi reconciliatum, etsi ipse ei, ex mera benevolentia, viam aperuit satisfactioni et reconciliationi [1].

Haud aliter creditor praebet ipse debitori instrumenta, quibus usus lucretur unde debita solvat, vel benefactor miseris benevole ac misericorditer subvenit, non gratuitam eleemosynam largiendo, sed laborem offerendo, quo stipendium mereantur. Ita Deus ordinando Incarnationem : medium simpliciter humano generi providit, quo posset ipsum solvere debita sua[2].

143. Nec dicas hujusmodi distinctionibus intrudi Deo « *anthropopathismum* », quatenus videatur apud eum justitia impedimento esse consilio misericordiae. Nam 1° distinctiones illae non sunt gratuitae sed omnino fundatae doctrina catholica, quae, sicut affirmat gratuitatem restaurationis hominum, pariter (ut videbitur infra) tenet Christum eamdem restaurationem satisfaciendo vere promeruisse. — 2° Nec inde oritur ulla conflictus species inter attributa divina. Restauratio hominum sic procurata evidentissime tantum, ut decebat, manifestavit quanta sit tum Dei in homines benevolentia, tum offensa Deo per peccatum illata, siquidem, non obstante illa sua benevolentia, rectissime potuit homini peccatori nolle reconciliari nisi consequenter ad satisfactionem sibi per Filium praestitam [3].

(1) Differentiam merae benevolentiae ab amore amicitiae videas II.II, q. 27, a. 2.

(2) Recte igitur Billuart : « Aliud est affectu benevolo diligere naturam, aliud placari offensis et illas remittere : Sic pater bonus et justus diligit filium delinquentem, quem tamen juste corripit, nec prius illi placatur et condonat delictum. Deus ergo ex misericordia diligebat naturam, quam salvare volebat, sed mediante satisfactione pro peccatis, per quam fuit placatus, est propitius » (*De incarn. diss.* 19, a. 4, obj. 5°). Idem jam antea, alia distinctione facta, responderat Gregorius a Valentia S. J. : « Deus quidem per se, suaque sponte, tanquam primordiali quadam voluntate et consilio suo primo, voluit reconciliari hominibus eo ipso quod, mera misericordia erga homines commotus, voluit illis providere et mittere reconciliationis et salutis remedium ; ea tamen voluntate praecise et formaliter considerata, nondum voluit immediate et proxime hominibus, quantum in ipso est, reconciliari ipsisque salutem conferre ; sed hanc proximam voluntatem habuit demum [quando intuitus est] in merita et passionem Christi » (*De Incarnatione q.* 22, *punct* 1).

(3) Quo sensu « opus divinae justitiae semper praesupponat opus misericordiae et in eo fundetur », videas I, q. 21, a. 4.

II

Incarnatio non necessaria

144. *Etsi de fide est restaurationem generis humani per Christum esse donum Dei gratuitum, tamen Incarnationem non fuisse necessariam non potest dici simpliciter theologice certum.*

Non constat enim per fidem in quo praecise fuerit beneficium gratuitum : in ipso facto restaurationis ? in hoc quod restauratio facta sit per Verbum ? cum satisfactione a Christo exhibita ? cum satisfactione per sanguinem Christi ?

Certum tamen est eam non fuisse necessariam nisi in hypothesi restaurationis cum satisfactione de condigno Deo exhibenda.

Quod ut probes, distingue varias hypotheses (III, q. 1, a. 2).

145. 1° **Non fuit necessaria absolute,** quia in Deo, quoad operationes ad extra, ne moralis quidem potest adesse necessitas.

2° **Non fuit necessaria in hypothesi creationis vel elevationis hominis ad ordinem supernaturalem.**

A) Lullius, Malebranchius, Leibnitz et alii optimistae putant Incarnationem, data apud Deum voluntate creandi, fuisse necessariam, scilicet ut mundus esset optimus. Quam doctrinam aliqui theologi ita temperarunt ut necessitatem illam dicerent non metaphysicam aut physicam sed moralem : ita Ruiz, Maurus, Viva.

Sed haec utraque sententia perimit libertatem Dei.

C) Nec elevatio hominis ad statum supernaturalem exigebat Incarnationem, nam dona gratiae necessaria ad merendam et consequendam beatitudinem supernaturalem tribui possunt a Deo independenter ab Incarnatione.

3° **Non fuit necessaria in hypothesi lapsus generis humani.** Haec assertio duo includit : — A) Restaurationem generis humani non fuisse simpliciter necessariam, ita ut proinde beneficium gratuitum, de quo in priori theseos parte, sit non tantum quod restauratio facta sit tali vel tali modo sed etiam ac simpliciter quod facta sit. — B) In hypothesi decretae restaurationis, Incarnationem non fuisse illius medium simpliciter necessarium.

146. A) **Restauratio generis humani non fuit necessaria.**

Contrarium Güntherus admisisse videtur, docendo Deum non potuisse permittere propagationem generis humani post lapsum nisi prius statuisset illi efficaciter subvenire ; Deus scilicet non potuisset

permittere peccatum haereditate contrahi nisi haeredibus Adami sic foedatis praestatuisset ipse subvenire [1].

At, etsi conceditur ex solidaritate statuta inter Adamum ejusque posteros convenientiam restaurationis apparere maximam [2], — *tenendum tamen omnino est eam restaurationem, etiam attenta Dei bonitate, sapientia et justitia, fuisse simpliciter non necessariam.* Quod probatur :

a) *Pro Adamo et Eva,* quorum lapsus fuit personalis, ex eo quod angelos personali pariter culpa lapsos Deus non restauravit. Eodem jure proptoparentes Deus potuisset non restaurare.

b) *Pro toto genere humano,* ex eo quod Scriptura extollit gratuitatem restaurationis simpliciter. In locis enim n° 139 citatis, Scriptura, ad extollendam benignitatem et misericordiam Dei, vim facit non praecise in excellentia modi quo restauratos nos voluit, sed in ipso facto quod, cum positive indigni essemus benevolentia, tamen Deus se benevolum in nos demonstravit : ideo scilicet dicitur nos ex mera benignitate restaurasse quia indignos amore incepit amare. Sic porro beneficium ponitur simpliciter in ipso facto restaurationis.

147. c) Ex S. Augustino, cujus doctrina de gratuitate gratiae nititur in hoc supposito gratuitae reparationis in genere.

« Universum genus humanum tam justo judicio divino in apostatica radice damnatum [est], ut, etiamsi nullus inde liberaretur, nemo recte posset Dei vituperare justitiam ; et qui liberantur, sic oportuit liberari, ut ex pluribus non liberatis, atque in damnatione justissima derelictis, ostenderetur quid meruisset universa conspersio, et quo etiam istos debitum judicium Dei duceret, nisi eis indebita misericordia subveniret » (*Enchiridion,* 99 PL 40. 278). Et in *de nat. et grat.,* 5. « Universa massa pœnas debet ; et, si omnibus debitum damnationis supplicium redderetur, non injuste procul dubio redderetur... Quis igitur adeo dementissime insaniat, ut non agat ineffabiles gratias misericordiae, quos voluit, liberantis, qui recte nullo modo posset culpare justitiam universos omnino damnantis ? ». (PL 44. 250).

148. d) *Ex ratione,* solvendo objectiones contra factas.

Prima oritur ex infelici statu, in quo derelicti fuissent homines, abs-

(1) Cf. apud Kleutgen : *Theologie der Vorzeit,* t. III, n. 293 ; Heinrich : *Dogm. Theol.,* t. VII, § 325[3], p. 21.

(2) De hoc latius in conclusione tractatus, ubi agetur de fine Incarnationis.

que culpa personali, et ratione solius solidaritatis statutae cum protoparente ab ipso Deo.

At, observandum est homines lapsos, seclusa hypothesi restaurationis, non ideo fuisse privandos omni beatitudine naturali, aut destituendos auxiliis ad eam assequendam necessariis.

« Licet Deus, post praevisum originale peccatum, statuisset non redimere homines per Christum, vel omnino illos non restituere ad felicitatem supernaturalem neque ad gratiam, nihilominus, quantum cogitari potest, non crearet illos destitutos debita et convenienti providentia naturali, neque hoc esset debitum peccato originali; sed potius illos relinqueret in hoc mundo tanquam viatores in ordine ad conservationem et propagationem naturae et ad comparandum in hoc mundo Dei cognitionem et virtutem, et, consequenter, ad obtinendum post mortem, saltem in anima separata, aliquem statum naturalem vel felicem in suo ordine et gradu, vel saltem carentem speciali dolore et poena sensus, si nova peccata non committerent » [1].

149. *Altera objectio* ducitur ex eo quod, seclusa restauratione generis humani, opus Dei remaneret imperfectum, finis a Deo intentus non attingeretur, et diabolus de ruina hominum gloriari posset tanquam de triumpho in creatorem reportato.

At, in hac hypothesi : — a) Magnificentia et bonitas Dei maneret manifestata in assignato hominibus, si vellent, fine adeo indebito. Quae manifestatio potuisset esse, de se, ratio Deo sufficiens decernendi creationem Adami. — b) Opus Dei remaneret imperfectum et finis ejus frustraretur, non ex ejus impotentia sed ex malitia hominis, cujus in manu posuerat ab initio ut attingeret, si vellet, finem indebitum sibi praestitutum. — c) Et, re vera, potens maneret Deus, qui, abjecta stirpe Adami, aliud conderet genus humanum, ita ut ex suo dolo diabolus non gloriam sed confusionem reportasset (Cf. Suarez : *De incarn. disp.* 4, s. 1, n. 1).

150. Opponitur auctoritas S. Anselmi, qui admittit restaurationem generis humani fuisse necessariam ex duplici capite : — α) quia homines, ut putat, creati sunt ut per quos, saltem aliquos, restituatur numerus electorum ex angelorum lapsu imminutus ; — β) quia necesse est naturam rationalem, si semel creatur ad beatitudinem assequendam, illam assequi

(1) Suarez : *De gratia, prolegom.* 4, cp. 9, n. 12. — Cf. Pesch : *De Deo creante,* n. 287 sqq.

de facto, etiam si peccaverit : secus enim, ait, mutaretur quoad illam creaturam voluntas Dei. Ne igitur induceretur mutatio in Dei voluntate, necessarium fuerit naturam rationalem post lapsum restaurari [1].

At, respondetur : ad α) Dato hoc fuisse homines creandi motivum extrinsecum, nondun sequitur necessitas restaurationis. Potuisset enim Deus alios creare homines, qui, cum non peccassent, numerum electorum restituissent. — Sin autem urgeas, praesupponendo hoc fuisse Dei decretum ut electorum numerus restitueretur per homines ex Adamo ortos, tunc sane restauratio hominum admitti debet necessaria ; at ea est necessitas, quae oritur non jam ex bonitate, sapientia aut justitia divina, sed ex liberrimo Dei consilio. — Notandum tantummodo est, etiam in hac hypothesi, nondun sequi necessitatem Incarnationis, ut constabit in subsequenti assertione. — Ad β) respondetur negando consequentiam, mutationem scilicet induci in Dei voluntatem, nisi praesupponatur, — quod gratuito fiat —, Deum voluisse *absolute* homines, independenter ab eorum libera electione, pertingere ab beatitudinem [2].

151. β) **Restaurationis procurandae Incarnatio non fuit medium unicum.** Hoc, post S. Anselmum (*Cur deus homo*, l. II. 6), paucissimi theologi putarunt, v. gr. Tournely (*De Incarn.* q. 4. *concl.* 3ª et 4ª), qui putat Deum, de potentia quidem absoluta potuisse, at de potentia ordinaria non potuisse, hominem restaurare quin satisfactionem pro peccato per Christum exigeret.

Sed, distinctione facta inter restaurationem simpliciter, — cum satisfactione, — cum satisfactione de condigno, — praestanda ab aliquo qui esset — vel non — de stirpe Adam, tenenda est *sententia*

(1) *Cur Deus-Homo*, l. I, cp. 16-18 (PL 158. 381 sqq.) — Opponi solet etiam S. Athanasius, qui, in suo *De Incarnatione Verbi*, 6-7, dicit indecorum et indignum divinae bonitatis futurum fuisse, si permisisset mortis imperio subjici quos fecerat immortalitate donatos (PG 25. 108): id enim est urgere necessitatem aliquam restaurationis generis humani. — At, cum, in sua *Orat.* II *contra Arianos*, 68 (PG 26. 292), idem explicite distinguat id quod Deus absolute facere posset et id quod fecit ad majorem hominum utilitatem, constat eum non fugisse distinctionem, quae sit inter necessitatem proprie dictam et summam convenientiam, vel, ut alii dicunt, inter *necessitatem decreti* seu consequentem et antecedentem. Applicari proinde potest haec distinctio dictis in *loc. cit.*, ubi revera demonstratur quanta cum convenientia — imo forte necessitate — restauratio hominis facta sit per Verbi cum natura humana conjunctionem.

(2) De mente S. Anselmi, cf. Stentrup : *Soteriologia, thes.* 2, p. 33 sqq. et ZSKT 1892, p. 653 sqq ; Rivière in *Bulletin de litt. ecclés.* 1910, p. 13-27 ; L. Janssens : *Summa theol.*, t. IV, p. 40 sqq.

communis Patrum et theologorum Incarnationem non fuisse necessariam nisi *consequenter ad decretum de restauratione cum satisfactione de condigno praestanda ab aliquo qui esset de stirpe Adami.*

Agetur in posteriore tractatus parte de necessitate Incarnationis in hac ultima hypothesi.

152. Interim dicimus eam non fuisse necessariam *antecedenter ad hujusmodi decretum*. Deus enim, etiam in hypothesi ubi hominem restaurare vellet, poterat eum erigere viis aliis, sive exigendo qualemcumque satisfactionem imperfectam, quam vel homo ipse lapsus vel angelus vel aliqua alia creatura ad hoc creata potuisset praebere, sive condonando simpliciter offensam. Quod ultimum sufficit ad radicitus evellendam sententiam S. Anselmi. Ita vero S. Thomas :

« Si voluisset Deus absque omni satisfactione hominem a peccato liberare, contra justitiam non fuisset. Ille enim judex non potest, salva justitia, culpam sine poena dimittere, qui habet punire culpam in alium commissam, puta vel in alium hominem, vel in totam rempublicam, sive in superiorem principem. Sed Deus non habet aliquem superiorem, sed ipse est supremum et commune bonum totius universi. Et ideo, si dimittat peccatum, quod habet rationem culpae ex eo quod contra ipsum committitur, nulli facit injuriam : sicut quicumque homo remittit offensam in se commissam absque satisfactione, misericorditer et non injuste agit » [1].

Conclusio ergo sit cum S. Augustino. Etsi « non alius modus possibilis Deo defuit », tamen « sanandae miseriae nostrae convenientior alius modus non fuit » (*De Trinit.* l XIII, cp. 10). Hinc S. Thomas dicit et probat Incarnationem fuisse necessariam ut « melius et convenientius » promoveretur homo *ad bonum* et removeretur *a malo*. Legas III, q. 1, a. 2.

III

Incarnatio non est fructus ullius creaturae meriti.

153. Hoc manifestum est *a posteriori*, nam mysterium illud in Scriptura ascribitur soli divinae liberalitati : « *Sic enim Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret* » (*Jo.* 3. 16). « *Per viscera misericordiae Dei nostri... visitavit nos, oriens ex alto* » (*Luc.* 1. 78). « *Benignitas et humanitas* (φιλανθρωπία) *Salvatoris nostri Dei*

(1) III, q. 46, a. 2, ad 3[m] Uberiora apud Petavium : *De Incarn.*, l. II, cp. 13 ; Billuart : *diss.* 3, a. 2 ; Pesch : *De Verbo incarn.* n° 358-361.

apparuit » in hoc quod « *non ex operibus justitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit... per Jesum Christum* » (*Tit.* 3. 4-6).

154. *A priori* vero, si distinguatur ipsa Incarnationis substantia a circumstantiis ejus, facile demonstratur Incarnationem ipsam non potuisse mereri ab ulla creatura :

Non ab ulla pura creatura, nam summa disproportio fuisset inter illius actus etiam supernaturales ad tantum bonum, quod est divinae personae cum creatura unio personalis : major scilicet disproportio quam est actuum naturalium ad ullum bonum proprie supernaturale.

Non a Beata Maria Virgine aut ab ullo ex patriarchis aut prophetis, tum propter rationem praemissam, tum propterea quod illorum non fuit ullum meritum, quod non penderet ab ipso Christo seu ab ipsa Incarnatione.

Non ab humanitate Christi seorsim a Verbo considerata, siquidem non praeexstitit unioni, nec, si praeexstitisset, habuisset actiones proportionatas tanto bono merendo.

Non ab ipso Christo : nam actus meritorios non habuit ullos unioni antecedentes. Actus autem ejus meritorii, cum unionem subsecuti sint, non potuerunt illam mereri ; nam unio fuit ipsa meritorum Christi principium ; principium vero meriti non cadit sub merito, nisi dicas idem posse esse seipso prius simul et posterius sub eodem respectu, seu aliquid posse esse sui causam.

Nec obstat quod merita Christi influxerint apud Deum ante Incarnationem, gratiam v. gr. et salutem impetrando justis et beatae Virgini ; nam influxus ille fuit Christi non in seipsum sed in alios. Actus ejus ideo potuerunt influere, quia, etsi nondum in se existebant, tamen, illo jam absolute decreto, merita ejus jam erant in praevisione absoluta Dei gratiam et salutem conferentis.

155. Decreta autem Incarnatione, potuerunt aliqui sancti **circumstantias** ejus aliquas mereri de **congruo.**

Hoc suadetur in Scriptura, v. gr. ubi Abraham, propter fidem et obedientiam, promittitur Salvator ex ejus semine nasciturus : « *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae, quia obedivisti voci meae* » (*Gen.* 22. 18). Item David volenti aedificare templum Dominus promittit se non ablaturam misericordiam ab ejus domo (2 *Reg.* 7 et *Ps.* 131. 11). - - Cf. III, q. 2, a. 11.

ARTICULUS III

DE PRÆPARATIONE INCARNATIONIS.

156. Præparatio Incarnationis complectitur tum electionem populi ex quo esset Christus, tum ipsius Christi prænuntiationem.

Prænuntiatio Christi facta est Christi prædictione et præfiguratione.

Præfiguratio Christi non potuit esse nisi de ejus munere sive Redemptoris sive instauratoris novæ œconomiæ religiosæ : præfigurari enim non potuit ejus divinitas nec proinde Verbi incarnatio [1].

Praedictiones de Christo spectant ejus missionem vel personalitatem.

1° *Circa missionem,* jam alibi dictum est prædictum esse finem ejus, instaurationem scilicet novæ œconomiæ religiosæ et constitutionem novi populi Dei, qui gentes omnes complecteretur. Alibi etiam dictum est prædictum esse modum quo adimplenda esset haec missio, prædicatione scilicet novæ religionis. — In secunda hujus tractatus parte dicetur eamdem missionem prædictam esse etiam ut includentem satisfactionem Deo pro peccatis praestandam.

2° *Circa personalitatem ejus*, prædictum est eum fore : a) virum singularem, non collectivum populum ; - b) Davidicum, seu de stirpe David ; — c) Deum. Duo prima puncta, ceterum magis obvia, jam tractata sunt alibi, in tractatu scilicet de Legato divino. Tertium restat considerandum in sequente thesi.

Thesis X - Christum, praelucente saltem revelatione christiana, constat in Veteri jam Testamento insinuatum esse hominem fore simul et Deum.

157. Praenotanda. 1° Supponitur, — quod alibi demonstratur —, Christum esse legatum divinum, qui, apud populum judaïcum, ex promissionibus antiquis expectabatur. Is autem legatus patet fuisse praenuntiatus et expectatus ut homo. An autem praenuntiatus fuerit etiam ut Deus, quaestio est in hac thesi agitanda.

2° Responsum eruitur ex prophetarum dictis. Horum vero sensus quis fuerit litteralis constare potest vel ex solo textu, vel ex textu revelationis christianae lumine illustrato.

Porro **ex solo textu non** clare constare divinitatem proprie dic-

(1) De præfiguratione et argumento quod exinde desumi potest in theologia vel in concionibus, cf. Introductiones generales ad S. Script. v. gr. CORNELY : *Comp.* p. 131-134, de sensu typico.

tam Messiae praenuntiari vix ambigitur. Ut enim aperte dicit S. Hilarius: « Judaei sacramentum mysterii Dei nescientes et per hoc Dei Filium ignorantes, Deum tantum, non et Patrem, venerabantur » [1], ex ipso evangelio (Mt. 16. 13-17 et 22. 42-46) constare videtur Judaeos non expectasse unquam Messiam fore proprie Deum; nec Patres, qui ex Vet. Testamento conantur probare divinitatem Christi, arguere solent ex prophetarum dictis; allegant potius theophanias aut libros sapientiales. Eorum enim est doctrina communis claram Filii Dei manifestationem propriam esse Novo Testamento: « In Novo Testamento, scribit S. Irenaeus, ea quae est ad Deum fides hominum aucta est, additamentum accipiens Filium Dei » [2],

Quod et S. Thomas profitetur (II. II, q. 174, a. 6); ait enim manifestationem deitatis ita crevisse secundum tres temporum distinctiones ut *ante* legem instruerentur Abraham aliique Patres de his quae pertinent praesertim ad omnipotentiam unius Dei; *sub lege* Moyses plenius instrueretur de simplicitate divinae essentiae; *sub gratia* tandem « ab ipso Filio Dei revelaretur mysterium Trinitatis ».

158. Exinde tamen non sequitur ne obscure quidem revelatam esse ante Christum ejus divinitaten. « Vetus Testamentum, ait econtra S. Gregorius Nazianz., Patrem aperte praedicabat, Filium obscurius » (*Oratio theol.* V. 26. PG 36. 161). Item S. Joannes Chrysost.: « Judaeis non clare et manifeste, sed obscure raroque Filius Dei a prophetis significabatur ». (*De incomprehensib.* V. 3 PG 48. 740 A). Et, re vera, cum non tantum Patres sed etiam Apostoli (v. gr. *Hebr.* 1), imo et ipse Christus (*Mt.* 22. 42-46) saltem ad hominem argumentando, divinitatem Messiae deduxerint ex Vet. Test., negari absque temeritate nequit eam aliquatenus in eo saltem insinuari. (Cf. Franzelin : *De Deo trino, thesis* VI, initio).

Insinuationem tamen hujusmodi concedimus non apparere clare nisi praeluxerit christiana revelatio. Assertio igitur nostra significat simul tum divinitatem Messiae insinuari vere prophetiis sensu suo litterali intellectis, tum eum sensum litteralem nec constitisse nec posse constare ei qui non prius agnoverit Messiam, qui in eis praenuntiatur, esse, ut constat per Novum Testamentum, vere Deum.

159. Quod ne videatur ingerere S. Scripturae duplicem sensum litteralem, eum scilicet, quem prophetarum auditores aut actuales lectores Christo non credentes, et eum, quem soli credentes Christo, agnoscere possunt,

(1) *De Trinit.* V. 27 (PL 10. 147 C). — (2) *Haer.* IV. 28, 2 (PG 7. 1062 A).

considerandum est apud prophetas debere distingui ea quae dicunt aut scribunt ut auctores mere inspirati et ea quae proferunt ut sibi ab ipso Deo revelata. Prior dictorum series eum tantum sensum litteralem censenda est habere, quem auditores aut lectores, dato circumstantiarum et verborum contextu, percipere valebant. Alteri non videtur cur non potuerit aliquando subesse sensus, quem Deus revelans ipse intenderet, quin auditores imo et ipsi prophetae eum adhuc *plene* perciperent. Verba enim sunt magistri praegnantia, quae discipulus nunc sensu vero at partiali tantum percepta, postea, accedente pleniore lumine, sensu totali intelleget. Qui sensus plenior non potest sane contradicere sensui priori, nisi admittas Deum prophetas aut saltem eorum auditores et lectores immediatos voluisse decipere ; at bene potest eum corrigere ac perficere, ita ut aliquo vero sensu, accedente uberiore revelatione, possit quis prophetiam melius intellegere quam ipse propheta. « Omnis prophetia, ait S. Irenaeus, priusquam habeat effectum, aenigma et ambiguitas est hominibus. Cum autem venit tempus et evenit quod prophetatum est, tunc prophetiae habent liquidam et certam expositionem » (*Haer.* IV. 26, 1 PG. 7. 1052-1053). Et rationem dat S. Thomas : « quia mens eorum est instrumentum deficiens, etiam veri prophetae non omnia cognoscunt quae in eorum visis, aut verbis, aut etiam factis Spiritus Sanctus intendit » (II. II, q. 173, a. 4).

160. Neque exinde sequitur apologetae, qui velit argumento prophetico demonstrare divinam Christi legationem, licere, si velit logice procedere, niti pleniore illo sensu, quem exegeta ac theologus, sub lumine praecognitae revelationis christianae, prophetiae cuidam subesse agnoscunt. Integrum omnino illi manet ab eo praescindere ; imo, ex hac ipsa nostra thesi, supponitur ejusmodi sensum non posse percipi nec proinde invocari ab eo, qui totus adhuc in eo sit ut probet de Christo fuisse simpliciter prophetias.

Nobis autem non sic, quibus subsidio est revelatio christiana jam fide cognita ; et hinc est cur, etsi concedimus ex solo textu prophetarum non constare futuri Messiae divinitatem, tamen ut certum teneamus eamdem esse apud eos vere insinuatam.

Ex Isaiae prophetia, quae dicitur de Emmanuel

161. 1. **Prophetia declaratur** : A) *Occasio et sensus generalis.* Prophetia illa complectitur tria, ut dicitur, oracula (VII + VIII + IX. 1-7), quorum occasio est invasio ac periculum regi Achaz

imminens a regibus Syriae et Samariae, scopus autem est avertere regem ne, despecta ope Domini, auxilium sibi quaerat ab Assyriis [1].

B) *Analysis* : **Primum oraculum** (VII) edicit Deum, etsi rex ab eo petere renuit, signum tamen esse daturum futurae suae opitulationis, quatenus domui David semel adhuc certificatur nasciturus ille puer, cujus spes apud Judaeos erat : inter exegetas enim convenit virginem, de qua Isaïas (14), eam esse mulierem, de qua Michaeas (5.3).

Utrum vero haec praecise nativitas sit signum a Deo dandum an econtra signum illud constituatur insperata vastatione terrae, quae dicitur mox futura, prius scilicet quam puer nunc natus sciat reprobare malum et eligere bonum, an etiam utramque rem complectatur, inter exegetas non convenit. Alii enim putant prophetam promittere signum favorabile ; alii contra existimant signum promissum fore regi tantum, aut saltem etiam, in poenam suae diffidentiae, ideoque tenent terram, quae dicitur mox vastanda, esse regnum ejus, dum alii putant eam esse terram Samariae et Syriae, cujus propterera reges recedent ab impugnando rege Achaz. At haec controversia exegetica ad nos non pertinet. Nobis sufficit in hoc oraculo, fatentibus omnibus, alludi aut confirmari nativitatem pueri illius, Emmanuel vocandi, qui auxilio ac saluti futurus sit domui David.

162. Secumdum oraculum (VIII) clarius est. Praedicit tum reges Syriae et Samariae esse mox ab Assyriis debellandos, tum terram regis Achaz invadendam ab illis ipsis Assyriis, quos, derelicto Deo, Achaz invocarit. Haec autem vastatio terrae, quae dicitur esse terra Emmanuel (v. 8), etsi erit totalis, tamen exitu suo frustrabitur quia, ait propheta, nobiscum est Deus : (« Emmanuel ») (v. 10).

C) **Tertium oraculum** (IX. 1-7) describit liberationem et exultationem tribulationi succedentem. Ascribit autem illas nativitati pueri, qui « *vocabitur admirabilis consiliarius*, DEUS FORTIS, *pater futuri saeculi, princeps pacis,... super solium David et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, et corroboret in judicio et justitia amodo et usque in sempiternum* (v. 6-7).

163. 2° **Ostenditur ibi agi de futuro Messia**, et quidem sensu litterali, etsi catholici etiam aliqui putaverunt de eo non agi nisi sensu

(1) Cf. commentatores, in specie : KNABENBAUER : *Comment. in Is. proph.* t. I ; CONDAMIN : *Le livre d'Isaïe ;* CORLUY : *Spicilegium dogmatico-biblicum* t. I, p. 394-441 ; LAGRANGE in *Rev., bibl.* 1892, p. 481-497 ; 1905, p. 279-280 ; HUYGHE in *Science catholique* février 1895 ; DURAND in *Université cathol.* juin 1899 ; van HOONACKER in *Rev. bibl.* 1904, p. 220 ; *l'Ami du clergé* 1903, p. 1136 ; TOBAC : art. *Isaïe*, in DTC.

typico, quatenus putabant sermonem ese litteraliter de filio, qui (8. 1-4 et 18) dicitur Isaïae nasciturus.

A) **Positive : a)** Ex auctoritate S. Matthaei Christo applicantis tum (1. 22-23) dicta de nativitate Emmanuelis, tum (4. 14-16) dicta ab Isaia (9. 1-2) de laetitia exorta terrae Zabulon et Nephtali terraeque Galilaeae gentium. Hinc est cur catholico non liceat denegare ea loca esse messianica sensu saltem typico. — **b)** Ex auctoritate antiquorum Judaeorum, qui Messiam saltem in *cap.* 9 agnoverunt [1]. — **c)** Ex auctoritate recentium commentatorum acatholicorum, qui adeo agnoscunt ibi agi de Messia apud Judaeos olim expectato ut nonnulli propterea excludant versic. 9. 1-6 scriptos esse ab ipso Isaia [2]. — **d)** Ex ipso textu et contextu, quatenus : α) virgo, quae dicitur Emnuel paritura probabiliter eadem intellegitur quae, teste *Mich.* 5. 3, apud Judaeos expectabatur Messiam paritura ; — β) terra regni Judae, quae prophetis habebatur ut ipsius Dei terra, dici nequit Emmanuelis terra (8. 8) nisi Emmanuel censeatur esse Messias ; — γ) puer, cujus (7. 14) promissio refertur, idem est ac puer qui (9. 1-7) exhibetur ut jam natus. Etenim uterque datur pro domo David (7. 13 et 9. 7) ; uterque dicitur fore saluti et gloriae terrae regni Judae (8. 8 et 10 ; 9. 1-7) ; nomen Emmanuel priori datum exprimit seipso totum id quod nomina posteriori tribuenda. Jamvero posteriorem intellegendum esse de Messia etiam sensu litterali vix ab ullo negatur.

164. B) **Negative,** quatenus excluditur applicatio :

a) *Ezechiae*, filio regis Achaz, siquidem — α) Ezechias forte jam antea natus erat ; — β) inverosimile est Isaiam vocasse reginam uxorem Achaz nomine ha ʿalma, virgo ; — γ) Ezechias non potuit vocari ab Isaia « Deus fortis » ; — δ) Ezechias non fuit unquam Galilaeae gentium, quae semper fuit extra ditionem ejus, tanto gaudio quanto dicitur futurus puer de quo in 9. 1-6.

b) *Filio ipsius Isaie*, de quo 8. 1-4 et 18. Nam — α) Isaias uxorem suam prophetissam vocat nec potuit vocare *ha ʿalma ;* — β) nullo jure regnum Judae posset a propheta dici terra filii sui, sicut dicitur esse terra Emmanuel ; — γ) analogia, quae est inter dicta 7. 3 et 14-16

(1) *Targum* v. gr. interpretans, et quidem mirabiliter, 9. 6, haec habet : « Vocabitur ab Admirabili in suis consiliis, *a Deo forti*, qui in aeternum subsistit, Messias, sub quo magna pace fruemur » (Ex versione gallica citata a Condamin : *Le livre d'Is.*, p. 76). — Rabbinus a Galilaea citatus a Martini (*Pugio fidei. fol.* 552) haec pariter habet : « Etiam nomen Messiae est verbum Schalon (pax), sicut dictum est *Is.* 9. 6, Pater aeternus, princeps, pax ».

(2) Condamin, *op. cit.* p. 76-77.

et dicta 8. 1-4 sufficienter explicatur ex scopo diverso utriusque oraculi. Primum enim est ad ipsum regem, cui simul inculcandum est tum Deum domui David manere propitium tum ejus actionem mox fore manifestam in Assyriorum invasione ; hinc est cur sermo ibi possit esse de puero dando in salutem domui David et de mysteriosa virgine nascituro. Secundum autem oraculum est ad totum populum, cui vivide significare intendit quantam et quam cito depraedationem passurus sit ab illis Assyriis, quos sibi in auxilium invocat, quin ulla sit mentio pueri in salutem nasciturі. Hinc est cur nativitas et appellatio filii Isaiae sit, non jam objectum promissionis aut oraculi, sed merum symbolum rei prædictae, ad modum quo apud *Osee* (1.4.6.9) filii pariter prophetae in symbolum assumuntur rei futurae. — Addi ceterum potest, ad catholicos qui Emmanuelem identificent cum filio Isaïae, ita ut ibi de Messia non agatur nisi typice, eam illorum interpretationem non stare, si, ut videtur saltem innuere S. Matthaeus (1. 22-23), prophetia sit praecise de conceptione ac nativitate virginea : hoc enim dato, excluditur filium, qui ab Isaia et prophetissa nascatur, esse typum Christi ex virgine nascituri.

165. 3° **Probatur ibi insinuari divinitatem futuri Messiae.** Non tantum quidem ex sola appellatione Emmanuel, etsi significat *Deus nobiscum*. Haec enim, etsi alibi non invenitur, tamen ex usu biblico sufficienter explicatur per specialem in eo puero Dei actionem ac manifestationem [1]. Argumentum tamen ducitur validum tum ex dictis de Emmanuel ipso, cpp. 7-8, tum ex complexu dictorum in cpp. 7-9. 7.

A) **Ex dictis de Emmanuel** (cpp. 7-8), Messias, qui, a propheta inculcante salutem esse a Deo ipso et solo, non tantum vocatur « *nobiscum Deus* » sed etiam exhibetur ut dominus terrae, quae noscitur esse Dei solius, atque ut inexpugnabile refugium populi Dei, is insinuatur saltem fore Deus. Atqui ita Messias, nam : a) Isaias inculcat a solo Deo esse salutem (7. 7-14 ; 8. 11-15 ; 35. 4) ; b) et tamen vocat terram sacram, quae noscitur esse Dei solius, terram ipsius Emmanuel (8. 8) ; c) additque ideo hostes frustra contra eam inire consilia quia « Emmanuel », seu quiaEmmanuel adjutor est et protector (8. 9-10). Ergo ab Isaia Messias insinuatur saltem fore Deus.

166. B) **Ex complexu dictorum in cpp. 7-9. 7.** Confirmatur

(1) « Sunt enim, uti notum est, plurima nomina apud Hebraeos cum nomine Dei vel Iahve composita, quae ex ratione etymologica explicantur : El est benignus ; El est salus ; Iahve est donator », etc (KNABENBAUER, *In Isaiam proph.* t. I., p. 178).

enim et completur argumentum praecedens ex hoc quod a propheta, qui Deum vocat » Deum fortem » (10. 21), liberator terrae Emmanuel vocatur et ipse Deus fortis (*El Gibbor*). Haec enim appellatio, quae appellationem Emmanuel confirmat simul et explicat, certe est ipsius prophetae, intelligenda est sensu proprio ac datur ipsi puero nascituro.

a) *Est ipsius prophetae seu est authentica.* Dubitari sane posset, cum desit in versione graeca a LXX viris adornata ; pro sex enim nominibus, quibus in textu hebraïco puer dicitur appellandus, haec tantum in ea versione habentur, latine reddita : « *Et vocabitur nomen ejus Magni consilii angelus et adducam pacem super principes et sanitatem ejus* ». Sed, cum omnes antiquae versiones ex hebraeo immediate factae prodant textum actuali hebraïco quoad essentialia consonantem, dubium esse nequit versioni septuagintavirali subesse textum perversum a scribis forte, qui, ut ait S. Hieronymus, « nominum majestate perterriti non sunt ausi dicere de Deo quod aperte Deus appellandus sit » [1].

b) *Intellegenda est sensu proprio,* nam, etsi S. Hieronymus, ut ex Vulgata adhuc apparet, putavit « Deum » et « fortem » legendos esse « separatim », tamen, fatentibus exegetis, et ut ex aliarum appellationum parallelismo manifestum est, jungenda sunt bina nomina. Jamvero « Deus fortis » pariter dicitur (10. 21) Deus verus, ad quem « reliquiae Jacob convertentur ».

c) *Tandem haec est appellatio ipsius pueri* et non, ut nonnullis placuit, Domini puerum appellantis. Nulla enim est ratio cur tot nominibus Dominus ibi appelletur, cum econtra propheta manifeste voluerit puerum illum ipsis appellationibus exaltare ; nullaque pariter est ratio cur ex his nominibus alia de puero nato, alia de Domino intellegantur : nullum enim est indicium unde suggeratur hujusmodi distinctio.

Stat ergo conclusio Emmanuel seu puerum illum, qui terrae sacrae Dominus esse dicitur ac promittitur fore populo Dei in salutem et gaudium, praedictum esse appellandum ac proinde fore « Deum fortem ». Quod cum Isaiae auditores et lectores immediati non perciperent quomodo fieri posset, ideo non asserimus eis plenum patuisse prophetiae sensum ; sed nos qui credidimus ac scimus puerum illum re vera venisse ac esse proprie Deum, dubitare non possumus quin mira illa dicta divinitatem Messiae jam, ex intentione Dei, insinuaverint.

Ex Malachia 3. 1

167. Ibi « *Dominus exercituum dicit : Ecce ego mittam angelum meum et praeparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad*

(1) Cf. commentatores in *Is.* 9. 6. ; item *L'ami du clergé* 1903, p. 1136.

templum suum Dominator, quem vos quaeritis, et *Angelus testamenti quem vos vultis* ». « Angelus » ergo « testamenti », qui expectatur a Judaeis, id est Messias, sicut distinguitur ab angelo praemittendo ut praeparet viam Domino, ita identificatur cum « Dominatore », cujus est templum. Jamvero ille « Dominator » non potest intellegi nisi Deus ipse, siquidem hoc nomen « Dominator » Deo soli in Scriptura applicari solet [1] et templum non potest dici nisi Dei psius. Cum autem « Dominus exercituum » ipse sit, qui ita de futuro Messia loquitur, negari non potest, saltem ab eo qui jam sciat Messiam fuisse re vera Deum, insinuatam ibi aliquatenus fuisse illam ejus divinitatem [2].

Ex psalmo 2

168. 1° **De messianismo psalmi.** [3] - A) *Psalmum illum esse prae omnibus messianicum* constat — **a)** non tantum quia ibi « Christus » (v. 2) explicite nominatur, sed præsertim quia — b) eum ita intellexere Judaei, ut videre est, inter alios, apud IV *Esdr.* 7. 28 sqq ; 13. 32. 37. 52 ; 14. 9, ubi Messias pariter dicitur « filius » et de eo resumuntur quae in psalmo illo leguntur ; — **c)** christiani eum ab initio applicant Christo : *Act.* 4. 25 ; *Hebr.* 1. 5 et 5. 5 ; *Apoc.* 2. 27 et 19. 15 ; — **d**, nemo est, fatentibus omnibus, in Judaeorum historia, cui applicari complexive possint ea omnia quae in psalmo de Christo dicuntur, scilicet quod sit Domini unctus, Dei genitus, et acceperit gentes haereditatem, ita ut possessio ejus coextendatur usque ad fines terrae.

(1) Qua appellatione (ha'Adon, Dominator κατ'ἐξοχήν) septies praeter hunc locum occurrente non designatur nisi Iahve, Deus verus. (*Ex.* 23. 17 ; 34. 23 ; *Is.* 1. 24 ; 3. 1 ; 10. 16. 33 ; 19. 4). KNABENBAUER : *Cursus Script. sacrae : Prophetae minores,* t. II, p. 466.

(2) Apud *Jeremiam*, 23. 5-6 et 33. 15-16, « Germen e David oriundum » — Semah : quo nomine designatur Messias etiam apud *Is.* 4. 2 (Cf. 11. 1 : « *virga de radice Jesse* ») et *Zach.* 3. 8. et 6. 12 - dicitur vocandum, proindeque esse, « *Jahve justus noster* ». Cum hoc dicat ipse Iahve, censeri pariter possit eo ipso insinuasse personae a se distinctae futuram incarnationem.

Apud *Michaeam*, 5. 2, de Messia in Bethleem nascituro dicitur : « *Egressus ejus ab initio, a diebus aeternitatis* ». Verbis istis non alluditur probabiliter nisi ad originem ejus davidicam aut potius ad illius promissionem Patribus olim factam : cf. eamdem formulam apud *Mich.* 7. 14 et 20 ; *Is.* 51. 9. — Tamen insinuatur etiam forte illius origo mysteriosa. Possit igitur ibi agnosci praeparatio quaedam ad revelationem magis explicitam Messiae venientis a Deo Patre.

(3) De quo cf. CORLUY : *Spicilegium dogm.-bibl.* t. II, p. 158 sqq ; LAGRANGE in *Rev. bibl.* 1905, p. 40 sqq ; 1908, p. 488-489.

B) Utrum vero *messianicus* sit sensu *litterali an typico* inter catholicos non convenit. Ut patet, ex citationibus factis in Novo Testamento, nemini catholico licet negare sensum saltem typicum. At, nonnulli volunt sensu litterali ibi non agi nisi de David ; alii contra putant alia dici littteraliter de David (v. gr. dom Calmet, Bossuet) aut de Salomone (Patrizi) alia de Christo ipso [1] ; opinio tamen communis est omnia de Christo litteraliter esse intellegenda.

169. 2° **Summa dictorum.** Sub specie vel occasione conjurationis contra eum motae, Christus inducitur jus suum repetens exinde quod ab ipso Deo constitutus sit rex in Sion, ita ut habeat omnes gentes haereditatem et omnes reges ei servire debeant. Qua occasione revocat sibi a Deo dictum esse : « *Filius meus es tu, ego hodie genui te* ». Filiatio ergo ejus aliqua affirmatur, quae non dicitur collata occasione repellendae actualis conjurationis, sed commemoratur fuisse titulus ex quo Deus eum olim constituit regem eique dedit gentes haereditatem.

170. 3° **Quo sensu Christus dicitur a Deo genitus** . A) *Metaphoricam* tantum, nec ullo modo naturalem Christi a Deo filiationem admittunt, ut patet, quotquot psalmum interpretantur sensu litterali de David aut Salomone ; qui omnes consequenter negant posse ex hoc loco argumentum pro divinitate duci.

B) Eis autem, qui de Christo putant ibi agi directe ac *sensu litterali*, quaestio exsurgit de natura filiationis ejus.

(1) Haec omnia recolligit interpretatio sic exposita a D. Lévesque S. S. in *Rev. prat. d'opologét.* 15 février 1918 (*Comment S. Paul prouve la divinité de J. C.* p. 585-586) : « Le psaume second est la traduction poétique de l'oracle de Nathan à David, relatif à l'institution de la Royauté messianique (2 *Reg.* 7. 14). Chacun des rois de la lignée davidique depuis Salomon est considéré par Dieu (vrai Seigneur, Adonaï, vrai roi d'Israël) comme son fils, au moment où il accède au trône. Son intronisation est représentée comme une sorte de naissance, une naissance royale, d'après les idées courantes des peuples de l'Orient. En Egypte, les Pharaons en montant sur le trône devenaient les fils du Dieu Soleil. Ce psaume second ne s'applique pas uniquement à Salomon ou à tel autre des rois ses descendants, ou exclusivement et directement au Messie. C'est l'institution de la royauté messianique.

Cet oracle vise donc chacun des descendants de David appelé au trône, et se réalise en lui dans la mesure où il se rapproche de l'idéal du roi théocratique. A plus forte raison s'applique-t-il surtout et se réalise-t-il pleinement en celui qui remplit tout cet idéal, en celui qui est l'aboutissement providentiel d'Israël et de toute la race de David, c'est-à-dire en Jésus-Christ ».

Putant alludi ad filiationem **a)** alii *aeternam* ab ipso Deo ; **b)** alii *temporaneam* a Virgine, ubi scilicet natus Homo-Deus constitutus est rex omnium gentium ; **c)** alii *quasi adoptivam,* quatenus a Deo speciali dilectione ac providentia diligeretur ; **d)** alii tandem *metaphoricam,* manifestationem scilicet filiationis ejus naturalis, qualis facta est sive ubi constitutus est a Deo Patre sacerdos in aeternum, ut putant nonnulli innui in *Hebr.* 5. 5, sive ubi resurgens ex mortuis manifestatus est esse Filius Dei, ut putant multi insinuari a S. Paulo in *Act.* 13. 33 ; *Rom.* 14 ; 1 *Cor.* 15. 25. Omnes illae opiniones sunt aliquatenus probabiles, et exegetae, qui praescindat a revelatione christiana, difficile sane est ex solo textu et usu biblico astruere filiationem ibi intendi a Deo naturalem et aeternam. Nam, in Vet. Test., etsi « Filius Dei » omnino non sit appellatio consueta aut ullibi attestata sive regum a Deo speciali modo dilectorum sive ipsius Messiae., tamen haud raro dicitur modo de toto populo Israel (v. g. *Ex.* 4.22-23 ; *Is.* 63, 16 ; *Jerem.* 31. 9 et 20 ; 13. 19 et 4 ; *Osee* 11. 1), modo de justis in genere (*Sap.* 2.16-18 ; 5. 5) et in specie de David (*Ps.* 88. 27-28) ac de Salomone (2 *Reg.* 7. 14 et 1. *Paral.* 17. 11-14) fore ut Deus sit eis in Patrem et ipsi sint ei in Filium [1]. Ex eo ergo quod Messias dicitur a Deo genitus, etsi sane agnoscenda illi est filiatio, quae filiationem ipsius David aut Salomonis *gradu* exaequet aut imo transcendat, non tamen necessario quae eam *natura* sua excedat.

171. Ei vero qui, revelatione christiana praelucente, novit Christum esse re vera Dei Filium ab aeterno genitum, haud desunt argumenta quae probent eam ipsam filiationem in psalmo litteraliter insinuari.

Et primo quidem hoc sequitur fere **ex admisso sensu litterali,** qui sit directe de Christo. Nam Christus scitur non esse a Deo genitus nisi ab aeterno nec in psalmo dicitur eo die genitus quo constitutus est rex seu Christus ; non enim dicitur ideo genitus quia constitutus rex, sed econtra potius rex factus et accipiens gentes haereditatem quia filius ; filius ergo prius erat et divinum illud « hodie » psalmi apte intellegi nequit nisi de illa praesentia aeternitatis, in qua, ut ait S. Augustinus (*in ps.* 2. 6) « nec praeteritum quidquam est..., nec futurum,... sed praesens tantum »... (PL 36. 71).

Secundo, **epistola ad Hebraeos** (1. 5) **rem fere evincit.** Recitat enim versiculum psalmi « *Filius meus es tu, ego hodie genui te* » ut

(1) Cf. LAGRANGE : *La paternité de Dieu dans l'ancien Testament* (*Rev. bibl.* 1908 p. 481 sqq.)

in quo Christi filiatio a Deo naturalis seu divinitas praenuntiata sit.

Nec argumentum eluditur quia eodem loco recitatur, ut idem enuntians, dictum de Salomone : « *Ego ero illi in patrem et ipse erit mihi in filium* », quod sane de Christo non valet nisi sensu typico. Cum enim auctor epistolae haec loca referat ad probandam sententiam suam de divinitate Christi, censendus est ea referre juxta sensum litteralem nisi aliter constet. Jamvero, quod constat pro dictis de Salomone, id nullo modo constat pro dictis in psalmo ; ergo haec censenda sunt referri sensu suo litterali. Imo ita esse debere exinde etiam deducitur quod secus, inter ea loca Veteris Testamenti, quibus auctor epistolae dicit enuntiari divinitatem Christi, vix unus esset qui eam assereret sensu suo litterali ; quae enim postea referuntur ex psalmis 96. 7 ; 44. 7-8 ; 101. 26-28 magis adhuc incertum est utrum sensu litterali an typico dicantur de Christo [1].

172. Tertio **rationes,** ob quas multi auctores pro filiatione naturali admittunt ibi non indicari nisi metaphoricam, **probantur carere fundamento.** Putant enim τό « *Hodie genui te* » intellegi ab ipso S. Paulo tum de resurrectione (*Act.* 13. 33) tum de unctione Christi in sacerdotem (*Hebr.* 5. 5). Jamvero, quoad *Act.* 13. 33, parallelismus hujus loci cum *Act.* 3. 22. 26 et 7. 37 probat vocem ἀναστήσας, quam intellegunt de « suscitatione a mortuis », intellegendam esse de « *suscitatione* » et adventu magni illius prophetae, cujus ad patres repromissio facta erat. In versiculo tantum sequenti (34), ubi nihil jam de filiatione, factum resurrectionis asseritur — Quoad *Hebr.* 5. 5. ex contextu sensus est, non quod « gignendo » eum Pater fecerit sacerdotem, sed quod is qui vocavit eum sacerdotem, — ut legitur *ps.* 109. 4 — est is etiam qui eum allocutus est ut filium.

De *ps.* 2 igitur ea est **conclusio** : Admissa, ut probabiliori, sententia quae tenet eum esse messianicum sensu litterali, probabilius etiam est insinuatam in eo esse filiationem Messiae proprie divinam.

Ex psalmo 44. 7-8.

173. Psalmum esse messianicum constat jam per *Hebr.* 1. 8-9, ubi

(1) Quae hic dicuntur noli intellegere quasi epistolae ad Hebraeos doctrina de divinitate Christi maneat incerta. Quid enim illius auctor sentiat ac doceat nulli dubium esse potest. Quaeri tantummodo potest num ex ejus argumentandi modo concludere liceat quisnam fuerit sensus primigenius ac litteralis textuum ab eo in probationem adductorum — De hac quaestione cf. Prat : *La théologie de S^t Paul* t. I^2 p. 21-28.

psalmi versiculi 7-8 applicantur Christo, quasi de ipso sit dictum : « *Thronus tuus, Deus, in saeculum saeculi : virga aequitatis, virga regni tui. Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem, propterea unxit te, Deus, Deus tuus oleo exultationis prae participibus tuis* ». Confirmatur auctoritate Patrum, qui unanimi ore psalmum de Christo interpretantur [1].

Epithalamium est, quo regis eximii nuptiae celebrantur et laudes magnificantur.

Jamvero non pauci putarunt — aut etiam adhuc putant — sub illo allegorico velamine spiritualem decantari conjunctionem Christi cum Ecclesia ex gentibus, ita ut psalmus audiendus sit, saltem per partes, de Christo sensu litterali. Moventur imprimis auctoritate epistolae ad *Hebr.*, ubi putant, in vers. 8-9, — proindeque et in psalmi versic. 7-8 —, Christum dici explicite, casu vocativo, « Deum » [2].

At aliquorum jamdiu — v. gr. Bossuet, Calmet — et plurium nunc opinio est nuptias decantari reales regis cujusdam eximii, forte Salomonis, qui Messiae sit tantummodo typus, ita ut magnifica quae de eo dicuntur verificentur sensu pleniori et eminentiori in ipso Christo. Negant enim in versic. 8 vocem « Deus » primo loco positam legendam esse casu vocativo ; putant autem in versic. 7 regem illum dici quidem « deum » (elohim), at sensu illo improprio quo alibi, v. gr. *ps.* 81. 1 et 6 ; 137. 1, etiam homines dicuntur « dii » (elohim, benê-Elohim) [3].

Quae cum ita sint, divinitas futuri Messiae vix probabiliter dici potest ibi insinuata.

Ex psalmo 109

174. De Christo agi in eo psalmo patet per ipsum Christum (*Mt.* 22. 41-45 et parall.) nec ullus psalmus, in Novo Testam., applicatur crebrius Christo : *Act.* 2. 34 ; 7. 56 ; 1 *Cor.* 15. 25 ; *Hebr.* 1. 13, etc. Nec fere minus patet agi de Christo sensu litterali, tum propter auctoritatem ipsius Christi eum psalmum sibi applicantis, tum propter verba ipsa : nullus enim homo, praeter Christum, concipi potuit esse David Dominus, imo a Domino invitari ut sederet a dextris suis.

Divinitas vero Messiae ibi **insinuatur** quatenus : a) Messias datur ut dominus David, cujus, ex traditione, psalmus esse admittitur ; — b) dicitur invitari ut sedeat a dextris ipsius Dei, quod nulli puro

(1) Cf. v. gr. Chrysost : *Expos. in ps.* 44. (PG 55. 184 sqq.) ; August : *Civit. Dei* XVII. 16 (PL 41. 548-550). — (2) Corluy : *Spicileg.* t. II, p. 174 sqq.

(3) Cf. Calès, apud RSR XIII (1923), p. 312-321. Versiculos 7-8 sic vertit : « *Thronus tuus, elohim, in saeculum et in aeternum... Propterea unxit te Elohim, Deus tuus, oleo laetitiae...* »

homini concedi potest ; — c) juxta textum versioni graecae subjacentem et in Vulgata (v. 3°) servatum, supponitur jamdiu, et quidem ab ipso Deo, genitus.

ARTICULUS IV.

DE EFFICIENTIA INCARNATIONIS

THESIS XI - Causa efficiens Incarnationis est tota Trinitas, appropriative autem Spiritus Sanctus ; nec tamen Christus dicendus est Filius totius Trinitatis aut Spiritus Sancti.

175. I. Causa efficiens Incarnationis est SS. Trinitas.

1° *De fide catholica,* ex conc. Lateranensi IV (D-B. 429 ; C. 766), praeeunte Toletano XI (D-B. 284 ; C. 732), quo datur ratio, jam a S. Augustino (*Enchir.* 28) prolata, « quia inseparabilia opera Trinitatis ».

2° *Scriptura* efficientiam Incarnationis tribuit, re vera, modo Patri : « *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum* » (*Gal.* 4. 4) ; modo Filio : « *Non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed semetipsum exinanivit* » (*Philipp.* 2. 7) ; modo Spiritui Sancto : « *Quod enim in ea natum est de Spiritu Sancto est* » (*Mt.* 1. 20) ; « *Spiritus Sanctus superveniet in te et virtus Altissimi obumbrabit tibi* » (*Luc.* 1. 35.

3° Ergo solus quidem Filius *assumpsit* humanitatem sed non solus humanitatis unionem effecit, « nam persona Patris univit naturam humanam Filio » (III, q. 2, a. 8, ad 2m).

Distincta proinde, in executione Incarnationis, effectione corporis, animae, utriusque conjunctione atque naturae inde resultantis conjunctione cum persona Filii, tota Trinitas haec omnia pariter effecit. At duae personae, haec efficiendo, *uniebant alii,* Filius autem *uniebat sibi,* ideoque solus *assumebat,* sicut et, considerata Incarnatione non in fieri sed in τῷ esse, solus assumptam habet naturam.

176. II. Haec efficientia attribuitur per appropriationem Spiritui Sancto (III. q. 32, a. 1). — Quid sit appropriatio et quo fundetur, cf. tract. de SS. Trinitate. (I, q. 39, a. 7-8).

1° *Factum ipsum appropriationis illius* constat tum ex Scriptura, locis supra citatis, tum ex traditione, qualis apparet in ipso Aposto-

lorum symbolo: « *Qui conceptus est de Spiritu Sancto* ». S. IGNATIUS, (ad *Ephesios*, 18) jam scribebat: « Deus noster Jesus Christus genitus est a Maria secundum dispositionem Dei ex semine David et de Spiritu Sancto » [1].

2° *Ratio facti* ducitur a S. Thoma (q. 32, a. 1) ex convenientia, quae sit inter nomem et munus Spiritus Sancti atque Incarnationis causam aut finem. Spiritus Sanctus enim dicitur esse « amor seu donum Patris et Filii » et munus habere proprium sanctificandi homines, uniendo eun Deo. Jamvero ex Dei amore provenit ut Filius Dei carnem sibi assumpserit, ita ut unio naturae humanae cum ejus persona sit ex sola gratia seu purum sit et maximum donum. Per eam praeterea natura humana, ex sua sola unione cum Verbo, facta est sanctissima: « Sicut enim alii per Spiritum Sanctum sanctificantur spiritualiter, ut sint filii adoptivi, ita Christus per Spiritum Sanctum est in sanctitate conceptus, ut esset Filius Dei naturalis ».

Attamen, ut notat S. Thomas, (*ibid.*, *ad* 1[m]) efficientia Incarnationis potest etiam aliis personis secundum aliquem modum attribui : Patri, ratione illius « auctoritatis », quam respectu personae Filii habere admittitur, et ex qua fit ut Filius veniens ac sibi naturam humanam assumens dicitur ad nos missus [2] ; Filio, ratione assumptionis, quia unionem effecit assumendo sibi naturam humanam.

177. III. Nec tamen Christus est filius Trinitatis.

1° Saltem theologice certum. Filiatio hujusmodi aperte reprobatur a S. Augustino (*Enchir.* 38-39) et a concilio Toletano XI : « Nec tamen Spiritus Sanctus pater esse credendus est Filii, pro eo quod Maria, eodem Sancto Spiritu obumbrante concepit : ne duos patres Filii videamur assere, quod utique nefas est dici » (D-B. 282 ; C. 731).

2° *Ratio datur,* tum a S. Augustino (*loc. cit.*) tum a S. Thoma (q. 32, a. 2 et 3), quia ad filiationem requiritur naturalis origo viventis a vivente in similitudinem naturae ; Christus autem non est a SS. Trinitate aut a Spiritu Sancto in similitudinem naturae. « Nec eodem modo dicitur Christus conceptus aut natus de Spiritu Sancto et de Maria Virgine ; nam de Maria Virgine materialiter, de Spiritu Sancto vero effective » (a. 2, ad 3[m]).

(1) N. B. tamen inter Patres non fuisse consensum de modo interpretandi verbum Angeli ad B. Virginem apud *Luc* 1. 35. Alii enim Spiritum Sanctum et Virtutem Altissimi intellexerunt de una eademque persona Verbi, alii vero putarunt duas ibi dici personas a Patre distinctas. Neutra interpretatio videtur esse vera ; probabilius est, si solus attendatur textus, non tam ibi enunciari personam ullam in specie quam virtutem et actionem Dei in genere (Cf. LEBRETON : *Les origines du dogme de la Trinité*, p. 252-254). — (2) Cf. I, q. 43, a. 1.

SECTIO SECUNDA

DE NATURA UNIONIS HYPOSTATICAE

Statuto facto unionis divinitatis et humanitatis in Christo, quaestio oritur de natura illius unionis. Illa vero determinari nequit nisi prius describatur qualis sit. Hinc duo capitula: 1° Qualis sit unio describitur. 2° Quid sit unio hypostatica determinatur.

CAPUT PRIMUM

QUALIS SIT UNIO HYPOSTATICA

Descriptio fiet assignando tum modum quo facta est tum proprietates ejus. Tres propterea articuli: 1° De modo unionis ex parte personae assumentis. 2° De modo unionis ex parte naturae assumptae. 3° De proprietatibus unionis.

ARTICULUS I

DE MODO UNIONIS EX PARTE PERSONAE ASSUMENTIS

178. Quoad personam assumentem, quaeritur utrum et quomodo potuerit ei in unione esse aliquid proprium aut aliquid cum tota Trinitate commune. Posita enim tum in divinis unitate naturae ac operationum ad extra, tum apud singulas Trinitatis personas identitate reali naturae et personae, unio personae secum fert aliquam naturae unionem, unio vero naturae secum etiam trahere videtur unionem singularum personarum, ita ut, natura Filii unita, eo ipso censendi sint Pater et Spiritus Sanctus humanae naturae conjuncti. Jamvero contra fidem est Patrem aut Spiritum Sanctum assumpsisse et ipsos naturam humanam. Unio igitur ex parte Filii debet esse hujusmodi

ut, non obstante communitate naturae et operationum ad extra, tamen dici possit illius solius. Is autem modus qualis sit determinatur thesi sequenti.

THESIS XII — Ideo solius Filii est natura humana in Christo quia unio facta est primario et propriissime secundum personam et consequenter tantum atque secundario secundum naturam divinam. Pater igitur et Spiritus Sanctus, etsi unionem operati sunt haud minus ac Filius, tamen non assumpserunt ipsi naturam sed illi inhabitant per circumincessionem aliquam.

Thesis habet duas partes praecipuas, quarum prior rationem dat cur possit Filius esse solus incarnatus, altera vero determinat partes quae in unione fuerunt aut sunt Patris et Spiritus Sancti.

Pars prior.

179. I. **Status quaestionis.** — 1° **Undenam oritur quaestio.** — A) Ex duplici dogmate quod — a) solius Filii sit natura humana in Christo : Hoc enim constat — α) assertionibus Christi, quibus se dicit Filium et se a Patre atque a Spiritu Sancto distinguit ; — β) symbolis baptismatis, quae de Filio tantum proferunt incarnationem ; — γ) explicita fidei professione, quam Innocentius III imposuit Waldensibus (D-B. 422 ; C. 765) et quam concilia Toletana, sextum (638) atque undecimum (675), ipsa ediderunt (D-B. 282 et 284 ; C. 724 et 731-732) [1] ; — **b)** natura divina in Christo sit etiam aliqua ratione unita naturae humanae. Docet enim S. Leo Magnus « naturam inviolabilem naturae esse unitam passibili » (D-B. 143 ; C. 680) ; S. Martinus I (c. Lateran. 649) damnat non confitentes Christum esse « ex duabus naturis unitis substantialiter, inconfuse et indivise » (D-B. 259 ; C. 729[6]).

B) Ex identitate reali, quam fides docet in divinis existere inter naturam et personas singulas : quod enuntiatur effato : « In divinis, omnia sunt idem ubi non obstat relationum oppositio ». Hoc enim

(1) Hoc dogma non invenitur negatum nisi apud eos qui negarunt realem trium personarum distinctionem, Patripassianos v. gr. saeculo secundo exeunte et forte Priscillianistas saeculo 5 et sqq... Contra eos probabiliter editae sunt professiones fidei toletanae, vel forte contra Arianos Gothorum, qui ex Verbi incarnati consubstantialitate cum Deo Patre voluissent deduci incarnationem etiam Patris.

Rationes convenientiae, propter quas Filius potius quam aliae personae incarnatus est, dat S. Thomas (q. 3, a. 8), quas, si placet, videas expositas apud Monsabré : *Conférences*, VIII (1876), p. 196 sqq.

posito, contradictorium esse videtur naturam divinam uniri cum humana quin omnes personae cum ea identicae uniantur et ipsae, quin proinde duo praefata dogmata ad invicem pugnent.

180. 2° **Undenam solvitur quaestio.** — A) Ex distinctione rationis cum fundamento in re [1], quam fides haud minus cogit admittere inter naturam et personam in divinis. Haec enim distinctio, etsi non explicat positive qui possit una persona uniri quin uniantur aliae, tamen explicat negative posse aliquid praedicari formaliter de natura quin praedicetur eodem modo formali de persona et vicissim. — B) Ex distinctione unionis, quae fiat ratione ejus quod unitur, proptereaque dicatur propriissime formalis atque primaria seu immediata, et unionis, quae non fiat nisi ratione connexionis cum unito ratione sui : quae dici potest unio consecutiva seu secundaria et mediata [2].

His enim positis, si constet solam personam in Christo uniri proprie ratione sui, jam non ejusdem rationis erit unio naturae nec proinde ejusdem rationis erunt ea quae ceteris personis non competent nisi ratione suae cum natura connexionis.

Jamvero, hoc praecise est quod thesis constare asserit.

181. II. **Probatur.** — 1° **Unio facta est primario seu propriissime formaliter secundum personam et non secundum naturam divinam.**

Sensus assertionis est id Verbi quod, distincta in illo per rationem natura et persona, carni unitum est ratione sui esse personam non naturam. Contradixere quidem veteres aliqui scholastici, quos videas apud Suarez (*disp.* XII, s. 2). At assertio communis est et « ita certa,

(1) Fundamentum hoc est realitas fide cognita trium personarum realiter inter se distinctarum in una eademque natura subsistentium. Distinctio autem illa, etsi non supponit in re compositionem naturae et personae quae conceptui nostro inest, tamen non oritur tantum ex impotentia nostra apprehendendi conceptu unico ens in se simplicissimum. Comparari quidem potest distinctioni, quae statuitur inter essentiam et attributa aut inter intellectum et voluntatem divinam ; at illam excedit. Nam ultimam hanc distinctionem vix factam ratio ipsa corrigit, dicendo, antecedenter ad operationem mentis, distinctionem in re non esse omnino ullam. Ubi vero agitur de personis, fides ipsa docet, antecedenter ad operationem mentis, eas esse inter se realiter distinctas, etsi singulae identificantur cum unica essentia divina. — Quod e mente ne excidat, si velis distinctionem naturae et personae atque affirmationes dogmaticas, quae eam implicant, non esse meras fictiones mentis. — Plura de his in tractatu *De Trinitate*.

(2) Mediat enim id quod unitur ratione sui seu *immediate*, et sua unione inducit unionem alterius. Mediatio tamen illa, ut patet, haud alius rationis est ac ipsa distinctio, qua distinguuntur unitum ratione sui et unitum ratione alterius.

ait Suarez, *loc. cit.*, ut contraria nullo modo probabilis existimanda sit ».

A) Concilia enim praedicta profitentur humanam naturam assumptam esse « in singularitate personae, non in unitate divinae naturae, in id quod est proprium Filii, non quod commune Trinitatis » (D-B 284 ; C. 724 et 732).

B) S. Thomas explicite tenet « esse terminum assumptionis non convenire naturae secundum seipsam, sed ratione personae in qua consideratur. Et ideo primo quidem et propriissime persona dicitur assumere ; secundario autem potest dici quod etiam natura assumpsit naturam ad sui personam... Assumere convenit ei ratione Verbi » (q. 3, a. 2 c et ad 2m).

C) Ratio idem deducit ex dogmate, quod solus Filius incarnatus est. Nam : a) Si unio esset primario et propriissime secundum naturam, cum natura sit apud tres personas realiter et formaliter identica, eodem jure eodemque titulo singulae dici deberent formaliter et propriissime unitae seu incarnatae. Jam enim non esset unde excluderetur eorum communis incarnatio, siquidem incarnari seu terminare naturam humanam est quid ad extra, quod de se deberet esse commune tribus nec potest esse alicui proprium nisi fiat formaliter secundum id quod sit ejus exclusive proprium : ratio enim terminandi, qua talis, non excludit alias personas ab eadem terminatione. Jamvero in divinis non est quidquam formaliter et exclusive proprium nisi quod est formaliter personale. Ergo incarnari non potest esse Filio proprium nisi fiat primario et propriissime secundum personalitatem[1]. — b) Praeterea, unio facta primario et propriissime secundum naturam, involveret in se contradictionem et contradiceret dogmati. Nam omnis unio formalis inducit aliquam unitatem. Unio igitur immediata naturarum induceret earum inter se aliquam unitatem. Jamvero hoc — α) contradicit dogmati de duarum naturarum plena distinctione et inconfusione, — β) repugnat intrinsece, nam repug-

(1) Quaeres cur, posita communione naturae, unio competens naturae ratione sui inductura sit unionem trium personarum, cum tamen, non obstante eadem communitate naturae, identitas illius naturae cum persona Filii non inducat identitatem Patris cum Filio. Respondeo : quia, ad intra, relationis oppositio impedit ne, propter communis naturae possessionem, Pater identificetur cum Filio; nam, etsi uterque est illa natura, tamen aliunde, scilicet ex relationis oppositione, manent inter se distincti. Ad extra vero, terminare naturam humanam non dicit de se quidquam relativi ad Patrem aut ad Sp. S., proindeque, si terminatio fieret immediate secundum naturam, nihil esset quo excluderetur altera persona ab eadem terminatione.

nat naturam divinam componere cum natura humana ad unum quid constituendum in ordine naturae.

182. C) DICES : Haud minus repugnat personam divinam componere cum natura humana. Et tamen...

RESPONDEO negando paritatem et negando personam divinam componere cum natura humana. Componere est esse partem formalem compositi, ita ut pars componens compleatur a comparte, in ordine ad constituendum compositum exinde resultans. Porro unio secundum personam non hoc secum fert pro persona. Per eam, persona non completur in ordine ad constituendum *compositum aliquod personale*, sed persona jam in se completa accipit tantummodo ad naturam humanam habitudinem, ex qua actiones naturae illius jam sint suae : quod quomodo fieri possit nos sane latet, at nullam de se infert contradictionem. Natura econtra nequit sine contradictione uniri hoc modo cum altera natura : secus enim actiones non suas haberet ut suas [1]. Manet igitur eam non posse uniri ratione sui cum alia natura nisi componendo cum ea in ordine ad constituendum unum quid naturale, quod diximus repugnare in se et contradicere dogmati.

183. D) Ceterum nulla datur ratio affirmandi unionem fieri primario et propriissime secundum naturam.

a) Non quia unio est aliquid ad extra et in quo nulla est relationis oppositio. — Nam : γ) communia sunt in divinis ideoque ad naturam qua talem pertinent ea quae dicunt efficientiam ad extra. Jamvero unio de qua agitur non dicit de se efficientiam sed terminationem personalem ; — δ) ea autem, etsi non dicit relationis oppositionem,

1) Nec obstat quod dicit S. Thomas (q. 3, a. 3), « naturam », etiam « abstracta per intellectum personalitate, posse assumere », — nam personalitas, a qua supponitur abstrahi, est personalitas constans relationibus, quam docet sola fides. Facta igitur hujusmodi abstractione, jam non remanet nisi natura qualem norunt philosophi et Judaei (ad 2^{m} et cf. *in* III, *dist.* 5, q. 2, *a.* 3). Haec autem cognoscitur adhuc ut subsistens seu ut veram seipsa personam constituens, eaque ratio est cur concipiatur qua talis assumere. At etiam tunc concipitur assumere formaliter, non ut natura simpliciter, sed ut natura personalitate gaudens. — Eodem modo dicimus et nos : Deus generat, Deus spirat, quin actio creandi, generandi aut spirandi attribuatur formaliter naturae qua tali ; tribuuntur econtra illae actiones uni, vel duabus aut tribus personis, pro quibus in confuso saltem, pro natura rei, supponit nomen Deus. « Quandoque [enim nomen hoc] supponit personam ; vel unam tantum, ut cum dicitur, *Deus generat ;* vel duas, ut cum dicitur : *Deus spirat ;* vel tres, ut cum dicitur : *Regi saeculorum immortali,..... soli Deo honor et gloria* » (I, q. 39, a. 4) — De his, plura in tractatu *De Deo trino*, contra eos qui velint esse in Deo subsistentiam absolutam vel unicam vel praeter tres subsistentias relativas.

qua est unio simpliciter, tamen eam dicit, quatenus est unio hujus et non alius personae. Personalia enim in divinis non distinguuntur nisi ratione relationum oppositionis.

b) Non quia idem sunt re persona et natura, proindeque de natura valeat quod valet de persona. — Nam, non obstante reali illa identitate, plura noscuntur esse vera de persona quae falsa sunt de natura. Ergo consequentia non stat.

184. 2° **Unio facta est secundario seu mediate secundum naturam, id est, unio competit naturae divinae, ratione suae identitatis realis cum persona, quae unitur ratione sui.** Etenim :

A) *Debet* uniri hoc modo, quia — a) secus, nullo modo uniretur, — b) hoc secum fert praedicta identitas.

B) *Potest* uniri hoc modo, nam unio hujusmodi non excluditur ex ullo capite : a) Non ex distinctione rationis qua distinguitur a persona, siquidem illa distinctio explicat quidem illam non uniri ratione sui seu immediate et primario, at nullo modo officit unioni, quae consequatur ad identitatem realem naturae cum persona formaliter unita. — b) Non ex unione mediata ceterarum personarum, quam induceret illa sua unio, siquidem hujusmodi unio non potest exinde induci. Illud enim et illud tantum unitur mediate, seu ratione alterius, quod identificatur cum altero *unito ratione sui :* sic natura ipsa ratione personae. Porro personae aliae, etsi identicae cum natura unita mediate, non identificantur eo ipso cum unito ratione sui, siquidem natura, quacum identificantur non est unita ratione sui, et ipsae realiter distinguuntur a persona, quae sola unitur ratione sui. Ergo ex sua cum natura identitate ceterae personae ne mediate quidem uniuntur.

185. DICES : Ex dictis repugnat unio immediata et formalis naturae divinae. Sed, in divinis, quod repugnat de natura immediate, id repugnat etiam de natura mediate : sic v. gr. natura divina haud magis dici potest genita in Filio, seu ratione Filii, quam in se seu ratione sui : Ergo, a pari, si non potest uniri formaliter et immediate, non potest etiam mediate seu consecutive.

RESPONDEO, negando paritatem, quia : — a) generari est *ad intra,* uniri vero seu assumere naturam est *ad extra ;* — b) esse ullo modo genitam repugnat naturae divinae qua tali, quia jam non esset absoluta et, in Filio, distingueretur numerice a natura Patris. Econtra uniri aliquo modo non ei repugnat, siquidem : — α) per fidem constat contrarium ; — β) ratio vero non probat repugnare nisi unionem, quae induceret formalem illius cum natura alia compositionem aut formalem illi attributionem operationum

alicujus alius naturae. Cum igitur unio mediata neutrum istorum inducat [1], jam non est cur unio hujusmodi dicatur illi repugnare.

Pars posterior.

186. I. Jam supra dictum est Patrem et Spiritum Sanctum haud minus ac Filium operatos esse unionem (*thes.* XI).

II. **Pater tamen et Spiritus Sanctus non assumpserunt naturam humanam,** seu nullo modo sunt ei uniti hypostatice nec ullo modo eorum sunt operationes humanae Christi. Ratio generalis est quia actiones sunt suppositorum quorum sunt naturae. Porro :

A) Fides negat P. aut Sp. S. esse suppositum humanitatis Christi.

B) Hoc non sequitur : — a) neque ex eorum communi efficientia Incarnationis, quia aliud est esse principium actionis uniendi et aliud esse illius actionis terminum : esse utrumque soli Filio competit. « Persona Patris univit naturam humanam Filio, non autem sibi, et ideo dicitur uniens, non assumens, quasi ad se sumens ; persona autem Filii, quae sibi humanam naturam univit, est uniens et assumens » ; — b) neque ex eorum identitate reali cum natura, quae in Verbo et ratione Verbi unitur. Nam : — α) natura quacum identificantur, etsi unitur secundario, tamen non fit propterea operationum Christi humanarum ullo modo principium ; — β) illa praeterea natura unitur secundario praecise qua identica est cum Verbo. Porro, qua identica cum Verbo, distinguitur a natura, qua identica cum Patre, siquidem Pater et Filius realiter distinguuntur ; ergo, qua identica cum Patre, nullo modo unitur [2].

(1) Non adesse compositionem formalem patet ex praedictis. Actiones autem humanae naturae non posse, ratione unionis mediatae, attribui naturae divinae exinde patet quod non sunt ejus neque ut principii *quo* neque ut principii *quod*.

(2) Rem aliquatenus figurare possis, si, distincto ratione, apud singulas personas, relativo singulis proprio et absoluto tribus communi, etsi apud singulas identico cum relativo, signes relativum Filii uniri naturae humanae. Statim apparet absolutum Filii, ratione identitatis, non posse non uniri aliquo modo ; at relativum Patris et Sp. S., ratione suae distinctionis realis, non posse ullo modo uniri.



187. III. Pater et Spiritus Sanctus naturae humanae Christi inhabitant per circumsessionem aliquam.

Inhabitant enim illi : 1° titulo omnibus rebus communi ; — 2° titulo speciali quo inhabitant justis ; — 3° titulo omnino proprio naturae assumptae, ratione scilicet actionis illius omnino specialis, qua illam uniunt personae Filii (*in* I, *dist.* 37, *q.* 1, *a.* 2 et cf. I, *q.* 8, *a.* 3); — 4° ratione praesertim suae cum natura Verbi incarnati identitatis. Hinc enim est ineffabilis illa circuminsessio, vi cujus tres personae sibi inexistunt et ad intra sui respective generant, spirant aut procedunt. Cum igitur Filius naturae assumptae ipse insideat, et Pater eum in illa generare non desinat nec ipse desinat una cum Patre esse principium a quo Spiritus Sanctus procedat et ad omnem creaturam mitti possit, circuminsessio potest admitti quaedam personarum illarum cum natura Christi humana.

Attamen ea non est cum trium in divinis circuminsessione nisi analoga : hic enim non datur, inter humanitatem Christi et personas, quae dicuntur illi insidere, identitas illa naturae, qua imprimis nititur trium in divinis mutua circuminsessio [1].

Corollarium

188. Ergo excluditur unionem terminari primario ac directe ad aliquid Filii ratione sui absolutum.

Ratio est quia quidquid in divinis est ratione sui absolutum, est tribus commune, nec proinde potest esse terminus primarius et directus unionis, quin eam eodem titulo terminent singulae personae cum eo identicae.

Nec juvat illud absolutum considerare aut dicere in aliqua persona modificatum seu relativo modo possessum, ut jam dici possit illius personae proprium ideoque, ratione sui, naturam unitam terminare. Nam, etiam in persona aliqua consideratum, omne absolutum manet commune tribus : sic, v. gr., natura, etsi in Filio, ratione filiationis, aliter est ac in Patre, tamen apud utrumque est identica, ita ut quid quid de Filio, ratione suae naturae, affirmatur, valeat ac debeat de Patre ac de Sp. S. eodem titulo praedicari ; item de omnipotentia et

(1) Filii cum sua natura humana conjunctio, etsi potest et ipsa dici circuminsessio, tamen specifice differt tum a proprie dicta trium inter se, tum ab improprie dicta Patris et Spiritus Sancti in ejus humanitate circuminsessione Cf. Franzelin : *De Deo trino*, p. 228-229 et 235.

de omnibus hujusmodi attributis, quae, etsi habentur a singulis modo proprio seu relativo, tamen omnino nequeunt ulli dici propria [1].

Corollarium propterea admittunt theologi communiter, etiam thomistae sive O. P, sive alii. Etiam ei qui admittunt quartam, ut aiunt, in divinis subsistentiam ac tenent naturam humanam in Christo existere existentia tantum increata, tamen fere omnes docent unionem terminari primario et formaliter, non ad illam existentiam sed ad relativam, quam admittunt, Filii subsistentiam [2].

189. Dissentiunt paucissimi, qui, cum negent dari in divinis subsistentias relativas, tenent unionem terminari directe ac primario ad unicam, quam admittunt, subsistentiam absolutam.

Non eodem tamen modo rem intellegunt, nam : — A) Durandus (*in* III, *dist.* 1, q. 2) vult unionem per se terminari primario ad illam subsistentiam simpliciter, nec nisi secundario ad proprietatem relativam Filii. — B) Alii vero [3], inter quos eminet Em. Billot [4], admittunt unionem terminari ad illam subsistentiam non simpliciter et praecise sumptam, sed ut modificatam proprietate relativa Filii, a qua habeat suam incommunicabilitatem.

At illa opinio, priori modo intellecta, inducit Filium uniri quidem speciali modo sed non solum, ideoque censetur a Capreolo periculosa, a Cajetano cavenda, a Medina haeretica, a Suarez omnino improbabilis [5]. Posteriori autem modo intellecta, — A) nititur falso praesupposito, quod non dentur in divinis tot relativae subsistentiae quot personae, sed una tantum subsistentia absoluta singulis personis speciali modo appropriata; hoc enim supponit subsistentiam de se praescindere ab incommunicabilitate seu non dicere de se incommunicabilitatem alteri tanquam supposito, quod est omnino contra

(1) Eatenus tantum possis dicere unionem terminari primario ad aliquid absolutum speciali, seu relativo, modo in Filio habitum, quatenus illud jam consideres ut identicum cum ipso relativo seu cum ipsa persona. At ea tunc sit mera tautologia, siquidem dicas : Ideo ad solam personam Filii terminatur unio quia terminatur primario et formaliter ad ejus personam seu ad relationem qua persona constituitur.

(2) Ita Suarez (*Disp.* 12, 2); Billuart (*Diss.* 6, *a.* 2); Gonet (*Disp.* 8, *a.* 1), qui addit ita sentire Cajetanum, Joannem a S. Thoma, et alios in genere thomistas O. P.

(3) Citantur a Gonet et aliis Marsilius, Victoria, Soto.

(4) *Thes.* 7ª, § 5, *obj.* 7ª et *thes.* 11ª, § 2.

(5) Ita refert Gonet, *loc. cit.* n. 12.

communem subsistentiae notionem [1] ; — B) inducit alias personas pariter terminare unionem, siquidem etiam dato eam subsistentiam absolutam appropriari Filio, non tamen fit ejus magis propria quam ipsa natura, nec proinde assignari potest ulla ratio cur solus Filius terminet unionem.

190. DICES cum Billot (*thes.* 11ª, § 2, *ad obj.* 1ªm) : Subsistentia absoluta (existentia), prout habita modo relativo filiationis, per, seu propter, oppositionem relativam ad duos alios relativos modos, est propria Filii.

RESPONDEO, distinguendo assertum : Relatio, vi cujus haec subsistentia habetur a Filio est ei propria, *concedo ;* quidquid habetur a Filio vi illius relationis est ei proprium et incommunicabile, *nego :* secus dicas naturam et omnia absoluta Filii esse illi propria et incommunicabilia haud minus ac illam subsistentiam ; habet enim et illa vi filiationis.

191. INSTABIS 1° : Attamen verum est esse proprium Filii ea habere hoc modo, et ea omnia ut habita hoc modo esse propria Filii, siquidem nulla alia persona ea habet hoc eodem modo.

RESPONDEO, concedendo omnino hoc esse verum, at negando exinde sequi ea, praecise quia hoc speciali modo habentur, fieri incommunicabilia ; et de facto notum est omnia illa essentialia, etsi singulari modo a singulis personis habita, esse singulis communia. — Ergo incommunicabilis est modus quo singulae personae habent absoluta ; at absoluta ipsa, non obstante hoc incommunicalibi modo quo habentur, manent communia.

Ex singulari modo quo habentur hoc tantum sequitur, nempe, quod singulis personis singulari modo competit quidquid in commune habent aut operantur : Filius. v. g., omnipotens est relativo modo, et creat relativo

(1) Ratio quidem datur, quod relatio qua talis, etiam in divinis, non dicat nisi *esse ad*, et subsistentiam proinde non dicat nisi propter *esse in*, quod est tribus commune. At aequivocatio in hoc est quod relatio divina, etsi non dicit formaliter et explicite nisi *esse ad*, tamen implicite dicit *esse in :* secus enim non esset relatio realis et substantialis. *Esse in* igitur, quod vere, etsi implicite tantum, dicit, dat ei ***substantialitatem*** seu perseitatem independentiae ab altero ut sustentante, at non dat ei propterea subsistentiam ; nam aliud est subsistentia et aliud substantialitas. Substantialitatem sane subsistentia praesupponit et implicat, at ipsius est dare formaliter, non perseitatem indepentiae ab altero ut sustentante, sed incommunicabilitatem alteri ut supposito. Cf. S. THOMAM pluries asserentem relationes non tantum « distinguere » sed etiam « constituere » hypostases (I, q. 40, a. 2 et 3), et quidem non hoc sensu quod communi essentiae distinctionem inferant, — « quasi aliquid commune dividatur », — sed hoc sensu « quod ipsa distinguentia constituant res distinctas », quod relatio « sit distinctiva et constitutiva hypostasis » (a. 2).

modo, id est, ut Filius (cf. I, q. 45, a. 6, ad 2[m]) ; at hoc non impedit quin, creante Filio, Pater etiam tam vere, etsi suo speciali modo, creet. Pariter, si Filius per subsistentiam absolutam terminaret naturam humanam, eam sane terminaret suo speciali modo, seu ut Filius, at Pater eamdem terminaret etiam suo speciali modo, seu ut Pater, quia specialis modus, quo una persona agit vel relationem habet ad extra, non impedit quin aliae eodem titulo agant et eamdem ad extra habeant relationem.

192. INSTABIS 2° : Attamen specialis modus, quo natura est in Filio et in Patre, ratio est cur in solo Patre sit principium quo generandi et solus Pater generet. Ergo modus specialis, quo aliquod absolutum ab aliqua persona habetur, ratio esse potest cur hoc sit ei proprium et incommunicabile.

RESPONDEO, distinguendo antecedens ; Specialis modus est ratio ultima seu mediata cur solus Pater generet, *concedo* ; est ratio immediata et formalis, *nego*. Nam ratio propria et formalis cur, generante Patre Filium, Filius etiam non generet, non est quod natura sit in Patre principium quo generandi et hoc non sit aut non possit esse in Filio : de se enim natura in Filio non est minus foecunda quam in Patre [1] ; sed ratio illa est in ipso actu generandi Filium, qui, ut talis, excludit Filium, generante Patre, generare et ipsum : repugnat enim in terminis eum qui generatur seipsum generare [2].

Ergo negatur etiam consequens et consequentia, nam paritas non est cum relatione ad naturam terminandam. Actus enim generandi incommunicabilis est, non ratione sui principii formalis, sed ratione sui ipsius. Econtra terminare naturam humanam non est ratione sui incommunicabile, siquidem non repugnat omnes simul personas eamdem terminare naturam q. 3, a. 6).

(1) *De potentia*, q. 9, a. 9, ad 3[m] ; *cont. Gentes*, IV. 13 et 26.

(2) Ratio ultima istius repugnantiae est quod Filius non concipitur esse nisi consequenter ad actum intelligendi, secundum quem fit illius generatio. Actus enim generandi, juxta nostrum concipiendi modum, connotat personalitatem Patris ut jam constitutam, — non possumus enim concipere actum, qui non sit alicujus jam constitutae personae, — personalitatem vero Filii ut constituendam. Jamvero, hoc posito, evidenter repugnat Filium concipi generare quia habet actum intelligendi cum Patre communem. Nam modus ipse, quo concipitur illum actum habere, eam de se inducit differentiam quod, consideratus in Patre actus ille non dicit formaliter generationem Filii jam factam, consideratus autem in Filio dicit eam jam factam proindeque excludit eam fieri : uno verbo, modus ipse quo Filius participat actum intelligendi excludit eum participare actum generandi.

Non ita de terminanda natura humana ; nam illa terminatio, quocumque modo fiat, supponit tres personas jam pariter constitutas et jam participantes quidquid est eis commune. Si igitur terminatio fieret per aliquod absolutum ab omnibus participatum, seipsa non excluderet ullam personam ab eadem terminanda natura.

Proinde, si de facto non commune est, ratio debet inveniri in principio suo formali, quod sit, ratione sui, incommunicabile. Porro, ex dictis, non est hujusmodi nisi subsistentia ratione sui relativa.

ARTICULUS II

DE MODO UNIONIS QUOAD NATURAM ASSUMPTAM

Quoad naturam assumptam, quaeritur — 1° de tempore unionis, utrum suae assumptioni natura praeexstiterit ; — 2° de intimitate unionis, utrum immediata et secundum hypostasim fuerit ad omnes et singulas naturae partes ; — 3° de perpetuitate unionis ; — 4° de simultaneitate unionis, utrum omnes simul partes an aliae prae aliis assumptae sint a Verbo. — Ad singula respondetur thesi sequenti.

THESIS XIII — Natura humana ita assumpta est ut omnino non praeexstiterit assumptioni, et singulae partes ejus fuerint omnes simul atque pro semper unitae Verbo secundum hypostasim, non ita tamen ut, in ipsa assumptione, excludatur ordo naturae, vi cujus aliae prae aliis assumptae dicantur.

193. I. **De tempore unionis.** Sensus assertionis est naturam humanam qua talem, seu complexum corporis et animae, ne ullo quidem temporis intervallo praeexstitisse unioni, sed tunc essendi habuisse exordium cum Verbo unita est.

Quod esse de *fide catholica* constat magisterio tum ordinario tum extraordinario : 1° Symbola fidei profitentur Verbum esse ex Virgine conceptum. Porro hoc nullum habeat sensum, si fingatur naturam illam fuisse prius ex muliere ductam quam Filio Dei unitam : Filii Dei enim conceptio non est ex Virgine nisi ratione suae unionis cum natura ex Virgine ducta (cf. q. 33, a. 3). — 2° Eodem sensu eademque ratione concilium Chalcedonense definivit « eum, qui est ante saecula ex Patre genitus secundum deitatem, esse in novissimis diebus ex Maria Dei genitrice secundum humanitatem » (D-B 148 ; C. 690). — 3° Patres propterea, ubi realitatem et integritatem naturae illius, contra haereticos eam negantes, tuentur, ne videantur exinde humanam simul inducere personam, quae ad unionem processerit, — qui fuerit Pauli Samosatensis, Photini et Nestorii error, — excludunt

sedulo omnem illius ante unionem existentiam, et explicite affirmant eam *esse coepisse simul ac assumebatur*.

A) S. Gregorius Nazianzenus, sicut « atheum » pronuntiat eum qui neget Christum esse ex Virgine formatum, ita « condemnatum » eum qui dicat « formatum hominem fuisse, Deumque postea subiisse » [1].

B) S. Augustinus asserit « filium hominis, qui assumptus est, non sic assumptum esse ut prius creatus post assumeretur, sed ut ipsa assumptione crearetur » [2].

C) S. Leo Magnus, contra Eutychetis assertionem de natura humana, quae fuerit ante unionem distincta, dicit « hoc catholicas mentes auresque non tolerare ; quia nihil secum Dominus de caelo veniens nostrae conditionis exhibuit ; nec animam enim, quae anterior exstitisset, nec carnem, quae non materni corporis esset, accepit. Natura quippe nostra non sic assumpta est ut prius creata post assumeretur, sed ut ipsa assumptione crearetur » [3].

D) Hinc regula fidei, quam ponit S. Fulgentius : « Firmissime tene, et nullatenus dubites carnem Christi non sine divinitate conceptam in utero Virginis, priusquam susciperetur a Verbo ; sed ipsum Verbum Deum suae carnis acceptione conceptum, ipsamque carnem Verbi incarnatione conceptam » [4].

194. E) Quam doctrinam ex professo et nitidissime exponit Sophronius Hierosolym. in illa sua ad Sergium Constantinopolit. synodica epistola, qua simul ac affirmat duas naturas, tamen summopere cavere curat ne Sergio, qui monophysitis indulget, videatur inducere personam humanam : « Incarnatur Verbum non praefactae (προπλασθείσῃ) carni copulatus, praeformatove et in sese praesubsistenti aliquando corpori contextus, vel animae praeexistenti conjunctus (προμορφωθέντι καὶ καθ' αὑτὸ προυποστάντι ποτὲ προσπλεκόμενος σώματι, ἢ προυποστάσῃ ψυχῇ συντιθέμενος), sed tunc his — [corpore et anima] — ad existentiam venientibus (παραγενομένοις πρὸς ὕπαρξιν) quando eis ipsum Verbum et Deus copulatus est physice » (συνετίθετο φυσικῶς).

(1) Διαπεπλάσθαι τὸν ἄνθρωπον, εἰθ'ὑποδεδυκέναι λέγοι θεόν (*Epist.* 101 PG 26. 177-180).

(2) *Cont. serm. Arian.* 8 (PL 42. 188). — Item in *Enchiridion*, 36 : Non antea fuit homo, sed « ex quo homo esse coepit, non aliud coepit esse homo quam Dei Filius » et *cp.* 40 : « Homo, nullis praecedentibus meritis, in ipso exordio naturae suae, quo esse coepit, Verbo Deo copulatus [est] in tantam personae unitatem, ut idem ipse esset Filius Dei qui filius hominis » (PL 40. 250 et 252).

(3) *Ad Jul. epist.* 35. 3 (PL 54. 807 C).

(4) *De fide*, cp. 18, reg. 15 (PL 65. 698-699).

[Illa enim] « habuere unionem contemporaneam existentiae (σύγχρονον ἔχοντα τῇ ὑπάρξει τὴν ἕνωσιν), nec ante suum verissimum ad Verbum conventum fuere apud semetipsa unquam (οὐ πρὸ τῆς πρὸς τὸν Λόγον ἀληθεστάτης συμβάσεως καθ'ἑαυτὰ γενόμενα πώποτε), vel cujuspiam secundum nos alterius hominis penitus exstitere, sed habuere existentiam (τὴν ὕπαρξιν) concurrentem (σύνδρομον) physico Verbi conventui, et eam (ταύτην, id est, τὴν ὕπαρξιν) ne ictu quidem oculi habuere prae illo priorem (ἐκείνης προτερεύουσαν), sicut Paulus Samosatensis perstrepit atque Nestorius. *Simul quippe caro, simul Dei Verbi caro* ; simul caro animata rationalis, simul Verbi Dei caro animata rationalis, nam in illo et non apud semetipsam habuit existentiam » (ἐν αὐτῷ γὰρ καὶ οὐ καθ'ἑαυτὴν ἔσχε τὴν ὕπαρξιν) [1].

195. Eodem sensu S. Joannes Damascenus priora complectens exponit Dei Filium, statim ac Virgo angelico sermoni assensa est, « sibi compegisse carnem,... non [ita] ut paulatim per additamenta figura corporis absolveretur, sed uno eodemque momento perficeretur ab ipso Dei Verbo, quod carni factum est hypostasis (χρηματίσας τῇ σαρκὶ ὑπόστασις). Non enim carni apud semetipsam praeexistenti (προυποστάτῃ καθ'ἑαυτὴν σαρκὶ) unitum est... sed in sanctae Virginis utero, ipse in sua hypostasi immorans, ex castis ipsius perpetuae Virginis sanguinibus, carnem anima rationali et intellegente praeditam substare fecit (ὑπεστήσατο) [quatenus] ipsum Dei Verbum factum est carni hypostasis (αὐτὸς ὁ Λόγος γενόμενος τῇ σαρκὶ ὑπόστασις). Quamobrem simul atque caro [fuit] simul quoque Dei Verbi caro [fuit]..., nam Deus... unitus est carni, quae ex sancta Virgine sumpta est et in illo esse sortita est » (ἐκ τῆς ἁγίας Παρθένου λαβεῖσῃ,... καὶ ἐν αὐτῷ τὸ εἶναι λαχούσῃ) [2].

196. II. **De amplitudine et intimitate unionis,** seu utrum omnes et singulae partes naturae assumptae sint et ipsae unitae Verbo secundum hypostasim, ita ut in illo sint tanquam in suo proprio et solo supposito: Hoc enim est *uniri secundum hypostasim*, ita fieri alicujus ut ex unione oriatur aut maneat una tantummodo hypostasis nec proinde unitorum sit nisi unum suppositum.

Jamvero : 1° quoad partes naturam assumptam constituentes aut integrantes, res est obvia ; quidquid enim ita est naturae assumptae ut anima informetur et, si suppositum ejus connaturale esset, in illo tantum subsisteret, id totum subsistit in Verbo, quod pro illo supposito est. — Hinc est cur Verbi proprie sit caro, corpus et partes

(1) PG 87³. 3161 B-C. — (2) *De fide orthod.* III. 2 (PG 94. 985-988).

omnes quae corpus constituunt aut integrant; cur etiam, ratione corporis sui, Verbum dici possit proprie adolevisse, passum et mortuum esse.

2° *Partes* autem *quae*, etsi ad corpus pertinent, tamen anima jam aut nondum informantur nec in supposito humano, si adesset, subsisterent, — sudor, v. gr., lacrimae, alimenta nondum formaliter assimilata, — illae omnes, etsi aliquo vero sensu sunt Verbi proindeque ad ejus hypostasim pertinent, tamen non possunt dici illi tanquam suo proprio supposito uniri. Dici possunt unitae in hypostasi etsi non secundum hypostasim (Cf. Suarez, *in* III, q. 2, a. 6, *comment*; et *disp.* 5ª, *s.* 7-8).

197. *De sanguine*, quia eum multi putant non esse proprie partem corporis nec anima informari, quaestio ponitur in specie utrum unitus sit et ipse Verbo secundum hypostasim.

At, quidquid sit de quaestione scientifica, tenendum est ut certum sanguinem, haud minus ac carnem, uniri Verbo immediate et secundum hypostasiam. Nam: A) Scriptura eodem modo de utroque loquitur: « *Quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit eisdem* » (*Hebr.* 2. 14). Verbum, sicut dixit: « Hoc est corpus meum », ita dixit: « Hic est sanguis meus ». — Imo sanguini ipsi, ut infiniti pretii, tribuitur redemptio nostra: « *Ecclesia, quam acquisivit sanguine suo* » (*Act.* 20-28). « *Non corruptibilibus auro vel argento redempti,.... sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi* » (1 *Petr.* 1. 18-19). — B) Ratio est quod Christus assumpsit secundum hypostasim integrum ho- minem, ac proinde omnes partes sine quibus corpus non est corpus humanum vivens. Jamvero hujusmodi esse sanguinem constat — a) sensu communi et experientia; — b) sanguinis existentia in corpore resurgentium; — c) affirmatione Tridentini sanguinem esse partem naturalem Christi naturaliter corpori copulatam (D-B. 876; C. 1114).

198. III. **De perpetuitate unionis.** Sensus assertionis est unionem fuisse perpetuam et manere indissolubilem, non tantum in vita mortali et post resurrectionem sed etiam in triduo mortis. Attamen, pro triduo mortis, gradus certitudinis non est idem, praesertim si distinctio fit animae, corporis et sanguinis separati. Hinc:

1° **Praecisione facta a triduo mortis,** *de fide* est unionem fuisse et manere indissolubilem. Ratio est quia: — A) Ex Scriptura constat eum, qui ex Virgine conceptus et natus est, esse eum: a) qui in carne praedicavit, passus, mortuus est, resurrexit, ascendit in caelum;

— b) cujus « *regni non erit finis* » (*Lc.* 1. 33); — c) de quo scriptum est: « *Jesus Christus heri et hodie : ipse et in saecula* » (*Hebr.* 13. 8).

B) Chalcedonense concilium definivit unionem factam esse « indivise » et « inseparabiliter » (D-B 148 ; C. 690) ; quod magis explicite conc. Toletanum XI profitetur : duas naturas « ita in se una Christi persona univit, ut nec divinitas ab humanitate, nec humanitas a divinitate possit aliquando sejungi » (D-B. 283 ; C. 732).

199. 2° **In ipso triduo mortis :** A) *Cum anima seorsim et corpore* unionem perstitisse certum est (Cf. q. 50, a. 2-5). Hoc enim infertur necessario ex eo quod Filius Dei incarnatus et mortuus creditur simul esse « sepultus » et « descendisse ad inferos » [1], siquidem haec non possunt de eo credi nisi ratione unionis hypostaticae perseverantis cum utraque hominis mortui parte essentiali.

Advertas enim usu loquendi excludi quod aliqua persona dicatur sepeliri quia humo mandatur membrum ejus aliquod amputatum, dum ipsa manet alicubi vivens. Filius igitur Dei, qui manet personaliter vivens, non posset dici sepultus si sepultum esset corpus ejus ab eo sejunctum.

200. DICES : Attamen, mortuo Petro, Petrus dicitur sepultus et esse in caelo ratione utriusque suae partis constitutivae, quin tamen Petri persona maneat saltem corpori conjuncta. Ergo idem posset valere de Christi persona.

RESPONDEO, negando paritatem. Disparitas autem in hoc est quod, mortuo Petro, persona Petri, qua talis, jam nullibi est nec proinde est periculum falsitatis, si, per meram loquendi figuram, sumatur pro eo pars ejus aliqua constitutiva : corpus ejus sensibiliter continuat Petrum nec proinde modus loquendi, cum nequeat intellegi nisi figuratus, fundit ullum sensum falsum.

Non ita vero de Christo, nam persona Christi, qua talis, manet vivens, cum sepelitur corpus ejus. Proinde, si sejuncta esset ab illo, haud magis dici posset, ratione illius, sepulta quam, ex usu loquendi, Petrus dicitur sepultus ratione pedis aut manus humo mandatae.

Ceterum ea est firma Patrum et theologorum doctrina, quam saeculo 6. S. Fulgentius annumerat eis quae sunt firmiter tenenda : « In sepulcro Deus

(1) N. B. Articulus ille non legitur in symboli forma Romana antiquiori et apparet primum in quarta, quae dicitur, formula sirmiensi anni 359 (HAHN : *Bibliothek der Symbole*, § 163). Attamen jam exponitur a Rufino (PL 21. 352-364.) ut pertineus ad formam romanam et praeformatur tum in verbo Christi ad latronem : « *Hodie mecum eris in paradiso* », tum in dictis S. Petri de Christo, qui « *praedicaverit spiritibus in carcere detentis* » (1 *Petr.* 3. 18-19 et 4. 6).

homo factus jacuit, et ab inferis idem Deus, homo factus, tertio die resurrexit ; sed in sepulcro secundum solam carnem idem Deus jacuit, et in infernum secundum solam animam descendit. Qua de inferis ad carnem tertia die revertente, idem Deus, secundum carnem quae in sepulcro jacuit, de sepulcro resurrexit »[1].

N. B. Corpus igitur Christi, cum servaverit idem suppositum, mansit numero idem potiori jure quam ullum ceterorum cadaver. — In illo triduo, Verbum mansit homo mortuus, id est, conjunctum hypostatice cum corpore et anima separatis (q. 50, a. 4).

201. B) Etiam *cum sanguine effuso in passione* probabilius permansit unio Verbi.

Acerrimam contentionem inter Dominicanos affirmantes et Franciscanos negantes Pius II (anno 1464) compressit, indicto utrique parti silentio (D-B 718 ; C. 787).

Sententiae affirmanti adhaerent theologi communius, intelligentes totum sanguinem moraliter, seclusis scilicet illis partibus quas resurgens non erat reassumpturus. (Cf. Suarez : *De Incarn.*, *disp.* 47, s. 3 ; Lugo : 14, 19). Ratio est generale assertum ex Damasceno (l. III, cp. 27) desumptum : « Quod Verbum semel assumpsit, nunquam dimisit »[2] (Cf. III, q. 53, a. 2).

N. B. Hoc tamen noli intelligere de particulis carnis aut sanguinis, quas, sive in vita sive in passione sua, secundum leges naturae dimisit in per-

(1) *De fide*, I. 11 (PL 65. 677 B) Eadem videas apud S. Augustinum (*In Joann. tract.* 47, n. 13 PL 35. 1740). Plura apud Petavium : *De Incarnatione*, XII, 19 : apud quem videas etiam quomodo paucissimi Patres, ex scopo interpretandi verbum Christi : *Deus meus, ut quid dereliquisti me ?*, contradixisse videantur. De S. Hilario, in specie, cf. Le Bachelet, art. Hilaire, in DTC, col. 2433-2434.

(2) Dices : Si unio permansit, dici potuit : Deus effusus est in terram, sicut dicitur : Sepultus est. — Respondeo : Consequenter ad sensum verborum inter homines usitatum, non potest fieri praedicatio prior, etsi potest posterior. Regula enim generalis est quod, in aliquo composito, partes non praedicantur de supposito : non dicitur Petrus est manus, est anima, est sanguis. Exceptio tamen fit de homine mortuo : juxta receptum usum, denominationes, quae soli animae separatae vel soli corpori conveniunt, tropice tribui solent ipsi homini : S. Petrus est in caelo, est Romae sepultus. Ostendendo cadaver Petri, dicat quis : Hic est Petrus. Sed usus loquendi non extendit illam exceptionem ad minores partes : amputato Xaverii brachio, nemo dicit : Hic est S. F. Xaverius. Item de Christo ; ideoque dici potest : Deus est sepultus, quin dici possit : Deus est effusus. (Cf. August. : *In Jo. tract.* 47, n° 12-13).

petuum vel reliquit instrumentis passionis aut sindoni aut aliis hujusmodi adhaerentes. Eas, si forte adhuc supersint, certum videtur non manere hypostatice conjunctas, proindeque esse posse reliquias prae omnibus venerabiles, imo colendas cultu latriae at relativo tantum et non absoluto.

202. IV. **De simultaneitate unionis** (q. 6, a. 1-5 et q. 33).

Posito singulas partes naturae constitutivas unitas esse secundum seipsas, quaeritur de ordine quo unitae sint, utrum omnes simul an aliae prae aliis.

1° **Tempore simul omnes assumptae sunt** [1] : quo excluditur : — 1° animam corpori praeexistentem assumptam esse prius quam corpori infunderetur ; — 2° corpus praeformatum esse in utero Virginis prius quam Verbo simul et animae conjungeretur ; — 3° compositum ex utroque praeexstitisse suae a Verbo assumptioni ; — 4° corpus a Verbo in utero Virginis assumptum esse ab initio conceptionis prius quam, secundum humanae generationis leges, ab anima tunc creata et assumpta informaretur.

A) *Quoad tria priora*, assertio est de *fide catholica* ex magisterio Ecclesiae ordinario, quale manifestatur tum in praemissis assertionibus Patrum nec corpus nec animam praeexstitisse conceptioni Verbi ex utero Virginis, tum in anathematibus anni 543 contra doctrinam Origeni tributam quod : — a) « anima Christi prius exstiterit atque unita fuerit Deo Verbo ante incarnationem et generationem ex Virgine » ; - b) « corpus vero prius formatum fuerit in utero Virginis ac postea illi unitum fuerit Verbum et anima quae praeexstiterit » [2]. — Et, re vera, si anima fuerit seorsim ac prius assumpta quam corpori unita, ipsa esset alius rationis ac originis ac nostra ; Dei autem Filius factus esset homo seu, qua Christus, exstitisset priusquam a Virgine conciperetur : quae omnia sunt contra fidem (q. 6, a. 3).

B) *Quoad quartum*, assertio non potest dici de fide, nam occasio

(1) Hoc audias, ut patet, de partibus naturae essentialibus, corpore scilicet et anima, non autem de integrantibus, quae paulatim tantummodo, naturae evolutione, corpori succreverunt. Eas igitur Verbum ab initio assumpsit quatenus ab initio fuit homo eas habiturus.

(2) Cf. D-B. 204-205. Anathematismi ii sunt, quos Justinianus suo edicto contra Origenem adjunxit et quibus subscripsit, simul ac omnes patriarchae, Vigilius Rom. Pont. (Cf. Diekamp : *Die origenistischen Streitigkeiten im sechsten Jahrhundert*, p. 47-50) Eam esse doctrinam Origenis, quoad animam saltem, constat per ejus Peri Archon, l. I, cp. 7, de praeexistentia animarum in genere, et l. II, cp. VI, n. 3, de unione Verbi cum anima futuri Christi (PG 11, 211 C).

non fuit Ecclesiae quidquam de hoc explicite determinandi [1]. Attamen etiam eo sensu *pertinet ad doctrinam catholicam*, siquidem, ut mox dicendum venit, doctrina est catholica Verbum unitum esse carni mediante anima ; hoc autem ipso excluditur carnem a Verbo assumptam esse necdum anima rationali animatam. Secus enim Dei Filius habuisset aliquando corpus non humanum et unitus esset naturae irrationali (q. 6, a. 4 et cf. q. 4, a. 1).

203. *Hinc sequitur conceptionem Christi non successive sed in instanti factam esse et corpus ejus a primo suae formationis instanti animatum esse anima rationali.*

Hoc scholastici, pro suis aristotelicis et aliorum placitis physiologicis, putabant non potuisse fieri nisi per miraculum. Putabant enim « in generatione aliorum hominum, corpus successive formari et disponi ad animam » rationalem, ita ut « prius esset vivum, postea animal, et postea homo » ; at explicabant, in generatione Christi, « propter infinitam virtutem agentis », defuisse illam foetus evolutionem et corpus ejus, in hoc ab aliis diversum, habuisse a primo suae formationis instanti eam suae dispositionis perfectionem, qua aptum esset ad animam rationalem suscipiendam (q. 33, a. 2, ad 2^{m} et 3^{m}).

At, posito, ut hodiernis placet, foetum humanum animari ab initio anima rationali, jam hujusmodi miraculo locus non est. Conceptionis Christi miraculum in hoc fuit tantum quod ovulum maternum, ex seipso evolutionis incapax, omnipotentia divina sua voluntate fecit ad evolutionem et ad vitam aptum. Simul enim ac illud aptabat, animam in illo creavit rationalem, ex qua compositum esset humanum, quod Verbo simul conjungeret hypostatice. Compositum igitur, sic in ipso conceptionis instanti unitum Verbo, potuit in utero B. Virginis eadem evolutione naturali perfici, qua, post nativitatem suam, profecit et adolevit [2].

204. 2° **Datur tamen in assumptione ordo, qui dicitur naturae,** nam : A) *Doctrina catholica est Verbum unitum esse carni mediante anima.* Hoc enim docent unanimiter Patres contra Apollinaristas et eos omnes qui somniaverunt Verbum esse corpori Christi pro anima.

S. Gregorius Nazianz. *Or.* 38, 12 et 45, 9 : « διὰ μέσης ψυχῆς νοερᾶς μεσιτευούσης θεότητι, καὶ σαρκὸς παχύτητι (PG 36. 325 C et 636 A). Item

(1) Etsi enim ea fuit explicita doctrina nestoriani magni doctoris Babaï (saec. 6-7 : cf. Grumel : *Un théologien nestorien, Babaï le Grand* apud *Echos d'Orient* XXVI (1923), p. 177-178), tamen quoad hoc non erat specifice nestorianus.

(2) Cf. Breitung : *De conceptione Christi Domini inquisitio physiologica theologica* apud *Gregorianum,* 1924, p. 391-424 et 531-569.

in *Or.* 29 (*theol.* 3), 19, hominem allocutus : « Crassitudinem tuam suscepit, per intermediam mentem carni conjunctus » [1].

S. AUGUSTINUS pariter explicat Deum potuisse carnem sumere quia « per spiritum animam et per animam corpus suscepit » [2]. Ipse « sibi animam rationalem et per eamdem etiam corpus humanum, totumque hominem coaptavit » [3].

Propterea professio fidei Constantini Pogonati, in concilio Constantinopolitano III (oecum. VI°) edita et summo pontifici transmissa, habet Filium Dei « carnem sibi mediante anima rationali et intellectuali compaginasse atque formasse » [4].

205. B) Jamvero, ex dictis, *anima non potest dici mediare sensu prioritatis* tempore ; *ergo intelligenda est mediare sensu prioritatis naturae.*

Et, re vera, illud dicitur assumi natura prius quod, data natura sua, ratio est cur aliud assumatur, aut saltem hunc locum in toto assumpto habet ut sit assumptibile prae alia parte nec ista alia pars assumi possit quin et per prius concipiatur assumptum et hoc ipsum. Porro animam hoc sensu assumi prius patet sub multiplici respectu : — a) *Sub respectu dignitatis et causalitatis*, nam anima prae corpori assumptibilis est, et corpori assumptio non congruit nisi ratione animae (q. 6, a. 1). — b) *Sub respectu intentionis*, nam Verbi, in susceptione naturae humanae, primaria intentio fuit uniendi animam, siquidem anima imprimis peccaverat ideoque primario sananda erat atque Deo iterum conjungenda [5].

(1) PG 36. 100 A. Cf. *epist.* 101 (ad Cledon. 1am) : « Ὁ νοῦς τῷ νοΐ μίγνυται, ὡς ἐγγυτέρῳ καὶ οἰκειοτέρῳ, καὶ διὰ τούτου σαρκὶ μεσιτεύοντος θεότητι καὶ παχύτητι » (PG 37. 186 A). — (2) *De agone christ.* 18, 20 (PL 40. 300).

(3) *Epist.* 137. 2 (PL 33. 519). — (4) *Mansi.* XI. 701 C. Cf. DAMASCENUM, *de fide,* III. 6 : « Ἥνωται σαρκὶ διὰ μέσου νοῦ ὁ Λόγος τοῦ θεοῦ μεσιτεύοντος θεοῦ καθαρότητι καὶ σαρκὸς παχύτητι (PG 94. 1005 B).

(5) Sub eodem respectu intentionis, singulae partes comparari possunt, non jam inter se, sed cum tota natura quam constituunt. Tunc autem, quia natura assumitur ratione sui et partes proinde tantummodo ratione naturae, partes dici debent unitae mediante natura. « Manifestum [enim] est quod secundum intentionem facientis prius est completum quam incompletum, et per consequens totum quam partes. Et ideo dicendum est quod Verbum Dei assumpsit partes humanae naturae mediante toto : sicut enim assumpsit corpus propter ordinem quem habet ad animam rationalem, ita assumpsit corpus et animam propter ordinem quem habent ad humanam naturam » (q. 6, a. 5 et cf. ad 1m : « Assumptio naturae est prior in via intentionis »).

206. *Sub respectu executionis* econtra non est cur alterutrum dicatur assumi natura prius quam alterum. Imo, nec, si comparentur partes cum tota natura, est cur partes dicantur unitae natura prius quam totum, siquidem unio totius non oritur ex singulari singularum partium assumptione sed ipsum assumitur qua totum. Simul igitur atque totum adest, totum adest assumptum [1].

Attamen, sub respectu executionis non deest omnino omnis ordo naturae, nam : — a) Transmutatio materiae, in ordine ad suscipiendam animam, ex qua corpus adsit humanum, natura prius est quam illius animae creatio atque cum illa materia conjunctio : « Per id quod est prius in natura assumitur id quod est posterius. Est autem prius in natura,... ex parte materiae,.. illud quod prius existit in transmutatione materiae » (a. 5 c). Hoc igitur sensu corpus natura prius est quam anima. « Prius enim intellegitur caro ut quoddam ens, quam ut animata, quod habet ab anima » (a. 4, ad 3[m]). — b) Etsi compositum humanum simul assumitur ac fit, seu corpus et anima simul et inter se et cum Verbo uniuntur, tamen natura prius est animae cum corpore quam compositi cum Verbo conjunctio. Ratio est quia caro « non est assumptibilis nisi per ordinem quem habet ad animam rationalem, secundum quam habet quod sit caro humana » (a. 1 c). Hoc autem caro non habet nisi quatenus est actu anima informata, proindeque « unione personali prius secundum intellectum oportet quod caro uniatur animae quam Verbo, quia ex unione ad animam habet quod sit unibilis Verbo in persona » (a. 4, ad 3[m]). Cf. *Quodlib.* IX, a. 2, ad 1[m] ; III, q. 4, a. 2 : « illud quod assumitur, oportet praeintellegi assumptioni, sicut illud quod movetur localiter praeintellegitur ipsi motui » — Cf. VASQUEZ : *disp.* 37, *cp.* 7, n. 46 ; *cp.* 8, n. 49-50 ; *disp.* 39, *cp.* 2-3.

(1) Contradicere videtur S. Thomas, ubi ait : « Verbum, assumendo partes humanae naturae, assumpsit totam naturam humanam. Et sic assumptio partium est prior in via operationis intellectu, non tempore » (a. 5, ad 1[m]). Sed, ut ait Lugo, S. Thomas non dat ibi « ullam aliam prioritatem nisi eam quam partes habent respectu totius, quae non est prioritas naturae sed rationis. Sic partes assumptae considerantur aliquo modo ut causa intrinseca compositi assumpti, quia compositum resultat intrinsece ex partibus ; ideo, sub hac consideratione habent quamdam prioritatem rationis impropriam respectu totius assumpti » (*disp.* 15. n. 3).

ARTICULUS III

PROPRIETATES QUAEDAM ILLIUS UNIONIS

THESIS XIV — Unio hypostatica est supernaturalis, substantialis, et maxima in ratione unionis atque doni.

207. I. **Supernaturalis.** — Unio hypostatica est quid creatum, relatio scilicet consequens ad assumptionem naturae humanae a Verbo, quae, *realis* in natura assumpta, *rationis* tantum est apud Verbum assumens (q. 2, a. 7). Illam esse supernaturalem origine ac fine patet siquidem effecta est modo absolute supernaturali et ordinatur ad statuendam inter unita unitatem qualis non datur ulla in ordine naturali.

Illam vero esse supernaturalem etiam in seipsa seu ratione sui, est *theologice* certum, nam: 1° Transcendit vires et exigentias totius naturae creatae et creabilis. 2° Secus, nihil esset stricte supernaturale, cum naturae, cui deberetur unio hypostatica, deberentur, ut videbimus, omnia supernaturalia. 3° Est magis supernaturalis quam quodlibet aliud ens, siquidem ordinem ad esse divinum habet qualem habet nullum aliud ens: illud enim ita cum natura facit esse unum ut unitas sic constituta quam maxima sit et neutiquam alibi detur.

208. Quo non obstante, dici potest ac dicitur Christo naturalis, quatenus a) physica est et non moralis: quo sensu Patres et concilia dicunt ἕνωσιν φυσικήν, cum S. Cyrillo (D-B. 115); b) eam Christus a nativitate habuit: ab initio enim conceptionis fuit natura humana unita divinae personae; c) provenit in naturam humanam, causante divina natura Christi (q. 2, a. 12).

Verbo autem qua tali unio potest quidem dici naturalis, in quantum non transcendit ejus potestatem et virtutem, siquidem divina natura est principium activum illius (*ibid* ad 3^{m}); melius tamen dicatur ei praeternaturalis.

209. II. **Substantialis,** quatenus unitas ex unione resultans est ordinis subtantialis et non mere accidentalis aut moralis. Hoc sensu, assertio est *de fide catholica* contra Nestorianos, et concil. Rom. anni 649 definit Christum esse « unum eumdemque ex duabus et in duabus naturis substantialiter unitis », « naturarum substantialem unitionem » esse in eo « proprie et secundum veritatem » (D-B 259 et 261 ; C. 729^{6} et ^{8}).

Ratio definitionis est quod uniuntur duo substantialia — persona scilicet et natura —, et unitas ex unione orta hujusmodi est ut, inter concreta utriusque substantiae, praedicatio fiat mutua : Deus est homo ; hic homo est Deus ; quod non fit, ubi unio non est nisi acci-

dentium vel mere accidentalis : sic, v. gr. non dicas : hic homo est albedo ; haec bonitas est homo ; Petrus (maritus) est Anna (conjux).

210. Objicit quidem Durandus (in 3, *dist.* 6, q. 4), quoad modum denominandi, eam unionem supervenire Verbo ab aeterno in suo esse constituto ideoque dicendam esse accidentalem.

At hujusmodi *locutio* sine addito est *erronea,* nam favet Nestorianismo, contradicit conciliis et Patribus atque est contra obvium verborum sensum. Nam ea unio dici debet substantialis, quae formaliter constituit unum substantiale ; accidentalis, quae constituit compositum accidentale. Jamvero, in casu, unum seu compositum ex unione ortum substantiale est : est enim persona Verbi subsistens in natura humana ; consequenter ad illam unionem, Deus non est mere humanus aut hic homo mere divinus, ut accidit in unionibus accidentalibus.

Unde jam S. Thomas, objectioni occurrens, aiebat : « Illud quod advenit post esse completum accidentaliter advenit, nisi trahatur in communionem illius esse completi ; sicut in resurrectione corpus adveniet animae praeexistenti, non tamen accidentaliter, quia ad idem esse assumetur, ut scilicet corpus habeat esse vitale per animam.... Verbum autem Dei ab aeterno esse completum habuit secundum hypostasim sive personam ; ex tempore autem advenit ei natura humana, non quasi assumpta ad unum esse, prout est naturae, sicut corpus assumitur ad esse animae, sed ad unum esse, prout est hypostasis vel personae. Et ideo natura humana non unitur accidentaliter Filio Dei » (q. 2, a. 6, ad 2^{m} ; et cf. in 3, *dist.* 6, q. 3, a. 2, ad 2^{m}).

Exinde igitur dicere tantum possis, cum eodem S. Thoma, « quod humana natura in Christo habet *aliquam similitudinem* cum accidente, et praecipue cum habitu quantum ad tria : 1^{o} Quia advenit personae divinae post esse completum, sicut habitus et omnia alia accidentia. — 2^{o} Quia est in se substantia, et advenit alteri, sicut vestis homini. — 3^{o} Quia melioratur ex unione ad Verbum et non mutat Verbum, sicut vestis formatur secundum formam vestientis et non mutat vestientem » (in 3, *dist.* 6, q. 3, a. 2, ad 1^{m} ; cf. III, q. 2, a. 6, ad 1^{m}) [1].

211. III. **Maxima in ratione unionis,** id est, unio quam maxima est. (q. 2, a. 9). Ita sentiunt communiter theologi contra Duran-

(1) Eodem fere sensu dicere solebant antiqui doctores « quod humana natura degeneravit in accidens ». (Cf. apud Matth. ab Aquasparta : *Quaestiones de Incarnatione,* q. 8, ad 11^{m}, ed. Quaracchi, p. 155). « Et hoc, si intelligatur sane, est dictum subtiliter et catholice », ait S. Bonaventura (in 3, *dist.* 6, a. 1, q. 3) — Bene etiam dicere possis unionem esse, non Christo quidem, at Verbo accidentalem ***logice,*** quia ipsi in tempore adventitiam.

dum et paucos, quibus unio v. gr. materiae et formae videtur esse major, cum ex ea habeatur quid unum natura simul et persona.

Sed isti in hoc decipiuntur quod unionem considerant quanta sit *extensive*, non autem *intensive* : quia unio v. gr. animae et corporis extenditur ad plura, putant illam esse majorem unione hypostatica, quae non extenditur nisi ad personam. Porro manifestum est unionem esse dimetiendam ex ipsa natura et firmitate nexus, quo unita conjunguntur, ita ut ea reputanda sit major quae magis ab invicem distantia conjungit strictiori nexu .

Jamvero sub hoc respectu patet unionem hypostaticam esse quam maximam, siquidem — A) ea quae conjungit sunt ab invicem quam maxime distantia, — B) nexus vero quo uniuntur est simplicissimus simul et strictissimus.

A) *Unita* tantum *distant* ab invicem quantum persona divina a natura finita, et utrumque est in suo esse completum, persona scilicet in suo esse personae et natura in suo esse naturae. Non ita sane in unione corporis et animae.

B) *Nexus* est : a) *simplicissimus*, siquidem vinculum quo conjunguntur, scilicet persona Verbi, est in se adeo perfecte unum ut ne in unione quidem habeat rationem partis sed totum et unum sit ratione sui et independenter a natura unita. In unione vero animae et corporis, unita habent rationem formalem ideoque imperfectionem partis, et vinculum, quo et in quo uniuntur, est compositum quod totum et unum non est nisi dependenter a partium conjunctione ; — b) *strictissimus* tamen, siquidem unitas resultans est ipsa unitas personae divinae, et adeo stricta est ut natura humana atque omnia quae ad eam pertinent tam vere sint Verbi quam natura ejus divina : v. gr. tam vere dormit, sitit ac moritur quam, una cum Patre, creat, vivificat, etc. Indissolubilis propterea est hujusmodi unio. Non ita sane unio corporis et animae ; nam, non obstante unione, ea quae pertinent ad corpus non sunt vere ipsius animae : non anima sitit, dormit aut moritur.

212. IV. **Maxima in ratione doni**, id est, uniri personae divinae est pro natura humana maximum Dei donum.

1° *Donum gratuitum*, quia illud factum est, nullis praecedentibus meritis, ex gratuita Dei voluntate. Jure igitur, etsi non est de se ulla similitudo naturae divinae ideoque distinguitur a gratia habituali, vocatur a S. Thoma « gratia unionis » (q. 2, a. 10 ; q. 6, a. 6).

2° *Donum maximum*, seu, ut ait S. Augustinus « tanta gratia ut nulla sit major, nulla prorsus aequalis » (*In Jo. tr.* 82. 4). Imo, cum S. Thoma (q. 7, a. 11), dici potest gratia infinita, quatenus — a) infi-

nita est persona quacum uniri donatur humanae naturae; — b) illius autem personae participatur non similitudo tantum, sicut per gratiam aut visionem beatificam, sed ipsum esse: quae elevatio in Deum transcendit omnem elevationem, quae sit tantummodo per operationem aut per assimilationem accidentalem, nam « majus est... ipsa res quam similitudo ejus participata » (q. 2, a. 10, ad 1[m]).

3° *Majus* igitur *donum est quam ipsa visio beatifica,* nam — a) alia est unio ontologica et substantialis, alia vero mere intentionalis et accidentalis; — b) unio hypostatica exigit, sensu quem videbimus, visionem beatificam, quae econtra ab ea omnino praescindit.

213. Scholion: **Utrum persona Christi dici possit composita.** Quaestio oritur ex eo quod unio dicatur tanta ut personae Christi tam vere et proprie sit natura humana quam divina. Jamvero:

1° **Quoad rem,** inter catholicos, non potest esse disceptatio.

A) Cum persona Christi sit ipsa Filii Dei persona, quae cum ipsa divina natura identificetur, et ex incarnatione, quin ullam patiatur mutationem, acquirat meram ad naturam humanam rationis relationem, patet eam, si in seipsa consideretur, esse et manere simplicissimam nec ullo sensu posse dici compositam (III, q. 2, a. 4).

B) Patet etiam Christum, seu Filium Dei natura humana indutum, esse totum aliquod, in quo plura realiter distincta distinguere et aliquam proinde compositionem agnoscere sit. At totum illud, compositioque proinde illa, est omnino singularis, siquidem componentia non sunt ad invicem formaliter partes nec compositum ipsum est totum, cujus subsistentia oriatur formaliter ex unione partium: nec enim persona divina est pars naturae humanae aut ordinata ad componendum cum ea, nec natura humana dici potest pars complens personam divinam in qua subsistit, sed persona est se ipsa totum, quod subsistit per se et independenter a sua cum natura humana conjunctione atque ex unione acquirit meram habitudinem ad novam naturam (in 3, *dist.* 6, q. 2, a. 3, ad 4[m]).

214. His autem extra quaestionem positis:

2° **Quoad modum loquendi:** A) *Antiquis et Graecis* solemne fuit dicere non tantum « Christum compositum » (σύνθετον), sed etiam personam seu hypostasim ejus « compositam » (μίαν αὐτοῦ σύνθετον ὑπόστασιν). Hac enim affirmatione ipsa sibi videbantur excludere conjunctorum in Christo tum nestorianam discretionem (διαίρεσιν) aut sectionem (τομήν) tum eutychianam confusionem (σύγχυσιν). Sic:

S. Cyrillus compositione, qua corpus et anima uniuntur quin mutatio-

nem in seipsis patiantur, explicabat Verbum uniri carni ita ut in Christo una esset natura Verbi Dei incarnata (*epist.* 46, *ad Succensum* 2, 2 PG 77. 241 A ; quod unus sit Christus PG 75. 1292 A-B).

Concilium Constantinopolitanum II (oecum. V[m]), *can.* 4, explicat idem esse uniri καθ'ὑπόστασιν et κατὰ σύνθεσιν ; unionem vero κατὰ σύνθεσιν dictam excludere unitorum tum σύγχυσιν, tum διαίρεσιν, ex qua unio non esset nisi σχετική. Definit propterea unionem agnoscendam esse κατὰ σύνθεσιν et ideo « unicam esse Christi hypostasim (καὶ διὰ τοῦτο μίαν αὐτοῦ τὴν ὑπόστασιν), quod antiqua et vulgata versio latina vertit « unam ejus subsistentiam *compositam* » (D-B. 216 ; C. 708) [1].

S. Sophronius Hierosolym., in sua synodica, Nestorio crimini vertit refugere dicere, quod catholici intrepide fatentur, μίαν αὐτοῦ σύνθετον ὑπόστασιν (PG 87. 3164 C-D). Sic enim vitant tum τὴν Εὐτυχιανὴν τροπήν, tum τὴν [Νεστορίου] σχετικὴν ἕνωσιν (3165 A). Christum igitur praedicant καὶ δυφυᾶ καὶ διπλοῦν κατὰ τὰς φύσεις (3165 C) et dicunt πρόσωπον σύνθετον ἐξ ἀσυγχύτου συστὰν ἀνακράσεως (3168 A).

S. Joannes Damascenus aperte docet Christi, quia sunt duae naturae, unam esse hypostasim ex utraque compositam : μίαν τὴν ὑπόστασιν ἐξ ἀμφοτέρων σύνθετον... ; τὴν ἐκ τῶν φύσεων συντεθεῖσαν ὑπόστασιν (*De fide orth.* III. 3 ; 4 ; 2 PG 996 B ; 997 B ; 1000 C), ita ut hypostasis Verbi, quae prius erat simplex et incomposita (ἁπλῆ καὶ ἀσύνθετος), eo ipso quod carni facta est hypostasis, facta sit composita (ὥστε... σύνθετον γενέσθαι τὴν πρότερον ἁπλῆν οὖσαν τοῦ Λόγου ὑπόστασιν : *ibid.* 7 1008 C et 1009 A).

215. B) *Scholastici* econtra, pro sua cura dialecticae et formularum, quae essent sensu proprio verae, modum hujusmodi loquendi vitandum potius habuere : ex tribus opinionibus, quas Lombardus (3, *dist.* 6) recenset, prima et tertia excludunt Christum dici ullo modo compositum ; secunda, quae sola vera est, debet, ex suis assertis, admittere personam Christi esse post incarnationem aliquo modo compositam. Attamen, fatentibus S. Bonaventura (in 3, *dist.* 6, a. 1, q. 2) et S. Thoma (*ibid.*, q. 2, a. 3), quia verbum compositionis est

(1) « Subsistentia » hoc loco intellegitur sensu antiquo et concreto « personae ». Vox « compositam » additur ad mentem *Confessionis* (Ὁμολογίας) Justiniani, ex qua desumpti sunt anathematismi concilii, et in qua saepissime occurrebat formula Χριστὸς σύνθετος (Mansi. IX. 541 A-B ; 544 D ; 545 A-B ; 549 C et E ; 552 B et D-E) et bis saltem formula μίαν αὐτοῦ τὴν ὑπόστασιν σύνθετον (*ibid.* 553 E ; 560 C). Ideo forte concilium abstinuit a voce σύνθετον apponenda voci ὑπόστασιν, quia Monophysitae quaerebant : Cur, sicut et ὑπόστασις, non possit ἡ φύσις dici et ipsa σύνθετος (*Ibid.* 553 E ; 555 A-B ; 556 B).

« calumniabile », « non est in usu modernorum hanc opinionem tenentium, quod dicant personam compositam ».

Attamen duo illi eximii doctores non diffitentur sententiam hoc vocabulo utentem habere sanum intellectum, ideoque, distinctione facta personae secundum quod est in se et secundum quod dicit subsistere in aliqua natura, uterque admittit eam sub hoc respectu dici posse compositam : « Persona Christi, quae ante incarnationem subsistebat in una tantum natura, jam eadem et immutata subsistit in duabus naturis. Unde, licet sit ibi unum subsistens, est tamen ibi alia et alia ratio subsistendi ; et sic dicitur persona composita, in quantum unum duobus subsistit » (III, q. 2, a. 4 ; S. Bonavent. *loc. cit*).

Quibus adhaerens, et modo attendas compositionem hic adesse omnino singularem, bene et absque ulla aequivocatione dicas : Christus est persona composita. (Cf. Hurter : *Compendium*, t. II, n° 531).

CAPUT SECUNDUM

QUID SIT UNIO HYPOSTATICA

216. 1° **Mysterium proprie dictum.** — Unio hypostatica est mysterium proprie dictum, quod conceptu analogico apprehendimus tum ex verbis quibus in fontibus revelationis enuntiatur, tum ex effectibus et proprietatibus quibus fidei nostrae manifestatum est. Natura igitur illius intima mentem adeo excedit ut *positive* explicari nequeat nec apud Ecclesiae Patres aut Doctores inveniatur exposita nisi ope analogiarum, quibus illius sane notio propria ingeratur atque contra adversarios *negative* vindicetur, at quid non sit potius quam quid sit appareat.

Non est unio metaphorica, improprie dicta, externa, secundum affectus tantum aut energias atque relationes accidentales.

Est unio proprie dicta, realis, intrinseca, ordinis physici ac substantialis, vi cujus quidquid est naturae humanae tam vere sit personae Verbi incarnatae quam personae humanae esse solet quidquid est naturae alicujus humanae.

217. 2° **Comparationes quibus illustratur.** — A) *In genere*. Manet tamen unio adeo singularis, ut similitudinum, quarum ope notio illius ingeritur mentibus, nulla sit adaequata et omnes ex ali-

qua parte deprehendantur claudicare. De singulis tamen aliquid apte retineri solet.

Aliae enim, etsi sunt accidentales, tamen suggerunt quam intima esse possit duorum realiter distinctorum unio atque mutua fere compenetratio : sic ferrum candens, carbo ignitus, rubus ardens, cristallus radio solari perlucidus ; sic etiam melius homo medicinae simul et jurisprudentiae peritus.

Aliae, quia substantiales, viam propius aperiunt notioni mysterii propriae percipiendae : sic insitio surculi fructiferi arbori jam in seipsa subsistenti imaginem dat naturae alienae, quae fiat suppositi in seipso jam constituti. Hoc exemplum placet S. Thomae (*in* 3, *dist.* 1, *q.* 1, *a.* 1c).

218. B) *Comparatio aptissima* — At ille, sicut omnes ab initio doctores, delectatur quam maxime exemplo unionis animae cum corpore. Ibi enim duorum, quorum unum ab altero omnino dependet alterum vero existere potest sejunctum, datur unio physica et substantialis, qua, non obstante unitorum reali distinctione, unica oritur persona. Hinc propterea duci solet argumentum suadens aliquo modo possibilitatem unionis hypostatice : « Nam, ait symbolum *Quicumque*, *sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus* ».

Attamen, quamvis apta sit illa comparatio, claudicat tamen et ipsa ex multiplici capite.

Corpus enim et anima ad invicem natura sua ordinantur, se mutuo excipiunt et complent tanquam formalissimae unius compositae naturae partes, ita ut vera et propria sit corporis ab anima informatio, quae omnino non datur ex parte Verbi quoad naturam humanam. Propterea corpus non est principium ullius actionis etiam corporeae nisi qua et quia informatum ab anima, ita ut principium quo agendi non sit ullum in homine adaequate distinctum ab anima, dum econtra in Christo persona omnino non integrat aut complet principium quo operationum humanarum.

Duorum unitorum praeterea suppositum quidem est unum at ex utroque constitutum, ita ut neutrum in seipso aut in altero subsistat ; ideoque excludatur ab homine ea communicatio idiomatum quae datur in Christo. Non dici potest : Anima est corpus, vel : hoc corpus est homo, dum econtra recte dicitur : Deus est homo ; hic homo est Deus.

Quapropter, de illo exemplo S. Thomas retinet tantummodo quod humana natura unitur Verbo per modum instrumenti proprii, quod, etsi distinguitur ab agente, tamen in agente tantummodo subsistit.

« Relinquitur ut attendatur similitudo secundum quod anima unitur corpori ut instrumento ; ad quod etiam dicta antiquorum Doctorum concordant,

qui humanam naturam in Christo organum quoddam divinitatis posuerunt, sicut et ponitur corpus organum animae. Aliter enim est animae organum corpus et ejus partes, et aliter exteriora instrumenta : haec enim dolabra non est proprium instrumentum, sicut haec manus ; per dolabram enim multi possunt operari, sed haec manus ad propriam operationem hujus animae deputatur ; propter quod manus est organum unitum et proprium, dolabra autem instrumentum extrinsecum et commune. Sic igitur et in unione Dei et hominis considerari potest... Alii homines comparantur ad Deum quasi instrumenta extrinseca et separata... Sed humana natura in Christo assumpta est ut instrumentaliter operetur ea quae sunt operationes solius Dei, sicut est mundare peccata, illuminare mentes per gratiam et introducere in perfectionem vitae aeternae. Comparatur igitur humana natura Christi ad Deum sicut instrumentum proprium et conjunctum, ut manus ad animam » (C. G. IV. 41 ; cf. III, q. 2, a. 6, ad 4[m]).

219. 3. **Quaestiones theologicae ex ipsa notione mysterii ortae.** — Mysterium, quamvis ineffabile sit atque mentem excedat, menti tamen quaestiones ingerit, quas praeterire nequeat, qui, quae credit, velit pro posse intellegere. Duae imprimis, quia ad ipsam mysterii essentiam quam proxime pertinent, considerationem theologorum detinere solent : una de ratione cur natura humana possit in Christo esse realis et integra nec tamen, contra quod alias accidit, esse persona seu connaturali sua personalitate carere ; altera de ipso unionis entitate, cujus generis entis sit.

Hinc duo articuli : 1° Cur natura humana in Christo non sit persona. — 2° Quid in se sit unio, qua Verbum et humana natura conjunguntur.

ARTICULUS I

CUR NATURA HUMANA IN CHRISTO NON SIT PERSONA

Cum natura assumpta a Verbo non universalis sit aut abstracta sed particularis et concreta, distincta a natura cujuslibet alius hominis, ideoque hoc sensu individua, verificare omnino videtur definitionem personae inde a Boetio in scholis tritam : Naturae rationalis individua substantia. Cum tamen fides doceat illam in Christo non esse personam humanam, quaerendum omnino est unde hoc sit, seu quid naturae illi desit, quod si adesset, persona humana esset.

220. 1° **Controversia apud scholasticos.** — Quaestionem scho-

lastici primaevi vehementer agitarunt, ubi, post Abaelardum, disputarunt utrum Christus, secundum quod homo, esset *aliquis* aut *aliquid* an *nihil*.

Triplex hac de re ferebatur **opinio,** quam videas apud Lombardum, (III, *dist.* 6) expositam et apud S. Thomam (*in h. l.,* et III, q. 2, a. 6) atque *Sententiarum* commentatores omnes judicatam.

Prima tenebat illum esse aliquem hominem. Hoc enim sibi legere videbatur apud Patres latinos, qui toties « hominem Christi », hominem in Christo, hominem assumptum loquuntur. (*Supra,* n. 96-98) Consequenter, haud negabat ex unione animae et carnis per se oriri personam humanam ; at, in casu, negabat esse aut fuisse unquam exinde personam humanam, propterea quod ille homo assumptus esset a Verbo ad participanda sua in genere attributa et in specie suam divinam personam [1].

Secunda negabat illum esse aliquem hominem, sed admittebat illum esse hominem, Filium scilicet Dei in humana natura subsistentem. Tenebat igitur ex unione animae et carnis non haberi formaliter nisi naturam quae, prout in se vel in alio subsistentiam haberet, persona esset vel non esset. In casu, natura illa subsistentiam non habebat nisi in persona Verbi [2].

Tertia negabat illum, si velimus proprie et recte loqui, posse dici hominem aut substantiam aut imo aliquid simpliciter : hoc enim, aiebant, esset dicere personam humanam. Negabant propterea factam esse in Incarnatione unionem formalem animae et corporis et docebant Verbum ea sejunctim induisse tantum per modum vestimenti, in quo manifestaretur et « habitu inveniretur ut homo » [3].

(1) Ita Hugo a S. Victore (*De sacram.*, II, p. I, cp. 9 ; 11 ; 12 PL 176. 394 B-C ; 401 D ; 403 A ; 411 A et C ; 412 C ; et cf. *De sapientia animae Christi, ibid.* 851 C ; 855 B-C). — Item magister ejusdem scholae Achardus (*fragm. cit.* apud PL 199. 1054 C-D et 1055 B-D) et Joannes Cornubiensis in suo *Eulogium ad Alexandrum III* (PL 199. 1043-1086) atque in sua forte *Apologia pro Verbo Incarnato* (PL 177. 295-316 ; item Gerochus a Reichersberg, in suis *epistolis* 17-23 (PL 193. 564-603) ; in sua *epist. ad Eberhardum bamberg. episc.* ; in suo *Libro de gloria et honore filii hominis,* cp. 2 (PL 194. 1065-1083) et in suis *commentariis psalmorum* 8, 2 ; 13, 1 ; 133 (PL 193. 743 ; 815 et 194. 896).

(2) Eam sententiam Lombardus ita proponit (*dist.* 6, cp. 3) et exponit (*dist.* 7, cp. 1, n. 47-55) ut fateatur vix quidquam contra eam valere « auctoritates » pro 3ª sententia inductas.

(3) Ita, quoad rem, Abaelardi discipulus, auctor *Epit. theol. christ.* 24 C (PL 178. 1733-1734) ; item explicite Rolandus postea Alexander papa III — (Gietl : *Die Sentenzen Rolands,* p. 176-177) ; Lombardus, quatenus ei sententiae potius favet (*loc. cit.* et *dist.* 10, cp. 1). Item Petrus Pictaviensis : *Sent.* l. IV, cp. 10 (PL 211. 170 sqq.) atque Gandulphus Bononiensis : *Sent.* l. III, § 13 ; 17 ; 19 (Ed. De Walter, p. 285. 288 et cf. p. XCI-XCII).

221. 2° **Controversia recentior** — Obsoleta quidem est controversia, qualis saeculo 12° et 13° movebatur. Urgentibus enim fautoribus 1ae sententiae, damnatus est ab Alexandro III modus loquendi 3ae (D-B 393 ; C. 763-764) [1] ; et, cum 1ª, haud minus ac 3ª, nestorianismum logice induceret, praevaluit omnino 2ª, quae sola tueretur dogma catholicum de unica in Christo persona [2].

Non propterea tamen soluta est quaestio proposita. Nam theologi, etsi 2dae tenent omnes sententiam, tamen de ratione formali personalitatis controversiam habent, quae vertitur fere tota circa naturam humanam Christi. Illi enim manifestum est deesse id quo formaliter determinaretur ad esse personam ; imo nulla alia in creatis noscitur cui illud desit. Menti igitur nostrae ratio dari nequit absentiae personalitatis humanae in Christo nisi id in quo sit definiatur.

A) *Opiniones hodiernae :* — De hoc porro sententiae sunt multae, quae ad duas reduci possunt.

Aliae enim tenent naturam rationalem concretam constitui personam, non aliqua realitate sibi superaddita, sed seipsa, quatenus in se existit seu est totum ab omni alio toto quoad esse independens : consequenter, humana Christi natura censetur ideo non esse persona quia, cum assumpta sit a Verbo ita ut in illo et ejus sit ad modum partis, ipsa jam non est totum quoad esse independens.

Aliae vero volunt naturam constitui personam positiva certa realitate, quam habeat sibi superadditam ; defectus autem in Christo certae illius realitatis censetur esse ratio cur deficiat in illo persona humana.

Priores in genere sunt antiquorum et fundamentum habent potius theologicum ; posteriores inductae sunt ea praesertim aetate, ubi apud scholasticos pro formalitatibus multiplicatae sunt entitates, et nituntur praejudiciis potius philosophicis.

B) *Modus procedendi* — Nos autem, cum quaestio oriatur tota ex factis dogmaticis, quae concilia et Patres tam sedulo statuenda ac determinanda habuerunt, controversiam putamus esse ordinis proprie theologici proptereaque dirimendam argumentis imprimis theologicis.

Duplici igitur gressu accedemus ad solutionem quaestionis. — 1° Sententia statuetur quae videatur vera. — 2° Aliae sententiae exponentur et judicabuntur.

(1) Brevis historia illius controversiae apud *Portalié*, art. *Adoptianisme*, in DTC, I, col. 413-418 et apud de Ghellinck : *Le mouvement théol. du 12e siècle*, p. 150-157).

(2) Cf. S. Bonavent., *in* 3, *dist.* 5, a. 2, q. 2 ; *dist.* 6, a. 1, q. 1 cum S. Thoma, *in* 3, *dist.* 6 ; III, q. 2, a. 6 ; q. 4, a. 2.

§ I

STATUITUR VERA, QUAE VIDEATUR, SENTENTIA

THESIS XV — Quod humana natura in Christo non sit persona hinc, cum S. Thoma et antiqua Ecclesiae traditione, repetendum videtur, quod, « quamvis sit substantia particularis » nec careat ullo positivo quod haberet si non assumeretur, tamen « venit in unionem cujusdam completi » substantialem, ideoque impeditur esse ipsa totum nec jam « per se separatim sed in alio perfectori, scilicet in suo toto, existit » (q. 2, a. 2 et 3 ; a. 5, ad 1[m] ; cf. in 3, *dist.* 6, q. 1, a. 2, ad 5[m]).

222. PRAENOTANDA. — 1° **Sensus theseos** est naturam humanam Christi ideo praecise carere sua connaturali personalitate quia non est sibi seu non est totum quoad esse independens atque in se clausum, sed adjungitur ad modum partis alteri principaliori, cujus sit quidquid ipsa est et ab ea est. Quod, saeculo 13°, sic exponebat doctor « venerandus et eloquentissimus », GODEFRIDUS DE FONTIBUS († circa 1306), qui in Universitate Parisiensi strenue stetit pro thesibus S. Thomae [1].

« Quia illud quod unitur alicui in unitate suppositi habet naturam aliquo modo *partis* et alteri innitentis, ...ideo dicitur quod Filius Dei assumpsit humanitatem vel humanam naturam, non hominem ; et non dicitur hoc propter diversitatem realem, quam suppositum importet respectu naturae, sed quia ad hoc quod aliquid habeat rationem suppositi... oportet quod res illa intellegatur *ut in se et per se existat*. Hoc autem requirit quod *non apprehendatur sub ratione partis,* sive materialis sive formalis, sive *ut aliquid alterius vel alteri innitens*... Et ideo, licet natura humana in Christo sit quaedam substantia singularis, de se nata subsistere et in se existere, quia tamen *habet esse ut quid alterius, sive ut alteri innitens*... ideo... non potest per se significari nomine suppositi humani.... Sed hoc non est quia aliquem modum realem haberet non assumpta, quem non habet assumpta, sed quia illa *suam entitatem habet* ut *alii unitam,* sive *cum alio* EXISTENTEM, et non secundum seipsam. Quod enim ipsa secundum se et per se existat vel quod cum alio, utrumque convenit ei formaliter ex seipsa absque aliquo sibi addito ; effective autem convenit ei ab agente ipsam [vel] secundum se et in se absolute, vel cum alio sive alii conjunctam producente » [2].

(1) Cf. DE WULF : *Etude sur la vie, les œuvres et l'influence de Godefroid de Fontaines* (1904), pp. 45 ; 67-68 ; 84-86.

(2) *Quodlibetum* 7[m], q. 5, ed. De Wulf et Hoffmans, apud *Les Philosophes belges,* t. III, p. 311-312. — Cf. *Quodlib.* 8, q. 1 (*ibid.* IV[1], p. 1-16).

Notio tamen personae, juxta illam sententiam, non praesupponitur sed inducitur. Et jure quidem, nam notio personae efformata est imprimis ex considerata Christi natura humana: seclusis enim mysteriis Trinitatis et Incarnationis, vix suspicatus fuerit quis personam non esse de ratione naturae rationalis concretae.

223. 2° **Auctoritates.** — Thesis propterea «auctoritates» invocat imprimis theologicas. Postposita scilicet «auctoritate, quae fundatur super ratione humana, quippe qui sit argumentandi locus infirmissimus» et in doctrine sacra «quasi extraneus», arguitur «quasi ex propriis» (I, q. 1, a. 8, ad 2[m]) ex auctoritate doctorum Ecclesiae, qui, ad tuenda contra haereticos Trinitatis et Incarnationis mysteria, notionem personae ejusque a natura distinctionem habuere quam sollicitissime astruendam atque perpoliendam.

Sententia ceterum est etiam, ut videbitur, maximorum «scholae» doctorum, ideoque, saeculo 17°, propugnari potuit a TIPHANO tanquam «scholastica doctrina sanctorum Patrum doctorisque angelici». Si quibus tunc novitatem sapuit, ratio fuit tantummodo quia doctores scholastici, formalitatibus suis intenti, mentem jamdiu averterant nimis ab inspiciendis fontibus proprie theologicis. Inter recentiores econtra theologos, iis imprimis placuit qui quam maxime conati sunt assequi mentem antiquorum Ecclesiae Patrum et doctorum [1].

I. Cum antiqua Ecclesiae traditione.

224. Argumentum generale. — Patres et doctores Ecclesiae, quoties personam discernendam habuere utrum adesset an non, non attenderunt quidquam positivi, quod esset praeter naturam ipsam, sed tantummodo utrum quid seorsim sibi seu apud semetipsum, per modum totius distincti, an apud alium seu cum et sub alio, per modum partis, existeret.

(1) Sic v. gr.: TIPHANUS: *Declaratio ac defensio scholasticae doctrinae sanctorum Patrum doctorisque angelici de hypostasi et persona.* (1634); PETAVIUS: *Theolog. dogmata, de Incarnat.*, III. 12, 1-2; 14; 16, 4; *de Trinitate*, IV. 8; THOMASSINUS: *Dogm. theol., de Incarn.*, III. 16-21; FRANZELIN: *De Verbo incarn., thes.* 27-31; SCHEEBEN. *Kathol. Dogmatik*, Band V, § 226, n. 474; de RÉGNON: *Études sur la S[te] Trinité*, t. I, p. 267-297; HURTER: *Compendium*, t. II, n. 508-519. — Consentiunt, inter alios: MOLINA: I, q. 29, a. 1, disp. 2; STENTRUP: *De Verbo incarn., thes.* 31 sqq; PESCH: n. 86 sqq.; LAHOUSSE: *Ontologia*, n. 537-568; MUNCUNILL: *De Verbi divini incarn.*, n. 151-165; DALMAU *De ratione suppositi et personae secundum S. Thomam.* (Barcelone, Casals, 1923).

I. **Patres et doctores graeci,** cum contra haereses e diametro saepe oppositas incubuerint notionibus naturae et hypostaseos discriminandis, praecipuam hac in re habent auctoritatem. Eis porro omnibus hypostaseos, sensu personae, ea fuit semper nota characteristica quod daretur in rerum natura aliquid in se clausum seu seorsim apud semetipsum existens.

225. 1° **Quoad Trinitatem :** ORIGENES, ad significandum Verbo Dei competere personalitatem, dicit eum « habere circumscriptionem propriam » (ἰδίαν περιγραφήν), et hoc quia « apud semetipsum vivit » (οἷον τυγχάνοντα ζῆν καθ' ἑαυτόν). Addit autem Verbum in hoc assimilari potentiis divinis sibi inferioribus, quarum singulae circumscriptionem pariter habent (ὧν ἑκάστη κατὰ περιγραφήν), et differre a verbo nostro, quod circumscriptionem non habet (οὐκ ἔστι κατὰ περιγραφὴν ἐκτὸς ἡμῶν) [1]. Circumscriptionem igitur habet ut veram et propriam personalitatis notam.

EUSEBIUS Beryllum Bostrensem, qui Filium volebat ante Incarnationem caruisse personalitate propria, dicit in hoc errasse quod « Salvatorem et Dominum nostrum asserere ausus est non praesubstitisse secundum propriam essentiae circumscriptionem » (μὴ προυφεστάναι κατ' ἰδίαν οὐσίας περιγραφήν) (H E. VI. 33 PG 20. 593 A).

S. BASILIUS, multis in locis ubi suscipit explicandam formulam μία οὐσία, τρεῖς ὑποστάσεις, totus est in inculcando οὐσίαν, apud Deum, in hoc differre ab hypostasibus quod dicat simpliciter essentiam communem, cum hypostasis econtra dicat id quod est proprium, in se ipso perfectum et clausum, ita ut sit ἰδικῶς et καθ' ἑαυτό. Ea enim est, ait, notio vulgaris rerum subsistentium, « *habere existentiam propriam* et in se conclusam seu absolutam : « Ἰδιάζουσαν καὶ αὐτοτελῆ τὴν ὕπαρξιν ἔχει » (*Epist.* 210. 4 PC 32. 733 B-C).

Hypostases propterea definit per proprietates ita ut qui velit hypostasim apprehendere debeat « intueri notas proprias *alterum ab altero separantes* » τὰ ἰδιάζοντα... δι' ὧν χωρίζεται τοῦ ἑτέρου τὸ ἕτερον (*Epist.* 38. 2 *Ibid.* 328 A). Distinctio igitur naturae et hypostaseos reducitur ad eam quae est inter commune et proprium, proindeque notio hypostaseos in hoc est quod « commune et incircumscriptum in aliqua re restringit et *circumscribit* per

(1) *Comment. in Joan.* I. 42 (PG. 14. 104 A ; ed. Preuschen, p. 51 [15-25]) Cf. CLEMENS ALEXANDR. : *Excerpta ex Theodoto*, 10, ubi Unigenitus pariter dicitur gaudere « essentia propria absolute distincta » (οὐσίᾳ ἰδίᾳ κεχρημένος ἀκρως εἰλικρινεῖ) haud minus ac primae creaturae, quarum singulae definiuntur et circumscribuntur (ἀριθμῷ διάφοροι καὶ ὁ καθ' ἕκαστον περιόρισται καὶ περιγέγραπται) (PG. 9. 660 C ; Stählin, p. 109 [24-27]). — Cf. HARNACK. *Dogmengesch.* I[4], 721, n. 2).

conspicuas proprietates ». (*Epist.* 38. 3. *Ibid.* 328 B). Hinc est cur tria nomina Patris et F. et Sp. Sancti « exhibeant nobis notiones *circumscriptas* et absolutas : περιωσισμένας καὶ ἀπηρτισμένας ». (*Epist.* 210. 4. *Ibid.* 773 C). Distinctio enim trium manifestatur in « *absoluta et in se clausa* uniuscujusque hypostasi : ἐν τῇ ἀπηρτισμένῃ καὶ ὁλοτελεῖ ἑκάστου... ὑποστάσει» . (*Epist.* 214. 4. *Ibid.* 789 B).

S. GREGORIUS Nazianzenus pariter unicam in Deo naturam opponit tribus « hypostasibus » tanquam « tribus proprietatibus, quae in se sint : καθ'ἑαυτὰς ὑφεστώσαις ». (*Or.* 33. 16 PG 36. 236 A).

226. 2° **Quoad Incarnationem.** Contra varias haereses, natura humana, quamvis integra, exinde explicatur non esse persona, quia non sibi seu seorsim apud semetipsam existit. Sic :

Contra Arianos, S. EPIPHANIUS explicat vocem Christi morientis, etsi ab humanitate et non a divinitate oritur, tamen esse ipsius personae Verbi, quia « prolata est, non *existente sejunctim divinitate et seorsim humanitate,* tanquam *alio et alio,* sed cum humanitas, a qua profluxit, *non esset apud se seorsim* »[1].

Contra Apollinaristas, S. ATHANASIUS ex eadem ratione vindicat naturam humanam completam posse adorari in Christo quin adoretur mera creatura seu unus homo : « Non hujusmodi corpus seorsum a Verbo dividentes (καθ'ἑαυτὸ διαιρουντες ἀπὸ τοῦ Λόγου) adoramus »[2].

Contra Nestorium, S. CYRILLUS oritur ex eodem principio. Sicut homines dicit ab invicem distinctos quatenus sunt seorsim (ἀνὰ μέρος), seu « *in sua quoad existentiam proprietate* » (ἐν τῇ καθ'ὕπαρξιν ἰδιότητι), et Filium Dei tenet a Patre personaliter distinctum quatenus « ab illo distare et quasi separari videtur *alteritate quae est secundum existentiam propriam* » (τῇ κατ'ἰδίαν ὕπαρξιν ἑτερότητι διεστὰναί τε καὶ διωρίσθαι δοκῶν : *In Joan.* XI. 11 et 12 PG 74. 561 A et D) — ita *naturam humanam censet haberi ut personam eo ipso quod habeatur ut sibi et seorsim existens aut agens.* Propterea enim :

a) Duas ὑποστάσεις, quas admittit in Christo unitas, excludit dividi : εἴ τις διαιρεῖ (*anath.* 3° ; cf. conc. Cp[lani] II[i] *can.* 7 D-B 219 ; C. 711).

b) Voces evangelicas de Christo excludit attribui « alias velut homini seorsum a Verbo in se considerato, (παρὰ τὸν ἐκ Θεοῦ Λόγον ἰδικῶς νοου-

(1) Ἀπὸ προσώπου τῆς αὐτοῦ ἐνανθρωπήσεως ἀνθρωποπαθῶς προβάλλεται τὸ ῥῆμα· ἡ γὰρ αὐτοῦ ἐνανθρώπησις οὐ κατ'ἰδίαν τις οὖσα. Οὐ γὰρ ἀποκεχωρισμένης τῆς θεότητος, καὶ χωρὶς οὔσης τῆς ἐνανθρωπήσεως ἔλεγεν, ὡς ἄλλου καὶ ἄλλου (*Haer.* 69, 62 PG 42. 305 C).

(2) *Ad Adelphium epist.* 3 (PG 26. 1076 A et cf. 5. 1077 D ; 8. 1081 B-C).

μένῳ), alias soli Verbo » (*anath.* 4°), seu, ut ipse explicat « alias seorsim (καταμόνας) Filio qui est Verbum Patris, alias homini seorsim (καταμόνας) iterum considerato » (*Epist.* 40 PG 77. 193 B). — Orientalibus econtra, in *symbolo unionis*, ideo consensit quia, etsi distinguunt voces, tamen non contendunt eas competere « alias, ut Filio seorsim (καταμόνας) Verbo, alias, ut alii iterum filio, ei qui est ex muliere » (*Ibid.* 196 A).

c) Suspicatur personam induci humanam eo solo quod Christus dicatur passus « natura humanitatis », quia timet ne hujusmodi formula natura humana sejungatur a Verbo et extra seorsim ponatur (ἔξω ἰδικῶς : *epist.* 46. 4 *Ibid.* 245 B-C), ita ut passio transferatur εἰς ἄνθρωπον ἰδικῶς, nec jam ut Salvator agnoscatur Verbum in sanguine sed potius homo ἰδικῶς, qui καθ' ἑαυτόν habeatur Filius (*Ibid.* 3 et 244 B-C). Rationem vero hujus sui timoris dat quod ea, quae aliter ac sola consideratione mentis distinguuntur, « *segregentur ab invicem alteritate quae faciat ea omnino seorsim* » : Ταῦτα πάντως καὶ εἰς ἑτερότητα τὴν ἀνὰ μέρος ὁλοτρόπως καὶ ἰδικῶς ἀποφοιτήσειεν ἀλλήλων. (*Ibid.* 4 et 245 A).

d) Denunciat duas induci personas eo ipso quod nomen « Christus » dicatur convenire tum Verbo « existenti et considerato seorsim » (ἰδικῶς τε καὶ κατὰ μόνας... ὄντι τε καὶ νοουμένῳ) tum « ei qui genitus est ex Virgine considerato pariter ut seorsim existenti » (κἂν εἰ νοοῖτο ὑπάρχων κατὰ μόνας ἔτι καὶ καθ' ἑαυτὸν) (*De recta fide, ad reginas*, I. 12 PG 76.1220 B).

e) Nestorium explicat duas inducere personas eo ipso quod « duas naturas ab invicem divellat, Deum ponendo seorsim (ἰδίᾳ) et hominem similiter seorsim » (ἀνὰ μέρος) ; quod « in duos filios dividat eum qui est unus, et alterum quidem seorsim (ἰδικῶς) dicat esse Filium Verbum..., alterum iterum seorsim (πάλιν ἀνὰ μέρος τε καὶ ἰδικῶς) filium eum qui est ex Virgine ». (*Epist.* 40 PG 77.189 C-D ; et cf. pariter *epist.* 45, *ibid.* 229 B-C).

227. *Contra Monophysitas*, ex eodem principio, etsi inversa via, proceditur. Cum doctrina Chalcedonensis sapiat eis nestorianismum et duae distinctae naturae duas eis videantur inducere personas[1],

(1) Ex eodem scilicet principio, quod φύσις et ὑπόστασις seorsim sumpta evadat πρόσωπον. Divisione imo adeo tenent induci rationem personae, ut duas naturas, si modo intellectu distinguantur, velint esse personas. Ita explicite SEVERUS Antiochenus, ubi, in *Libro contra Grammaticum*, quaerit « quomodo dicentes δύο φύσεις » dicere possint se « μὴ λέγειν δύο ὑποστάσεις καὶ πρόσωπα ». Nam, ait, « καὶ ἐν τῇ ἐπινοίᾳ διαιρουμέναις ταῖς φύσεσιν, ἤγουν ὑποστάσεσιν, — [duas voces habet synonymas] — συνεπινοεῖται τὰ πρόσωπα· θάτερον γὰρ θατέρου διαιρούμενον, εὐθὺς ἴδιον ἐπιγράφεται πρόσωπον » (Apud EUSTATHII monachi *epistolam de duabus naturis* : PG 86[1]. 908 A) — Plura apud LEBON : *op. cit.* p. 270-274 et n. b. Cyrillum hoc non admisisse de distinctione quae sitin tellectu tantum : cf. supra n. 107.

doctores orthodoxi, ad abjiciendas hujusmodi suspiciones, non docent quidquam in Christo detractum esse de eis quae ceteris hominibus insunt, sed simpliciter exponunt humanitatem ejus non esse aut fuisse unquam sejunctam seu seorsim et non in Verbo existentem. Ita imprimis Leontius ille Byzantinus, qui, *contra Nestorianos* simul et Eutychianos, tuetur doctrinam Chalcedonensem, petendo « naturae » et « hypostaseos » differentiam ex eo quod « natura dicat simpliciter τὸ εἶναι, hypostasis vero insuper τὸ καθ' ἑαυτὸν εἶναι » (PG 86[1]. 1280 A).

Concilium Cp[lanum] II (oecum. V) eodem sensu et mediam pariter viam inter utrosque tenens, « aequaliter rejicit eos qui per partes dividunt aut scindunt (τοὺς ἀνὰ μέρος διαιροῦντας, ἤτοι τέμνοντας) et eos qui confundunt (συγχέοντας) mysterium Christi » (D-B. 220 ; C. 712). Dualitatem in specie personarum excludit damnando formulam « in duabus naturis » accipi sensu divisionis per partes (ἐπὶ διαιρέσει ἀνὰ μέρος) vel naturas in Christo numerari quasi sejunctas seorsim et in sua singulas hypostasi (ὡς κεχωρισμένας καὶ ἰδιοὑποστάτους). (D-B. 219 ; C. 711).

S. Sophronius Hierosolymitanus, in sua *Epistola synodica*, ne suspicionem Nestorianismi incurrat apud Sergium, quem novit monothelismo seu fucato monophysismo favere, sedulo praecavet omnem speciem dualitatis personarum. Ad hoc autem, non suggerit illam naturam ullo modo mutatam aut diminutam esse seu ullo positivo caruisse, sed simpliciter affirmat illam non fuisse unquam sibi seu apud seipsam. Ad consistentiam (σύστασιν) quidem et ad existentiam (ὕπαρξιν) corpus et anima deducta sunt, at ad consistentiam et existentiam, quae fuerit unioni ita σύνδρομος et σύγχρονος (*supra*, n. 194) ut non fuerint omnino unquam apud seipsa (καθ' ἑαυτὰ γενόμενα πώποτε) nec existentiam ullo instanti in seipsis habuerint (ἐν αὐτῷ γὰρ καὶ οὐ καθ' ἑαυτὴν ἔσχε τὴν ὕπαρξιν).

« Nam, in ipsa Verbi conceptione deducta sunt ad consistendum (πρὸς σύστασιν) et unita sunt ei καθ' ὑπόστασιν simul ac ducebantur ad consistentiam illam omnino veram et insecabilem, quae nec divisionem patitur nec mutabilitatem admittit aut confusionem ; ab eo producta et in illo consistentia (συνισταμένα) et illi conjuncta (αὐτῷ συντιθέμενα), nullum prorsus tempus fuit, quo totalitas suae propriae consistentiae (τὸ σύνολον τῆς οἰκείας συστάσεως) praecederet inconfusam atque inseparabilem ad eum conjunctionem » (PG 87[3]. 3161 B-D).

228. S. Joannes Damascenus haec omnia, pro more suo, repetit : a) Duas naturas, quas, contra Monophysitas, docet manere adeo

distinctas ut, etiam post unionem, vere sint ac numerari possint, explicat ideo non constituere duas Nestorii personas quia numerus non inducit divisionem (διαίρεσιν). *(De fide orth.* III.5 PG 94.1000 B et 1001 A-B).

b) Quia dixit assumptam esse naturam concretam, ad praecavendam omnem speciem Nestorianismi, specificat eam esse, « non quae fuerit prius *seorsim in se* (καθ'ἑαυτήν) et individuum, quod Verbum [postea] assumpserit, sed quae in Verbi hypostasi exstiterit » (*Ibid.* 11 ; 1024 A-B)

c) Notionem igitur personae ille habuit, qualem aperte dicit constare ex Patribus, nempe « id quod apud seipsum seorsim *subsistit* (καθ' ἑαυτὸ ἰδιοσυστάτως), ex substantia et accidentibus constat, numero differt ac certum aliquem significat » [1].

« Hypostasis quiddam est singulare per se consistens, id est, substantia quaedam instructa suis accidentibus, quae suam per se, proprie ac seorsim a reliquis hypostasibus actu ac re ipsa sortita est existentiam » [2]. « Hypostases enim non sunt aliae in aliis, sed privatim quaelibet et seorsim, id est, apud seipsam sejungitur (ἰδία.... καὶ ἀνὰ μέρος, ἤγουν καθ'ἑαυτὴν κεχωρισται)... et distinguuntur imprimis ex eo quod non aliae in aliis sed separatim sunt » (τῷ μὴ ἐν ἀλλήλαις, ἀλλὰ κεχωρισμένως εἶναι) (*De fide* I. 8 PG 94. 828 B).

Jamvero, concludit in sua jam *Dialectica*, ea ratio est cur natura humana Christi, sicut corpus et anima in nobis, non sit ὑπόστασις sed tantummodo ἐνυπόστατος. Talia enim sunt ea quae, sicut corpus et anima, « *conferunt ad constituendum aliquod totum compositum et ad perficiendam unam hypostasim compositam* :.... quod ex utroque exsurgit, utriusque hypostasis dicitur » [3]. Item vero natura humana in Christo : « Ἐνυπόστατος potius est, quia ab alia hypostasi assumpta sit et in illa habuerit existentiam. Nam, cum eo ipso *non exstiterit per se seorsim* ne momento quidem temporis, hypostasis non est » [4].

(1) *Dialectica*, 43 (*Ibid.* 613 B) ; item 44 : « Ὑπόστασις κυρίως τὸ καθ'ἑαυτὸ ἰδιοσυστάτως ὑφισταμενον ἐστι καὶ λέγεται » (616 B).

(2) Ὑπόστασις [ἐστι] τὸ μερικὸν, καὶ καθ'ἑαυτὸ ὑφεστὸς, οὐσία τις μετὰ συμβεβηκότων, τὴν καθ'αὐτὸ ὕπαρξιν, ἀδιαιρέτως καὶ ἀποτετμημένως τῶν λοιπῶν ὑποστάσεων, ἐνεργείᾳ καὶ πράγματι, κληρωσαμένη, (*De duabus voluntat.* 4 (PG 95. 132 D-133 A). — (3) « Εἰς ὅλου τινὸς γένεσιν συντιθέμενον, καὶ μίαν ἀποτελοῦν ὑπόστασιν σύνθετον.... Τὸ ἐξ ἀμφοτέρων, ὑπόστασις ἀμφοτέρων (44 PG 94.616 B).

(4) « Λέγεται πάλιν ἐνυπόστατον ἡ ὑφ'ἑτέρας ὑποστάσεως προσληφθεῖσα φύσις, καὶ ἐν αὐτῇ ἐσχηκυῖα πὴν ὕπαρξιν. Ὅθεν καὶ ἡ σὰρξ τοῦ Κυρίου μὴ ὑποστᾶσα καθ'ἑαυτήν, μηδὲ πρὸς καιροῦ ῥοπὴν, οὐχ ὑπόστασις, ἀλλὰ μᾶλλον ἐνυπόστατόν ἐστιν » (*Ibid.* 616 B-C).

229. Conclusio de PP. Graecis. — Ad evidentiam igitur constat eos Patres ac theologos, qui quam maxime realitatem humanae naturae conciliandam habuere cum ejus impersonalitate, censuisse naturam aliquam esse hypostasim, vel non, prout existit, vel non, in se, sibi, ad modum alicujus totius.

Quod, ut concludatur hoc argumentum, confirmet opportune Theodorus ille Abukara, qui Damasceni discipulus est. Is enim, cum Nestorianum aliquem coegerit admittere in Christo naturam instructam suis proprietatibus etiam accidentalibus, explicat eam tamen non esse hypostasim, quia, sicut et corpus in nobis, est mera pars : « *Hypostasis autem non est pars alicujus,... nec proinde sufficit aliquam naturam subjacere proprietatibus suis ut fiat hypostasis ; ad hoc concurrere debet insuper non esse partem. Quia igitur pars Christi est corpus animatum assumptum, propterea non est hypostasis* » [1].

230. II. **Patres et doctores latini.** — 1° *Adeo ignorant naturae humanae quidquam, apud Christum, deesse, quod illi apud ceteros homines adsit, ut illam vocent simpliciter « hominem ».*

Loquuntur enim de « susceptione hominis » ; de « vero homine, qui sit unitus vero Deo » ; de « homine », qui « non consumitur dignitate » Dei assumentis ; de unica « Dei et hominis persona », quae sit in Christi ; de « unitate sui atque hominis », quam fecerit in Christo Verbi Dei potestas ; de « assumpti hominis substantia [non] separanda a Deitate Verbi » ; de « homine assumpto in Filium Dei, [et] sic in unitatem personae Christi... recepto. » In Christo imo adeo distinguunt « suscipientem Deum » et « susceptum hominem » ut eorum formulae, etsi significant meram naturam, tamen ortum dederint opinioni illi primae, quae apud veteres scholasticos tantopere invaluit, de homine, qui, in Christo, non persona quidem, at tamen sit aliquis — Textus videas supra n° 97 et cf. « auctoritates » invocatas pro 1ª sententia tum apud Lombardum, tum praesertim apud Joannem a Cornubiis et Gerochum locis citatis n° 220.

2° *Personam humanam denunciant induci eo ipso quod admittitur* « solitarius homo ». Sic Cassianus, ubi definit errorem Nestorii. (*De Incarn.* l. 2 PL 50. 19). Sic Leporius, in suo *retractatationis libello*, ubi definit suum pristinum errorem : « Ita hominem cum Deo

(1) Ὑπόστασις οὐκ ἔστι μέρος τινός... Οὐκ ἀρκεῖ τὸ συγκεῖσθαι τὴν φύσιν τοῖς ἰδιώμασιν εἰς γένεσιν ὑποστάσεως, ἀλλὰ δεῖ συνδραμεῖν εἰς τοῦτο καὶ τὸ μὴ εἶναι μέρος. Ἐπεὶ οὖν μέρος ἐστὶ τοῦ Χριστοῦ τὸ προσληφθὲν ἔμψυχον σῶμα, διὰ τοῦτο οὐκ ἔστιν ὑπόστασις » (*Opusc.* 29 PG 97. 1577 D-1580 A).

natum esse, ut *seorsum* quae Dei sunt *soli* Deo demus, et *seorsum* quae sunt hominis *soli homini* reputemus » (*Ibid.* 5. 25 A).

3° *Ubi assumunt et ipsi explicare qui duae naturae non inducant duas personas, rationem non dant aliam nisi quod humana non est* SIBI *sed* AB ALIO *habetur*, seu proprietates ejus ac operationes jam non sunt ejus sed Verbi. Sic v. gr. S. LEO Magnus explicat personam e Virgine natam habuisse proprietates humanae simul et divinae naturae : « Vere *humanam* vereque *divinam unam* edidit prole *personam*, quia non ita *proprietates suas tenuit* utraque substantia, ut personarum in eis posset esse discretio ». (*Sermo* 23. 1 PL 54. 200 A).

Item S. AUGUSTINUS : « Haerendo ad unitatem personae, filius hominis Filio Dei, facta est una persona... Filius Dei... *habet* hominem tanquam anima corpus. Sicut anima *habens* corpus non facit duas personas, sed unum hominem, sic Verbum *habens* hominem non facit duas personas, sed unum Christum » (*In Joan. tr.* 19. 15 PL 35. 1553).

Item FAUSTUS, ubi explicat assumptione « consumptam » esse personam et non substantiam humanae naturae, quia « *persona res juris est* » [1].

VIGILIUS THAPSENSIS, *contra Eutychetem*, demonstrat professione duarum in Christo naturarum ideo non induci dogma Nestorianum quia neutra est *sibi* sed utraque est *Verbi Dei propria*. Hoc enim declarat exemplo partium et facultatum in homine uno diversarum, quae, etsi ad invicem qua partes aut facultates alienae, tamen ideo non arguunt alium et alium hominem quia singulae sunt *unius ejus demque hominis propriae* [2].

BOETIUS contra Nestorium tuetur unitatem personae in Christo ex eo quod persona dicat *totum* ab alio *prorsus discretum*. Hoc enim ei principium est absolutum, quo excludit personam ab alia assumi in ordine ad constituendum unum quid quale Christus est.

Cum persona sit « naturae rationabilis individua substantia... *unum* ex *duobus* effici nihil potuit : omnino enim ex duabus personis nihil unquam fieri potest... Sequitur ut, *personis manentibus*, nullo modo a divinitate

(1) *De Spiritu Sancto* lib. 11, cp. 4, si opus ejus est, ut voluit ENGELBRECHT in C. Scr. Lat. Vendebon. vol. XXI, p. 139, vel PASCHASII DIACONI, apud PL 62. 29 B-C. - N. B. Inducit quidem auctor exemplum independentiae et autonomiae personae moralis, at ideo hinc concludit unitatem personae physicae — quam omnino contra Nestorium tuetur — quia eam independentiam et autonomiam supponit esse omnis in genere personae notam propriam.

(2) L. V. 7 (PL. 62. 139 A-C).

humanitas credatur *assumpta :* omnino enim *disjuncta* sunt quae aeque *personis* naturisque separantur ; prorsus, inquam, *disjuncta* sunt ; nec magis inter se homines bovesque *disjuncti* quam divinitas in Christo humanitasque *discreta* est, si *permansere personae*... Nulla intelligi potest assumptio, si manet aeque naturae *personaeque discretio* » [1].

Rusticus Ecclesiae Rom. diaconus, in sua *Contra Acephalos disputatione*, monophysitam inducit sibi objicientem : « Omnis individua et rationalis natura persona est... Quia igitur vos... duas dicitis rationales naturas, duas etiam personas inevitabiliter introfertis, [ita ut] Nestorii... error vestrum dogma necessaria ratione comitetur » (PL 67. 1196 B).

Respondet autem ipse eam quidem naturam rationalem esse personam, quae sit « omne quod suum est *in semetipsa habens* [et] praeter caeteras alias sequestrata », at hoc praecise deesse humanae naturae in Christo, quam « Deus numquam sua praesentia atque gubernatione depositam reliquit,... sed ob hoc creavit, *non ut sua sed ut ejus esset,* et super semetipso fundavit tanquam super basim vel fundamentum » (1198 B) [2], eamque causam esse cur « omnia quidem sine exceptione habeat nostrae naturae Christus, non omnia vero humanae personae » (1198 A), nam illa tantum « individua natura persona est... quae non ad hoc *creatur ut alteri inseparabiliter unita permaneat* » (1198 C). « Natura [igitur] nostra in Christo non etiam persona est [quia] *non in semetipsa* et *secundum seipsam segregatim* habet *esse suum,* sed in Verbo subsistit » (1234 D).

Eodem modo explicat « *cur humanitas Domini perfecta quidem natura sit, non vero per semetipsam habeat quoque personam* ».

Rationem enim dat quod in Verbo, « quasi in fundamento, illa assumpta natura... incumbit » (1238 D), natura vero, eo ipso quod est vel concipitur unita, jam nec sit nec concipi possit esse persona. Mente quidem potest humana Christi natura apprehendi quasi in se et a Verbo sejuncta, ita ut apprehendatur ad modum personae, at hoc non fit nisi « in imaginatione mentis » et per « unitionis oblivionem » seu praecisionem ; ubi enim mens percipit « id quod humanum est, non quasi in semetipso manens, sed *per unitionem proprium* factum subsistentiae [id est. hypostaseos] Dei Verbi, non potest id pro persona suscipere. Nam, [ut] homo subsistentia [id est,

(1) *De persona et duabus naturis,* 4 (PL 64. 1345 C-D et 1347 A-B) — Agnoscis doctrinam S. Cyrilli : « Si quis in uno Christo dividit (διαιρεῖ) hypostases » (*Anath.* 3).

(2) Cf. 1184 B, comparationem ductam ex insitione v. gr. piri in milium, qua fit ut « una [quidem] arbor et una sit res, [etsi jam] nec una substantia, nec una natura est. Ut milium simul et pirum duae, ut vero arbor una esse res dicitur, quid obest unitati personae, si Christum duas res esse dicamus ? ».

hypostasis] esset, non oporteret ut eum solus Deus Verbum in semetipso susciperet, et quod nostrum est, ut ita dixerim, in semetipso fundaret » (1239 A-B).

Hinc objectionis generalis solutio finalis : « Etsi omnis homo individuus persona est », non eo ipso tamen quod homo est persona etiam est, nam non ex eodem habet quod sit homo et quod sit persona : « Ut sit homo, haec [quidem] causa est quod sit animal rationale de terra ; ut autem sit persona, haec causa est quod sit subsistentia rationalis individua. Sed, illa humanitas, non propter hoc, ut *sua ipsius separatim esset*, sicut nos, sed *ut Verbo uniretur*... creata est, [ideoque] magis in subjecto est quam subjectum » (1239 C).

II. Cum S. Thoma[1]

231. **S. Thomas** enim difficultatem, quam monophysitae contra orthodoxos ab initio movere, solvendam et ipse habuit contra fautores tertiae illius opinionis, qui eam quam maxime urgebant : Cum ex unione animae et corporis oriatur non natura tantum sed et persona, si admittitur unionem illam factam esse in Christo ac eamdem in illo ac in nobis adesse naturam, qui fieri potest ut persona etiam non adsit. Quaestio igitur erat omnino nostra.

Jamvero cum quaestionem illam ipsam S. Thomas saepissime ponat et ex professo solvat, *solutionem non dat unquam nisi eam quam thesis nostra enunciat*, ita ut qui aliam obtrudunt ei doctrinam, argumenta quidem sibi conficiant ex collatis undique ac interpretatis aliis locis ejus, at sententiam suam non inveniant assertam in ullo eorum locorum, quibus de re quaesita responsum ipse dat explicitum.

232. 1. *Explicite negat ex defectu ullius positivae entitatis esse quod compositum ex anima et corpore non sit in Christo hypostasis.*

« Hoc quod facit conjunctum ex anima et corpore esse hominem non est praeter animam et corpus aliquid positive ; sed ex hoc ipso quod ipsum compositum ex anima et corpore non adjungitur alteri subsistenti in natura composita, sequitur quod conjunctum sit homo. Unde, si Christus humanam naturam quam assumpsit deponeret, ex hoc ipso esset homo illud conjunctum ex duabus substantiis (in 3, *dist.* 6, q. 1, a. 2, ad 5[m]). « Naturae as-

(1) Quod probatur de solo S. Thoma verum est de aliis etiam magnis scholae magistris. Cf. v. g. *Albertum Magn.* : *In* 3, *dist.* 5, a. 12 ; Alexandrum Alensem : *Summa*, q. 4, *m.* 6 ; S. Bonaventuram : *In* 3, *dist.* 5, a. 2, q. 2 ; Ricardum de Media Villa, apud Hocedez : Richard de Middleton (1925), p. 282-285 ; Scotum : *In* 3, *dist.* 1, q. 1, n. 9 ; *dist.* 5, q. 2, n. 4-5.

sumptae non deest propria personalitas propter defectum alicujus, quod ad perfectionem humanae naturae pertineat, sed propter additionem alicujus quod est supra humanam naturam, quod est unio ad divinam personam » (III, q. 4, a. 2, ad 2[m]).

233. II. *Explicite asserit solam et adaequatam causam cur natura assumpta non sit persona esse quia a principaliori assumpta sit,* ita ut sola separatione, absque ulla ullius entitatis accessione aut creatione, eadem ipsa natura fieret persona. Sic, praeter jam citata :

« Ex hac ratione moti videntur qui negaverunt unionem animae et corporis in Christo, ne per hoc scilicet cogerentur personam novam vel hypostasim in Christo inducere, quia videbant quod in puris hominibus ex unione animae ad corpus constituitur persona. Sed hoc ideo *in puris hominibus* accidit, quia anima et corpus sic in eis conjunguntur *ut per se existant.* Sed in Christo uniuntur ad invicem *ut adjuncta alteri principaliori,* quod subsistit in natura ex eis composita. Et *propter hoc* ex unione animae et corporis in Christo non constituitur nova hypostasis seu persona, sed advenit ipsum conjunctum personae seu hypostasi praeexistenti » (III, q. 2, a. 5, ad 1[m]) [1].

« Si humana natura non esset assumpta a divina persona, natura humana propriam personalitatem haberet; et pro tanto dicitur *persona consumpsisse personam,* licet improprie, quia persona divina *sua unione impedivit* ne humana natura propriam personalitatem haberet » (III, q. 4, a. 2, ad 3[m]). « Hypostasis significat substantiam particularem non quocumque modo sed *prout est in suo complemento* ; secundum vero quod venit *in unionem alicujus magis completi,* non dicitur hypostasis, sicut manus vel pes. Et similiter humana natura in Christo, quamvis sit subtantia particularis, quia tamen *venit in unionem cujusdam completi,* scilicet *totius Christi,* prout est Deus et homo, non potest dici hypostasis vel suppositum; (III, q. 2, a. 3, ad 2[m]).

(1) « Si quis objiciat quod humana natura etiam in Christo non sit accidens, sed substantia quaedam, non autem universalis, sed particularis, quae hypostasis dicitur.... considerare debet qui sic objicit quod non omnis substantia particularis hypostasis dicitur, sed *solum illa quae ab aliquo principaliore non habetur.* Manus enim hominis substantia est quaedam particularis, non tamen potest dici hypostasis, nec persona, quia habetur a principaliori quod est homo: alioqui in quovis homine essent tot hypostases vel personae quot partes vel membra. Humana ergo natura in Christo non est accidens sed substantia, non universalis sed particularis, *nec tamen hypostasis dici potest quia assumitur a principaliori, scilicet a Dei Verbo* » *(Decl, quor. art. cont. Gr.,* cp. 6).

234. III. *Explicat tandem ideo ex unione cum principaliori naturam deficere a ratione personae,* quia : 1° In genere, de ratione personae est esse totum quid seu esse « *sub suo esse* » [1]. 2° In specie vero, apud Christum, natura humana *jam non est totum sed mera pars,* quae jam non in se seu separatim, sed in alia seu alii existit.

1° **In genere** — I, q. 29, a. 1, ad 2[m], exponit a ratione personae excludi tum rationem *partis,* — ideoque manum, non dici hypostasim — tum rationem *assumptibilitatis,* ideoque naturam humanam in Christo non esse personam : « Humana enim natura in Christo non est persona quia est assumpta a digniori, scilicet a Verbo Dei »

q. 29, a. 2 : quaestioni « utrum persona sit idem quod hypostasis, subsistentia et essentia », respondet substantiam « secundum quod *per se* existit et *non in alio,* vocari subsistentiam » [sensu concreto adhuc vigente, rei subsistentis]. « Illa enim subsistere dicimus quae non in alio sed in se existunt ».

q. 75, a. 2, ad 1[m], dicit ideo nec manum nec animam posse dici « aliquid subsistens », sensu subsistentis completi in aliqua specie, quia, hoc sensu, subsistens excludit « imperfectionem partis ». Ad 2[m] vero repetit : « Proprie et per se subsistens dicitur quod neque est inhaerens [ad modum accidentis] neque est pars. Secundum quem modum oculus aut manus non posset dici per se subsistens et per consequens nec per se operans. Unde et operationes partium attribuuntur toti per partes agenti » [2].

235. 2° **Agendo in specie de Christo :**

In 3, *dist.* 5, q. 1, a. 3, ad 3[m] : ostendit ideo duas naturas, etsi proprietates adsint omnes tum essentiales tum individuantes quibus diversificantur, tamen non esse duas personas quia, cum non sint seorsim positae, non adest *utrinque totalitas* quam requirit ratio personae [3]; hinc enim est cur, si natura deponeretur a Verbo, « ex hoc ipso

(1) Cf. in 1, dist. 23, q. 1, a. 1, ad 3[m] : « Subsistere dicitur aliquid in quantum est *sub* suo *esse* ».

(2) Cf. *in* 3, *dist.* 5, q. 3, a. 2, ad 3[m], ubi explicatur qui anima, etsi aliquo vero sensu est « hoc aliquid », tamen non est persona. « Dicitur « *hoc aliquid* » per modum quo *esse subsistens est hoc aliquid, etiam si habeat naturam partis ;* sed *ad rationem personae exigitur* ULTERIUS *quod sit* TOTUM *et* COMPLETUM ». Item 1, q. 29, a. 1, ad 5[m] ; *de anima,* a. 1.

(3) « Non sequitur quod, si sint duae naturae et diversae proprietates, sint diversae personae. Si enim essent naturae cum suis proprietatibus *seorsim positae, utrinque esset totalitas, quam requirit ratio personae ; non est autem nisi una totalitas quando conjunguntur, et ideo est una persona* ».

acciperet rationem personae », nam « separatio dat utrique partium *totalitatem* » (*ibid.* q. 3, a. 3, ad 3[m]) [1].

Quolib. IX, a. 2, ad 1[m], concesso « quod ex unione animae et corporis constituitur homo et humanitas », — ita ut proinde non plus requiratur ad hominem quam ad humanitatem, — notat haec duo ex hoc « differre quod humanitas significatur *per modum partis*,... sed homo significatur *per modum totius*, [quia] homo dicitur habens humanitatem ». Hinc concludit « constitutum ex anima et corpore... quod in Christo] unioni praesupponitur... ideo non posse signari ut hominem sed ut humanitatem, [quia *non est totum* quod per se subsistit sed aliquid *ejus*. ».

Compend. theol. cp. 211, explicat ideo — contra quod accidit « in aliis homilibus, [ubi] unio animae et corporis constituit hypostasim quia nihil aliud est praeter haec duo » — in Christo compositum illud non esse suppositum quia « praeter animam et corpus advenit tertia substantia, scilicet divinitas ».

Posita enim hujusmodi additione, persona jam non est « id quod est ex corpore et anima constitutum, sed... id quod constat ex tribus substantiis, corpore scilicet et anima et divinitate ». Ratio porro hujus est quod « haec nomina persona, hypostasis et suppositum *integrum* quoddam designant ». Hinc enim sequitur « compositionem, quae non constituit *aliquod integrum* sed *constituit partem*, v. gr. [corpus in animali,... *non constituere suppositum*;... *animal totum* est hypostasis vel suppositum ». Quod adeo tenetur verum ut natura ipsa divina, « si in Christo [esset] *ut pars* et non *ut aliquid integrum*, persona Christi non se teneret tantum ex parte naturae divinae ».

III, q. 2, a. 2. Cum in c principium revocaverit : « *suppositum* significari ut *totum* habens naturam », in **ad 3[m]**, respondet exinde esse quod « rationalis naturae individua substantia », etsi est in Christo, tamen non sit persona.

Nam, ait, « sciendum est quod non quodlibet individuum in genere substantiae (etiam in rationali natura) habet rationem personae, sed solum illud quod *per se* existit, et *non* illud quod existit *in alio perfectiori*. Unde manus Socratis, quamvis sit quoddam individuum, non tamen est persona,

(1) Item Albertus M. magister S. Thomae : « Ad hoc quod quaeritur : Quid confert ei personalitatem, quam prius non habuit ? dicendum quod singularitas, quam prius non habuit, sive incommunicabilitas, ut alii dicunt. Si autem quaeritur iterum : Quid confert ei illam singularitatem ? dicendum quod divisio per accidens confert ei » (*In* 3, *dist.* 5, a. 12). Item Godefridus de Fontibus : *Quodlib.* 8[m], q. 1 (*loc. cit.* p. 15-17).

quia non per se existit, sed in quodam perfectiori, scilicet *in suo toto*. Et hoc etiam potest significari in hoc quod persona dicitur substantia individua : non enim manus est substantia completa sed pars substantiae. Licet ergo haec humana natura sit quoddam individuum in genere substantiae, *quia tamen non per se separatim existit,* sed in quodam perfectiori, scilicet in persona Dei Verbi, consequens est quod non habeat personalitatem propriam ».

a 3, ad 2^{m}, ex eadem ratione excludit naturam illam particularem esse suppositum vel hypostasim : a) Definit hypostasim « substantiam particularem non quocumque modo, sed prout est *in suo complemento :* secundum vero quod venit *in unionem alicujus magis completi,* non dicitur hypostasis, sicut manus vel pes ». — b) Hinc, applicatione facta humanae naturae : « Et similiter humana natura in Christo, quamvis sit substantia particularis, quia tamen *venit in unionem cujusdam completi, scilicet totius Christi,* prout est Deus et homo, non potest dici hypostasis vel suppositum » [1].

Quod confirmat explicatio data, **q. 16, a. 12** c, cur « Christus, secundum quod homo » – reduplicative formaliter, seu ratione suae humanitatis, — non dici possit « hypostasis vel persona ».

« Sic, Christus, secundum quod homo, non est persona, quia natura humana non est per *se seorsum subsistens* a divina natura, quod requirit ratio personae ». Etenim (ad 2^{m}) « *substantia individua,* quae ponitur in definitione personae, importat substantiam completam *per se* subsistentem *separatim ab aliis :* alioquin manus hominis posset dici persona ;... quia tamen est substantia individua, sicut *in alio existens,* non potest dici persona ; et eadem ratione nec humana natura in Christo ». Et ad 3^{m} : « Sicut persona significat quid completum et per se subsistens in natura rationali, ita hypostasis... Unde, sicut humana natura non est per se persona *seorsum a persona* Filii Dei, ita etiam non est per se hypostasis ».

III Rationis argumentum.

Rationis hac in re non est nisi discernere utrum statuatur notio personae, quam ipsa possit habere probatam, et personae a natura distinctio, qualem requirit mysterium fidei propositum. Jamvero hoc utroque sensu ratio comprobat sententiam propositam.

(1) Eamdem doctrinam videas *Cont. Gentes,* IV. 49, ad 9^{m} et 10^{m} : *Compendio theologiae,* I. 211 ; *Quodlib.* IX, a. 2, ad 1^{m} ; *De unione Verbi incarnati,* a. 2, ad 1^{m} ; *De potentia,* q. 9, a. 2, ad 13^{m} et 14^{m}.

236. I. **Notio personae, quam implicat illa sententia, rationi probatur.** Persona, ex illa sententia, consistit in ipsa natura rationali, concreta, *quae ita existat in se et sibi* ut nulli alii innitatur, seu *habeat* ipsa suum esse nec ab ullo alio habeatur.

Complectitur proinde persona non tantum essentialia principia, quae continentur in significatione quidditatis rei, sed etiam quidquid est de ratione naturae concretae seu extra suas causas positae. Identificatur igitur cum natura, quae plena essendi perfectione donetur. Tali porro perfectione ea sola natura donari censetur, quae esse habeat non tantum materialiter sed etiam formaliter, id est, quae illud habeat sibi vere, proprie et exclusive *suum*, ita ut existat ab omni alio prorsus independens et constituat se ipsa totum completum et conclusum [1]. Aliis verbis, constitutivum formale personae est illa ipsa ratio totietatis et independentiae.

Jamvero ea praecise est notio personae, quam ratio apprehendit ubique vigere. Tum in divinis enim tum in creatis, persona exinde dignoscitur quod detur totum in se clausum proptereaque ab omni alio distinctum. Suppositum imo in genere eatenus adesse agnoscitur, quatenus stat, in rerum natura, aliquod totum in se clausum :

(1) Propterea « subsistere dicitur aliquid *in quantum* est SUB SUO ESSE » (*In* 1, *dist.* 23, q. 1, a. 1, ad 3[m]). Quod commentans notat optime DE RÉGNON : « Au dessus de la perfection d' « être » il y a la perfection d' « avoir », car « avoir » c'est « être » et posséder son être. Tout ce qui existe est *Ens*. L'hypostase seule est ENS SIBI ». (*Études sur la Trinité*, t. I, p. 297) — Item HOURCADE : « Le « subsistere » est la perfection de celui qui possède son être en propre et qui existe en soi et pour soi, qui s'appartient au lieu d'être la chose d'un autre... Et, par exemple, l'accident ne subsiste pas parce que tout son être appartient à la substance. Au contraire, dans le cours ordinaire des choses, la substance individuelle subsiste, parce que tout ce qui est en elle, soit à titre physique, soit à titre formel, soit à titre métaphysique et transcendental d'être et d'actualité, est son bien propre et naturellement inaliénable. D'où l'on voit... que la subsistance est l'acte propre du suppôt, de la personne puisqu'elle consiste dans cette possession incommunicable de soi-même...

« Au contraire, le P. Billot place la racine propre et comme la cause formelle de la subsistance dans l'existence même connaturelle et proportionnée à la substance qu'elle actualise... Mais qui n'aperçoit la méprise fondamentale de cette théorie ? Le P. Billot, au lieu de traduire le *suum esse* impliqué par la subsistance dans le sens tout naturel, conforme à l'aspect le moins douteux des choses, et, aussi bien, traditionnel, de propriété, de maitrise, d'autonomie,...., l'interprète au sens de convenance adéquate, de commune mesure, de proportionnalité : point de départ inacceptable d'une théorie christologique, dont la subtilité et la cohésion ne sauraient racheter la confusion initiale ». (*Art. Essence et existence* in *Bulletin de litt. ecclés.* 1908, p. 91).

quod satis est alii toti inseri, etiam per accidens, ut jam non dicatur suppositum[1]. Sic, in artefactis, totum, et non partes quibus constat, habetur ut suppositum. Sic etiam, in naturalibus, arbor pomifera ideo, non obstante diversitate specifica trunci et ramorum, dicitur esse una arbor et unum suppositum quia, una cum surculo frugifero alinde sibi inserto, unum totum est[2].

237. II. **Distinctio personae a natura statuitur, qualis dogmate requiritur.**— 1° *Quae distinctio?* — *A natura specifice sumpta* persona admittitur distingui *realiter,* nam plura habet quam quae sunt de ratione naturae qua tali, existentiam scilicet et principia individuantia[3]. *A natura vero reali seu concreta* non distinguitur nisi *ratione.* Id enim, quo natura concreta intellegitur determinari ad esse personam, non est quidquam positivi illi superadditum, sed est illa totietas, qua ita clauditur in se et ita sibi manet ut eo ipso distincta sit et independens a quolibet alio.— Esse personae seu subsistentiae possit igitur dici distinctum ab esse essentiae et existentiae, quatenus *con-*

(1) Ratio est quia illa sola simpliciter « esse » dicuntur, in rerum natura, quae in se seu sibi sunt. Cetera potius *habentur,* insunt, propterea que non dicuntur « esse » simpliciter. Sic non dicas : Ibi sunt rami ; folia ; capita ; corpora ; animae ; bene vero : Ibi sunt arbores ; homo. Pariter de Christo : Christus, seu Filius Dei « est », non humana natura.

(2) In ordine morali pariter personalitas commensuratur independentiae quae sit totius rationalis. Naturae v. gr. irrationales eo magis ad personalitatem accedere censentur quo majorem sui habere videntur quasi dominationem et possessionem : sic animalia prae plantis ; sic certa animalia, quae prae aliis videntur ad aliquam sui accedere gubernationem. Personae econtra verae, homines scilicet, etsi sane non desinunt unquam esse personae physicae, tamen in ordine morali eo minus habentur ut personae distinctae quo minus sunt sibi seu sui juris. Hinc, dictum Fausti : « Persona res juris est » (Supra n. 230) Cf. Thomassinum : *De Incarnat.* III. 9, 2.

(3) « Esse », ait S. Thomas, « pertinet ad ipsam constitutionem personae » (III, q. 19, a. 1, ad 4[m]). « Persona aliud *significat* quam natura. Natura enim *significat* essentiam speciei, quam *significat definitio.* Et, si quidem his quae *ad rationem speciei* pertinent nihil aliud adjunctum inveniri posset, nulla necessitas esset distinguendi naturam a supposito naturae... Contingit autem in quibusdam rebus subsistentibus inveniri aliquid, quod *non pertinet ad rationem speciei,* scilicet accidentia et principia individuantia... Et ideo, in talibus, *etiam secundum rem* differt natura et suppositum, non quasi omnino aliqua separata, sed quia in supposito includitur ipsa natura speciei, et superadduntur quaedam alia, quae sunt *praeter rationem speciei* » (III, q. 2, a. 2 ; item I, q. 29, a. 2, ad 3[m] ; in 3, *dist.* 5, q. 1, a. 3). Naturam patet ibi intellegi — non singularem et concretam, sed communem et specificam, cujus solius potest esse *definitio.* De quo cf. Tiphanum, *op. cit.* cp. 7 et Dalmau, *op. cit.* p. 11-17.

notat exclusionem alterius, cui innitatur et in quo sit tanquam in suo toto.

Illegitime igitur objiciatur personam, qua talem, non dicere quidquam *positivi*, sed tantum *negativi*, id est, non esse in alio. Licet enim non dicat positivum, quod sit *praeter naturam concretam*, tamen omnino *dicit aliquid positivi*, naturam scilicet ipsam quatenus est tota sibi et in se. Hoc enim ultimum mens, ubi illud in ipsa considerat, non fingit aut addit sed illius esse videt. Quamvis igitur negativis verbis hoc enunciari contingat [1], tamen re est aliquid omnino positivum, quo primario persona constituitur, et ad quod consequitur tantum negatio: secus, dicas totum constitui formaliter negatione partis, cum econtra ideo tantum negetur esse pars seu in alio quia est totum seu in se [2].

238. 2° *Ea distinctio est sola, quae dogmate requiratur.* — Seipsa enim rationem dat eorum omnium, quae mysterium implicat aut secum trahit, v. gr. :

A) *Cur Christi sit unum esse personale.* Nam, etsi admittitur in eo duplex esse seu existere naturae — quod aliquo vero sensu substantiale dici debet, siquidem etiam natura humana est vera et concreta substantia, — tamen esse naturae humanae, cum trahatur ad esse divinum, « non [quidem] prout est naturae, ... sed prout est hypostasis vel personae » (III, q. 2, a. 6, ad 2[m]), jam non in se sed in alio est; jam igitur non est personale, nec natura, ratione illius, dici potest persona. Illud enim jam non *habet simpliciter* seu sibi, ad modum totius independentis, sed ipsa cum suo « esse, » *habetur*, et ex illa sua assumptione ad totum perfectius, etsi perficitur — nam « dignius est alicui quod existat in aliquo se digniori quam quod existat per se (III, q. 2, a. 2, ad 2[m]) — tamen rationem induit partis nec jam « est simpliciter » sed potius inest. Esse econtra divinum, in illo jam quasi composito, manet totum illud aeternum et distinctum, quod persona est Filii. Ipsum igitur solum manet substantiale simul et personale, ad quod trahitur natura humana, ita ut unus maneat ibi subsistens, qui, quia *habet* « esse » utriusque naturae,

(1) Apud Scotum et apud eos, qui cum eo dicunt suppositum non addere supra naturam nisi aliquid negativi : sic v. gr., inter recentiores, Muncunill : *Tract. de Verbi div. incarn.*, n. 151 sqq.

(2) Negationem sane omnis distinctio dicit aut connotat, at negationem, non qua ipsa constituatur, sed quae consequatur ad perfectionem positivam secundum quam res distinguitur : sic Petrus non est Paulus, quia est Petrus ; sic etiam haec negativa : *Æthiops non est albus*, fundatur in hac affirmativa : *est niger*.

dicitur in utraque subsistere. Perfecta proinde est in Christo subsistentiae unitas, eoque sensu Christus non duo sed *unum* est [1].

B) *Cur non repugnet naturam completam substantialiter, et quae, sibi derelicta, existeret in seipsa seu persona esset, ita uniri supposito a se realiter distincto, ut non duo sed unum sit suppositum.*

Ratio est quia unio illa fit in ordine supernaturali et per actuationem potentiae obedientialis illius naturae : hoc ex dogmate omnino sequitur et omnibus admittendum est. Porro hujusmodi actuatio supponit illam naturam, quamdiu sistitur in ordine mere naturali, habere quidem illam potentiam obedientialem at non actuatam, ita ut, quamvis sit in ordine naturali completa, tamen, quoad ordinem supernaturalem, maneat in mera potentia seu incompleta. Potentialitatem vero hujusmodi non evidenter repugnat actuari a supposito, quod sit ab illa natura realiter distinctum, si modo sit ordinis supernaturalis — id est suppositum non creatum — et habeat virtutem supponendi. Tale porro esse suppositum Verbi divini fide cognitum est : naturam humanam assumpsit, extendendo ad illam virtutem suam hypostaticam eamque sic faciendo suam. Assumendo igitur evexit illam ad ordinem ontologicum supernaturalem et actuavit potentiam ejus obedientialem. Nec in composito sic exorto duplex datur suppositum. Nam natura illa persona quidem esset, si mansisset in ordine mere naturali vel si ab assumente derelinqueretur ; tunc enim in eo ordine esset in quo seipsa compleretur et clauderetur. At, eo ipso quod actuata est potentia ejus obedientialis, jam non est in eo ordine, jam non in se ad modum totius clausi, sed ad modum partis, existit in illo supposito ad quod assumpta est. Persona proinde jam non est, et unicum quod maneat in composito suppositum est illud ipsum, quod, illam actuando in ordine in quo realiter versatur, fecit eam totaliter suam.

239. 3° *Objectiones*. — Objici solet unionem sic intellectam et explicatam non esse substantialem, sed mere *moralem et accidentalem*, proindeque inducere in Christo duo supposita. Quod est argumentum S. Thomae contra fautores primae illius olim opinionis, qui dicebant « Filium Dei assumpisse hominem ». « Quod habet esse completum, in quo subsistit, non potest uniri alteri nisi vel accidentaliter, ut

(1) Unum, quia unum tantum in eo est suppositum. Ea enim propria ratio est cur S. Thomas, non tantum *contra Nestorianos* qui, quia ponebant duas personas, dicebant Christum esse *duo masculine*, id est *duos*, sed etiam *contra eos qui, quia ponebant in Christo duo supposita*, dicebant illum esse *duo neutraliter* affirmet illum esse *unum* : « Quia nos ponimus in Christo unam personam et unum suppositum, sequitur quod dicamus quod non solum Christus est *unus masculine*, sed *etiam neutraliter* » (III, q. 17, a. 1 et cf. *cont.* G. IV, 38 in fine ; item *De unione Verbi*, a. 3).

tunica homini ;... vel per modum aggregationis, sicut lapis lapidi in acervo ; vel aliquo accidente, sicut homo unitur Deo per amorem vel gratiam » (*in* 3, *dist.* 6, q. 1, a. 2).

At argumentum, quod tangebat eos contra quos olim movebatur, jam est extra quaestionem. Illi enim, cum tenerent in Christo dari suppositum duplex, eo ipso admittebant « hominem assumptum » habere « esse » sibi, seu « esse » hoc sensu completum quod in illo « subsisteret ». Nos autem hoc excludimus, tenentes naturam humanam non existere seu non esse independenter, sed ita conjungi supposito divino ut ipsa cum suo esse « trahatur in communionem illius esse completi ». Ea enim est, et sola, ratio, qua S. Thomas, — ubi eam ipsam difficultatem solvit, — excludit « illud, quod advenit [alicui] post esse completum, [ei] accidentaliter advenire » (III, q. 2, a. 6, ad 2[m], et cf. a. 5, ad 1[m], ubi eamdem difficultatem praecavet). Et, re vera, hoc posito, natura humana, quamvis completa et complete sit hoc sensu quod nihil illi deest quo sit extra suas causas, tamen, quia non existit seorsim, non potest dici habere esse completum hoc sensu quod illo seu in illo « subsistat » ; propterea haud magis accidentaliter unitur Verbo quam homini manus, quam S. Thomas fingit, postquam « per se separatim » ideoque subsistens facta est, ita conjungi homini praeexistenti ut jam pertineat ad illius esse personale [1].

240. INSTATUR tamen dicendo, in nostra sententia, non statui nec posse statui personae et naturae unionem vere substantialem, nam, aiunt : — a) natura tantummodo accedit ad personam, quin ab illa physice apprehendatur ac in se determinetur ad esse novum ; — b) contra principia sanae metaphysicae est enti substantialiter completo, — ut est, ex nobis, natura humana, — quidquam uniri substantialiter.

RESPONDEO. — 1° Objectio assumit unionem non dari substantialem, nisi ex qua oriatur unitorum unitas substantialis. Hoc porro excluditur ipsa

(1) In 3, *dist.* 6, q. 2, ad 1[m] ; item III, q. 17, a. 2. — Unde, in forma, ad argumentum. Quod esse existentiae habet completum : hoc sensu quod illo existat independenter, seu in illo « subsistat » *actu*, illud non potest uniri alteri nisi tribus his modis, *concedo ;* hoc tantum sensu quod complete sit extra causas, quin tamen sibi independenter existat, seu subsistat *actu*, illud non potest uniri nisi tribus his modis, *subdist. :* alteri supposito ejusdem ordinis, *conc. ;* alteri supposito ordinis superioris, *ad cujus esse hypostaticum trahatur, nego.* — Atqui natura assumpta habet esse completum : hoc sensu quod complete sit extra suas causas, *conc. ;* hoc sensu consequenter quod, si sibi dimitteretur, in illo *posset* subsistere, *iterum conc. ;* hoc sensu quod sit independens, seu illo subsistat *actu*, *nego.* — Ergo non potest uniri nisi tribus his modis : alteri supposito ejusdem ordinis, *conc. ;* supposito ordinis superioris, *ad cujus esse hypostaticum trahatur, nego.*

fide, nam, non obstante unione sua substantiali, Verbum et natura humana manent substantialiter et realiter distincta. Naturae pariter, in Christo, sunt et ipsae « substantialiter unitae » (D-B. 259 et 261 ; C. 729 [6 et 8]), nec tamen humana a divina determinatur intrinsece ad esse novum. Unio igitur est vere substantialis, qua convenitur in unum esse personale.

2° Æquivocatur praeterea circa illas voces « apprehendere physice, determinare, actuare ». Proferuntur enim ad suggerendam naturae cum Verbo unionem, qualis habetur in creatis per physicam et intrinsecam potentiae ab actu suo informationem. At, re vera, non admittitur nec admitti potest unitatem Christi personalem ea via haberi ; formulis hujusmodi haud alia vis agnosci potest ac comparationibus aptissimis (Cf. supra n° 218). Nam, ut ait S. Thomas, esse unum, quod ponitur in Christo, « non causatur ex conjunctione naturarum, sicut esse compositi causatur ex conjunctione componentium » (*in* 3, *dist.* 6, q. 2, a. 3 c) ; nec « adunatio » hic fit per « informationem ». Eam econtra S. Thomas explicite excludit, et exinde repetit quod, etsi una forma non potest « adunare » in se materias diversas, persona econtra potest « adunare » in se naturas diversas (*Ibid.*, *dist.* 5, q. 1, a. 3, ad 6[m]) [1].

3° Principium vero metaphysiae, quod opponitur : A) Non agnoscitur communiter valere nisi pro eo gradu et ordine, in quo ens supponitur jam substantialiter completum [2]. At, in casu, natura, etsi admittitur completa substantialiter in ordine naturali, tamen manet vere incompleta seu in potentia quoad esse ordinis superioris, in quo solo, per actuationem illius potentiae obedientialis, fit unio. — B) Ille-

(1) Nec contradicunt qui objectionem contra nos movent. Nam et ipsi, ubi suas formulas exponunt, fateri debent informationem naturae a Verbo non dari ullam ; naturam non intrinsece informari a Verbo, quod in se recipiat sicut potentia actum, sed ad illum tantummodo « terminari » seu rem ita se habere quasi formaliter informetur, etsi, re vera, non informetur (cf. infra n° 247) : quod haud scio an sit minus verbalis quam, ut ipsi aiunt, solutio nostra. Fucum sane minus faciunt formulae nostrae ; at unionem, rationi humanae prorsus imperviam, definiunt qualem fides ipsa docet : naturam ita assumi ad esse Verbi personale ut tam vere ac physice illius sit quam ipsa natura divina qua constituitur. Modum vero quo hoc fiat neutra opinio determinare potest.

(2) Abjicitur non tantum a tota schola franciscana : cf. VAN DE WOESTINE : *Scholae franciscanae aptatus cursus philosophicus*, t. I (1921), p. 449 sqq ; t. II (1925), p. 609 sqq. — sed etiam ab iis omnibus, in dies pluribus, qui, sicut olim ALBERTUS M., putant unionem fieri substantialem in mixtis et viventibus ad materiam jam informatam forma gradus inferioris. De quo, cf. P. DESCOQS : *Essai critique sur l'hylémorphisme*, p. 82-90 ; DARIO : *Institutiones cosmologicae*, p. 445 sqq, ; VOISINE : *Le système de la matière et de la forme*, in *Rev. de philos.* 1922, p. 590 sqq ; T. PESCH : *Instit. philos. nat.*, vol. I[2] (1897), p. 305 ; BOULE in *Etudes* 1914[3], p. 45.

gitime, cum ducatur ex consideratione naturalis rerum ordinis, applicatur unioni, quae fit praeter omnes naturae vires et leges. Et, re vera, principium illud valet de unionibus, quae fiant per informationem proprie dictam. Jamvero, hic: a) informatio proprie dicta non potest admitti ulla; — b) fides docet *cum* et *sub* persona Verbi, quae se habet *ad modum formae* supervenientis, manere *formam* naturae humanae et *substantiam* in ordine suo *completam*, quae ab illo quasi informatur.

URGETUR tandem aequivocando circa distinctionem personae a natura, quam negabant Nestoriani et Monophysitae, et a qua illorum haeresis orta est tota.

At sufficit advertere haeresim fluxisse *ex negata distinctione non tantum reali sed etiam rationis.* Hac autem admissa, ut admittitur in proposita sententia, jam non est periculum erroris, siquidem duae, illa non obstante, sunt in Christo naturae reales, nec proinde quidquam datur eorum quae Nestorio tanto horrori erant. Si enim admisisset personam ratione saltem distingui a natura, non induxisset ex negatione personae sequi negationem naturae humanae; nec, ex eo quod conceptio, nativitas, mors, etc., negantur esse alicujus hominis seorsim et singularis, deduxisset eas negari de natura aliqua humana et imputari naturae divinae personae, cujus esse dicuntur[1].

§ 2

ALIAE SENTENTIAE EXPONUNTUR ET JUDICANTUR

I EXPONUNTUR

241. *Commune habent principium* non posse ex duobus completis et perfectis esse unum substantiale seu personale, et, cum communem etiam habeant curam tuendi unitatem in Christo quam perfec-

(1) Sunt quos delectet contra propositam sententiam cavillare dicendo: Si persona non dicit nisi naturam, quae sit sibi et non assumpta, nugatoria fit assertio dogmatica quod Verbum assumpserit naturam et non personam. Data enim illa personae notione, dogma iam ad hoc redit: V. assumpit naturam et non naturam non assumptam. Quod pura putidaque est tautologia.

At cavillatio peccat ignoratione elenchi, nec sententia proposita inducit quidquam nugatorium. Sensus enim dogmatis est: Verbum naturam ita sibi substantialiter univit, seu ad unitatem suae personae assumpsit, ut jam non sibi seorsim sed in Verbo tantummodo existat, proptereaque connaturali sua personalitate careat. Quod non est tautologia, nam, non quomodolibet unita, natura desinit esse persona: secus, nec in sententia Nestorii adfuisset persona humana, siquidem unio seu assumptio vera, etsi mere accidentalis et moralis, admittebatur. Ea tantummodo negabatur, quae excluderet naturam existere sibi physice seorsim, eaque propterea est quam dogma asserit.

tissimam, imo forte nimiam [1], commune propterea habent assignare aliquid positivum a natura concreta realiter distinctum, quod, apud ceteros quidem homines, naturam hujusmodi substantialiter compleat ac determinet ad esse personam, apud Christum vero, desit et suppleatur ab ipsa persona Verbi.

Speciale vero singulis est illud positivum aliter et aliter definire.

1ª Sententia. Alii illud vocant *modum physicum substantialem*, quo substantia ita compleatur et perficiatur aut potius terminetur atque claudatur, ut jam sit totum quid et excludat omnimodam sui ad alterum communicationem.

Ea sententia inducta est a Cajetano (III, q. 4, a. 2) et, inde saeculo 16°, praevaluit in multis scholis. Eam sequuntur, quamvis diversam de ipso modo substantiali multi habeant conceptionem, tum thomistae O. P. vix non omnes tum thomistae S. J. olim plerique, tum sive olim sive nunc, alii permulti.

Qua talis enim, praescindit a distinctione reali essentiae et existentiae, proptereaque communis esse potest tum affirmantibus tum negantibus illam distinctionem.

Priores tenent subsistentiam advenire naturae in signo priori ad existentiam, proindeque non conferre nisi « perseitatem independentiae ab alio tanquam a subjecto et incommunicabilitatis ad aliud suppositum », ita ut « natura cum sola subsistentia, pro priori ad existentiam », concipiatur « in via tantum ad existentiam per se » [2].

Posteriores econtra tenent subsistentiam advenire naturae jam formaliter existenti, quam determinet ad existendum in se et per se incommunicatam et incommunicabiliter [3]. Admittunt igitur existentiam esse quidem de ratione personae, at non esse illius constitutivum formale. Cum porro teneant illam

(1) Haud immerito de illis observat THOMASSINUS : « Eodem ducti videntur argumento quo stimulati quondam Apollinaristae vel anima vel mente humana Christum truncare moliebantur. Quod videlicet ex duobus perfectis unum non emergat unquam perfectum, sed ex imperfectis... Si humanitas vel mente vel anima spolietur humana, ejusque in vicem Deo Verbo formetur, tum ex actu et potentia, ex perfecto et imperfecto unum perfectum, unus, inquam, Christus coagmentabitur. Ita garriebant Apollinaristae, a quorum dementia etsi immaniter abhorreant, ab eorum tamen argumentatione non satis forsan distant ex catholicis illi qui Christo vel existentiam, vel rem quampiam et perfectionem humanam amputant, ut ex imperfecta humanitate, nempe formae et perfectionis alicujus ornamento orbata, et Verbo perfectissimo unus perficiatur Christus » (*De Incarnatione*. III. 16, 1).

(2) BILLUART : *disp.* 17, a. 2, ad 2^m. — Item SALMANTICENSES, t. XIV, tract. 21, *disp.* 8. — MERCIER : *Ontol.*, n. 151.

(3) SUAREZ : *Metaph. disp.* 34, s. 2 sqq ; *De Inc. disp.* 8, s. 4, n. 3-5 ; VASQUEZ : in III^m, *disp.* 31, cp. 6 ; LUGO : *De Incarn. disp.* 12 ; ARRIAGA ; *De Inc. disp.* 25.

cum natura reali identificari realiter, censent naturae humanae in Christo competere existentiam suam connaturalem nec illi desse nisi modum physicum substantialem connaturalis suae personalitatis.

Priores vero, etsi negant pariter existentiam esse personalitatis constitutivum formale, tamen, quia illam putant a natura etiam reali et concreta distingui realiter, autumant ex eo quod natura humana sit in Christo concreta et integra non sequi quod existat sua connaturali existentia. Hinc est cur teneant illi naturae deesse non tantum modum substantialem personalitatis suae sed etiam existentiam suam creatam : prior suppleatur ipsa Verbi personalitate, posterior Verbi simul ac totius Trinitatis existentia [1].

2ª Sententia. Alii putant *personae constitutivum formale,* quod Christi humanitati deest, *non esse nisi existentiam ipsam.* Assumunt enim per modum dogmatis philosophici essentiam seu naturam, etiam concretam, realiter ab existentia sua distingui, et docent actum existendi, eo ipso quod in natura tanquam in propria potentia recipitur, eam facere simul existere et per se subsistere. Haec enim duo putant inter se converti, proptereaque modum substantialem subsistentiae abjiciunt ut inutilem. Cum igitur fides doceat naturam humanam in Christo, etsi completam qua naturam, tamen non subsistere per se, omnino concludunt eam non actuari sua connaturali existentia sed ipsa solius Verbi existentia, eamque formalem et unicam esse rationem cur Christi sit una simul persona et unum esse : ipsum scilicet esse divinum, qua Verbo appropriatum, sit cui formaliter et per se natura uniatur et quo proinde solo existat simul et subsistat.

Ea sententia, quam recentiores S. Thomae obtrudere nituntur, etsi a Capreolo (in III, *dist.* 5, q. 3, a. 3, § 2, ad 1^m sqq ; *dist.* 6ª integra) inducta est, tamen thomistis O. P. probari non solet. Ea econtra, post Terrien S. J. et Billot S. J., delectantur neo-thomistae non pauci extra O. P.

II. Judicantur

THESIS XVI — Theologico quidem fundamento caret omnis sententia, quae assumit naturae humanae in Christo deesse aliquid positivi, quod apud ceteros homines omnino adsit ; at intrinseca insuper repugnantia laborant sententiae quae tenent illi deesse existentiam seu esse creatum, praesertim si velint illud suppleri formaliter, in ratione subsistentiae, ab ipsa Verbi existentia.

Duae partes in thesi. Prior indicat ex quo communi capite duae illae sententiae abjiciendae videantur. Posterior denunciat speciale

(1) Gonet : *Clypeus thomist.,* de *Incarn. disp.* 8, a. 2, n. 55.

vitium quo laborant insuper illae omnes quae naturam humanam volunt in Christo carere existentia seu esse creato. Adversatur igitur iis omnibus qui carentiam hujusmodi profitentur, etiam si modum substantialem personalitatis admittant ; at eos imprimis ac directe attingit qui defectum personalitatis repetunt ex hac formaliter carentia.

PROBATUR PRIMA PARS.

242. 1° **Per modum conclusionis theseos praecedentis.** Solum enim fundamentum theologicum quod assumunt est necessitas tuendi unitatem personalitatis in Christo. Porro per thesim praecedentem constat Patres aut Ecclesiae doctores, qui illam unitatem quam maxime contra Nestorianos simul et Monophysitas vindicandam habuere, nunquam invocasse hujusmodi defectum sed ex alio semper capite conciliasse dualitatem naturarum cum unitate hypostaseos. (Supra n° 225 sqq.).

Idem constat ex dictis de S. Thoma. Is enim, ex dictis, non tantum non affirmat sed explicite negat « hoc quod facit conjunctum ex anima et corpore esse hominem esse, praeter animam et corpus, *aliquid positive* » (cf. n. 232). Quod confirmat *Summa*, III, q. 4, a. 2, ad 2^m^. Ibi enim quaestio ponitur cur Filius Dei non assumpserit personam, cum tamen « assumpserit ea quae in natura nostra plantavit, plantaverit autem ibi personalitatem ». Respondetur vero « quod naturae assumptae non deest propria personalitas propter defectum alicujus quod ad perfectionem humanae naturae pertineat, sed propter additionem alicujus, quod est supra humanum naturam, quod est unio ad divinam personam ».

Hoc porro responsum excludit omnino personalitatem connaturaliter implantatam naturae nostrae esse quidquam positivi, quod ita sit *praeter* naturam in linea naturae perfectam ut deesse possit ubi natura adest perfecta[1]. Secus enim respondendum erat personam non esse assumptam propterea quod personalitas non est « in natura nostra plantata », seu propter defectum alicujus quod non pertinet ad naturam in linea naturae perfectam. Non ita vero S. Thomas : non dicit personam deesse *propter defectum cujuslibet entitatis*, quae sit *praeter* naturam perfectam et illi connaturaliter addatur, sed respondet simpliciter addi aliquid quod est « *supra* naturam humanam ».

(1) Ut vult Em. BILLOT : q. 2 : *De ipsa unione hypost.* II : *de natura et supposito, opinio Scoti* (ed. 3ª, p. 83-85), ubi tamen, p. 83, n. b. reticeri verba a nobis recitata ex *Sent.* 3, *dist.* 6, q. 1, a. 2, ad 5^m^).

243. B) **Ex doctrina Patrum de humana Christi existentia.** — Patres, ut supra dictum est (n. 193-195), excludunt quidem, de humana natura, omnem existentiae prae unione anterioritatem [1] ; at omnino affirmant aut supponunt existentiam illi competere distinctam ab aeterna Verbi divini existentia.

Sic, imprimis, S. Cyrillus Alexandrinus, cujus hac in re auctoritas est summi momenti : — a) Ab existentia Verbi, quae, ut patet, non potuit habere ullam sui radicem in carne B. Virginis [2], distinguit existentiam Christi carnalem, cujus initium esse non potuit nisi per generationem [3]. — b) Existentiam adeo tenet esse de ratione omnis naturae realis, et non mere abstractae aut verbalis, ut propterea velit in Christo factam esse unionem non tantum « Verbi et servi formarum » sed etiam eorum hypostaseon, — quas vidimus apud ipsum identificari cum « naturis » (n° 103), nec haberi ut personas nisi quatenus dividantur seu seorsim ponantur aut considerentur. Confer anath. 3m cum 4o.

Etenim : — α) Abjicit unionem, quae esset « formae anhypostaticae (ἀνυποστάτου μορφῆς) ad inhypostaticam et divinam formam » [4]. — β) Quia Theodoretus dixerat unionem factam esse « formae Dei ad formam servi » [5], quaerit ab eo num forte admittat « unitas esse formas solas sine hypostasibus » [6]. — γ) Hoc ultimum ipse negat : « Non dicimus formam et servi et Dei unitam esse sine hypostasibus » [7] ; admittit propterea « hypostases unitas esse » [8], loquitur de « absolute inconfuso hypostaseon concursu » [9] et

(1) Eo sensu, locis citatis supra, n. 192, S. Leo Magnus et S. Augustinus dicunt naturam humanam « ipsa assumptione creatam ». Quae, cum, ut patet per contextum, non inculcent nisi *simultaneitatem*, ad excludendam omnem *anterioritatem* temporis, mirum est invocari pro ista sententia, quasi affirment unionem esse rationem formalem accessus animae ad existentiam. Num eadem forte censenda sit etiam ratio formalis conceptionis corporis ex Virgine, quia « regula fidei », ait ibidem S. Fulgentius, tenet « ipsam carnem Verbi incarnatione conceptam » ? Haec duo, non *exstitisse* unquam nisi *in Verbo* seu *in unione*, et *non exsistere nisi ratione unionis*, clare jam distinguit Leontius Byzantinus, ubi exponit de ratione unionis hypostaticae non esse quod unita non exstiterint prius in se seu non praesubstiterint : hoc excluditur quidem de unitis in Christo, at non propterea est unica eorum hypostasis : τὸ δὲ διὰ τοῦτο μίαν ὑπόστασιν ἀμφοτέρων ποιεῖν... οὐκέτι δώσομεν (*Adv. argum. Severi* PG 86². 1914 C et cf. A).

(2) *Apologet. cont. Theod.* 1 (PG 76. 396 D).

(3) « Τῆς σαρκικῆς ὑπάρξεως τὴν ἀρχὴν οὐχ ἑτέραν ἔχειν δυναμένης τὴν ὁδόν ». (*Adv. Nest.* I. 1 ; *ibid.* 20 C-D).

(4) *Apologet. cont. Theod.* 1 (*ibid.* 397 C). — (5) *Ibid.* 393 C-D et 396 C.

(6) « Εἰ οἶχα τῶν ὑποστάσεων μόναι καὶ καθ' ἑαυτὰς αἱ μορφαὶ συνῆλθον ἀλλήλαις » (*Ibid.* 396 C). — (7) *Ibid.* 2 (401 A).

(8) « Ἡνῶσθαι τὰς ὑποστάσεις » (*Ibid.* 3 ; 408 B).

(9) « Ἀσύγχυτον παντελῶς τῶν ὑποστάσεων σύνοδον » (*Ibid.*).

cas hypostases, sicut et « naturas »[1], post unionem, vult tantummodo non « dividi » (*anath.* 3 : « Εἴ τις ἐπὶ τοῦ ἑνὸς Χριστοῦ διαιρεῖ τὰς ὑποστάσεις μετὰ τὴν ἕνωσιν ») : quo, ut recte avertit Theodoretus[2] nec diffitetur Cyrillus[3], agnoscit apud Christum manere duas hypostases. — b) *Ratio vero, propter quam vult eam* ὑποστάσεων *ipsarum unionem et dualitatem, datur ab eo quia, secus, « formae » unitae realitate carerent et vacua nomina essent.* Nam, ait, « quod hypostasi caret, nihilo aequivalet, aut potius prorsus nihil est » (Τὸ μὴ ὑφεστὼς, ἐν ἴσῳ τῷ μηδενὶ, μᾶλλον δὲ παντελῶς οὐδέν)[4]. Qui proinde velit rectam servari Incarnationis rationem, is omnino debet admittere « convenisse, *non meras similitudines anhypostaticas,...* sed *res ipsas,* id est, *hypostases* » (Οὐ γὰρ ὁμοιότητες ἀνυπόστατοι... συνέβησαν ἀλλήλαις,... ἀλλὰ πραγμάτων, ἤγουν ὑποστάσεων γέγονε σύνοδος)[5].

S. Cyrillus igitur tenuit existentiam adeo esse de ratione naturae assumptae ut censuerit, ea deficiente, assumptionem fuisse non « formae servi » realis sed merae et vacuae illius imaginis.

244. Consentit S. Leo Magnus, ubi docet animam haud aliter productam esse in Christo ac apud nos : « Non alio illi quam ceteris hominibus anima est inspirata principio ». Graece : « Οὐδὲ καθ' ἑτέραν ἀρχὴν ἐνεπνεύσθη τούτῳ ἡ ψυχὴ παρὰ τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους » (*Epist.* 35. 3 PL 54. 808 C et 809 A).

Eodem sensu S. Augustinus loquitur de exordio humanae naturae, quo esse coepit homo Verbo Dei copulatus :

« Homo, nullis praecedentibus meritis, *in ipso exordio naturae suae, quo esse coepit,* Verbo Dei copulatus est » (*Enchir.* 40). « Ex quo *homo esse coepit,* non aliud coepit esse homo quam Dei Filius » (*Ibid.* 36). « Ex quo homo *esse coepit,* ex illo est Deus » (*De Trinit.* XIII. 17, 22).

Item S. Sophronius, ubi (*loc. cit.* n. 194) tanta vi excludit ullam corporis et animae existentiam, quae *praeiverit eorum existentiae in Verbo.*

(1) Quia unio facta est ἀδιάσπαστος, « μετὰ τὴν ἕνωσιν οὐ διαιροῦμεν τὰς φύσεις » (*Epist.* 45 PG 77. 232 D). — (2) *Ibid.* 404 B. — (3) *Ibid.* 408 B. Cf. 300 D.

(4) *De recta fide ad Theodos.* 13 (PG 76. 1153 B). — Hoc adeo verum est ut « Filium Dei imaginari *sine existentia* et *sine hypostasi* propria » (ἀνυπάρκτον τε καὶ ἰδικῶς οὐχ ὑφεστηκότα) sit eum facere « meram vocem... sola pronuntiatione a Deo procedentem » (*Ibid.* A). Quo Filius simul et Pater negetur esse ; nam, « si Filius *existentia caret* (ἐστὶν ἀνύπαρκτος), nec Pater vere est. Etenim, si genuit quod hypostasi careat nec *omnino existat,* genitum erit nihil » (Εἴπερ γεγέννηκε τὸ μὴ ὑφεστὼς, μηδὲ ὑπάρχον ὅλως, τὸ γεννηθὲν ἔσται τὸ μηδέν) (*Ibid.* B).

(5) *Apologet. cont. Theod.* 1 (*Ibid.* 396 C).

His enim *non* contendit ea existentiam habere *ex sua unione*, seu *ratione suae unionis cum Verbo, sed* tantummodo ea *non exstitisse unquam in seipsis*, seu *seorsim a Verbo :* quod solum prosequebatur, siquidem volebat tantummodo praecavere omnem speciem nestorianismi. Explicat propterea ea « producta esse ad consistentiam (πρὸς σύστασιν) *simul* ac conceptio [erat] Verbi, et unita esse illi secundum hypostasim *simul* ac ad consistentiam agebantur », eaque ratio illi est cur « in illo et non apud seipsam [caro Christi] habuerit existentiam ». Hoc porro significat existentiam, qua corpus et anima existunt in Verbo, eis adfuisse quidem simul ac ipsa illi unita sunt, at esse eam ipsam existentiam, quae eis connaturaliter adesse solet ubi « ad consistendum aguntur ». Ex simultaneitate unionis est tantum, ut ipse praemittit, quod « ante suum cum Verbo conventum non fuerint in seipsis (καθ' ἑαυτά) *unquam* » : « *tunc* [enim] devenerunt ad existentiam, *quando* eis Verbum unitum est physice », ita ut « unionem habuerint existentiae σύγχρονον ».

245. S. Joannes Damascenus ex eodem scopo docet carnem Christi « deificatam esse simul ac ad esse ducebatur » (θεωθείσης ἅμα τῇ εἰς τὸ εἶναι ταύτης παραγωγῇ) [1], « esse illi contigisse in ipso Verbo » (ἐν αὐτῷ τὸ εἶναι λαχούσῃ) [2], ita ut « exstiterit », « existentiam habuerit in illo » [3]. His enim non vult nisi excludere omnem carnis praeexistentiam et praesubsistentiam, et inculcare simul fuisse « mirabili modo patratam conceptionem et *existentiam*, conceptionem scilicet Verbi et existentiam carnis quae fuit in Verbo ». Sic enim explicat : « Humanitas Christi, quae nobis superior et similis est (ὑπὲρ ἡμᾶς καὶ καθ' ἡμᾶς), non facta est (γενόμενον) prius nobis similis et postea facta est (γέγονε) nobis superior, sed semper a prima existentia exstitit utrumque (ἀεὶ ἐκ πρώτης ὑπάρξεως ἄμφω ὑπῆρξε), propterea quod a primordiis conceptionis in ipso Verbo existentiam habuit » [4].

Docet propterea « carnem unitam esse Verbo a prima [sua] existentia : «ἡνώθη τῷ Λόγῳ ἡ σὰρξ ἐξ ἄκρας ὑπάρξεως » [5] ; sed, contra Monophysitas, explicat unione « naturam humanam non esse reductam ad non-existentiam » (μὴ... εἰς ἀνυπαρξίαν χωρισάσης) [6], sed duas naturas ita salvari in una Christi hypostasi ut una maneat increata, altera creata, et, etiam post unionem, duae vere sint : κατ' ἀλήθειαν αὐτὰς εἶναι » [7].

(1) *De fide*, III. 12 (PG 94. 1032 B). — (2) *Ibid.* 2 (988 A).
(3) *Ibid.* 11 ; *cont. Jacab.* 79 (1024 A-B ; 1476 C) etc.
(4) *De fide*, III. 12 (1032 B-C). — (5) *Ibid.* 23 (1088 A-B).
(6) *Ibid.* 3 (988 B). — (7) *Ibid.* 5 (1000 C).

Male igitur, quia dixit « existere in Verbo », « habere existentiam in Verbo », intellegatur sensisse «existere existentia Verbi », « habere existentiam Verbi ». Hoc ultimum non dicit Damascenus : saepe dicit « hypostasim Verbi », seu « Verbum ipsum », factum esse « carni hypostasim » [1] ; sed non dicit « Verbum » aut « Verbi existentiam » factam esse « carni existentiam » [2]. Econtra, ubi (*Adv. Nestor.* 1) exponit ex professo qui carnis existentia non praecesserit unioni, loquitur explicite de illius existentiae ortu : Sic fuit conceptio ex Virgine « ut primo fieret (ὥστε πρῶτον γένεσθαι) virtutis Altissimi obumbratio, seu Verbi conceptio, et tunc (καὶ τότε) *existentia* carnis in ipso Verbo subsistentis » [3].

246. 3° **Ex inanitate argumentationis contra sententiam nostram :** repugnare scilicet naturam nullo positivo carere, quo alias constituatur persona, et tamen non esse personam. Haec enim argumentatio procedit quasi, ad hoc ut persona adsit, sufficiat adesse *quomodolibet* ejus realitatem, cum econtra sententia nostra requirat hanc realitatem esse sibi seorsim, per modum totius, ita ut non sit pars alicujus perfectioris. Haud aliter surculo ab arbore deciso, ut maneat suppositum, non satis est servare omnia sua elementa positiva, sed necesse est praeterea manere sejunctum ab omni alia arbore ; si modo alii arbori inseratur, quamvis integram servet suam realitatem, jam tamen non est suppositum [4].

(1) « Αὐτὸς γενόμενος τῇ σαρκὶ ὑπόστασις » (*Ibid.* 2. 985 C). « Αὐτὴ ἡ ὑποστασις τοῦ Λόγου ἐγένετο τῇ σαρκὶ ὑπόστασις » (*Ibid.* 11 : 1024 B ; cf. 1025 C ; 1029 B). Hoc porro explicat factum esse quatenus Verbum carnem ex Virgine desumpsit et « in se » seu « in sua hypostasi superstare fecit » : (« σάρκα ἀναλαβόντα καὶ ἐν ἑαυτῷ ὑποστήσαντα » : *Ibid.* 12 : 1028 C ; 1029 B ; 985 C) ; sic enim « factus est illi hypostasis » : « [Σάρκα] ἐκ τῆς Παρθένου... ἐν τῇ ἑαυτοῦ ὑποστάσει ὑποστήσας, καὶ χρηματίσας αὐτῇ ὑπόστασις » (*Adv. Nestor.* 2 PG 95. 189 B). Quod quomodo concipiat cf., hoc ultimo loco, comparationem subjunctam gladii ferrei, qui, cum jam sit una ex hypostasibus ferri, ubi igni admotus excandescit, eo ipso jam evadit non tantum ferro sed etiam igni hypostasis. Hoc autem fit, non quasi assumat ignis hypostasim praesubsistentem sed quatenus excerptis ex illa certis primitiis (ἀπαρχήν τινα) naturae ignis, eo ipso fit illi quoque [naturae] hypostasis.

(2) Cf. supra, n° 228. Damasceno hypostasis non est ex ipso facto existendi, sed ex ipso modo, existendi scilicet apud semetipsum, seorsim et non in alio.

(3) PG 95. 189 A.

(4) Unde sic in forma : Ubi est ***seorsim*** tota realitas, quae, ***seorsim existens***, esset persona, ibi est persona, ***conc.;*** ubi est, at ***non seorsim***, tota realitas, quae, ***seorsim existens***, esset persona, ibi est persona, ***nego***, juxta doctrinam S. Cyrilli expositam supra n. 226. — Atqui tota realitas, quae, ***seorsim existens***, esset persona, est in Christo, ***sed non seorsim, conc.;*** est in Christo ***seorsim, nego.***

Dicunt naturam et personalitatem, ut constat in Christo, *realiter separari* proindeque a fortiori *realiter distingui*. — **At**, separatio, etsi arguit necessario aliquam distinctionem, non tamen necessario distinctionem realem.

Sic, v. gr. ex eo quod apud equum invenitur animal realiter ab omni rationalitate sejunctum, jure arguitur in animali rationali, quod est homo, animal a rationali distingui ratione ; at non exinde concludas animal et rationale in homine distingui realiter. Item ab homine majori, si modo quis accedat eo major, secedit realiter ratio majoritatis, quin tamen ab eo dici possit realiter distincta, etc. etc. Realem re vera distinctionem ea tantum separatio arguit, quae fit per physicam unius ab altero ablationem : sic ea qua anima sejungitur a corpore.

Porro personalitatem seu rationem personae separari a natura reali per physicam alicujus positivi ablationem et non per meram illius ad esse personae superioris assumptionem negatur donec probetur. Separatio enim hujusmodi non occurrit ullibi in rerum natura nisi in Christo. In Christo porro quomodo facta sit constare nequit nisi per traditionem ecclesiasticam, cujus solius est de mysterio illo unico testificari. Testatur autem, ut supra demonstratum est, illam factam esse, non per demptionem alicujus positivi, quod alias naturae addatur, sed per meram additionem personae superioris, ad quam ineffabili modo assumpta est.

Probatur secunda pars.

Repugnat naturam humanam in Christo carere existentia creata et non existere nisi existentia increata, praesertim si supponitur ex ea formaliter subsistere.

247. Praenotanda. 1° Sententia ea est, ut diximus, non tantum eorum qui putant personalitatem constitui formaliter et simpliciter ipsa existentia, sed etiam thomistarum O. P., qui, hoc negantes, admittunt modum subtantialem personalitatis, qui, in Christo, suppleatur subsistentia relativa Verbi. Differunt igitur in hoc quod *priores* volunt personalitatem naturae acquiri formaliter eo ipso quod esse accipiat seu existentia actuetur, *posteriores* econtra tenent eam natura prius constitui personam quam esse accipiat. Naturam propterea humanam censent existere : *priores*, existentia, quam dicunt relativam seu Filii propriam ; *posteriores*, existentia Dei absoluta seu communi tribus.

2° Seclusa porro illa differentia, naturam humanam utrique affirmant adeo in Christo non existere nisi existentia divina, ut, ea praecisa, esse simpliciter careat nec sit nisi potentia sine ullo actu. Esse igitur divinum ei sit in Christo pro esse, quo connaturaliter apud ceteros homines gaudet seu actuatur et informatur.

Nec propterea admittunt aut admittere possunt illam informari *formaliter* esse divino: hoc enim repugnat manifeste nimis. Dicunt igitur illam informari *virtualiter* seu actuari, non « per modum formae intrinsece informantis », sed « per modum termini intrinsece terminantis » [1]; quod Gonet explicat dicendo: « Existentia ex suo formali conceptu non petit actuare informative sed tantum terminative » [2]; Billot vero: « Humanitati tribuit quasi formaliter eamdem illam sustentationem in ordine entis, quam natura creata solet accipere ab actu sibi proprio sibique commensurato », ita ut Deus, quin sit « actus informans potentiam passivam, hoc est actus in ea receptus et ad eam limitatus,... [tamen] sit, in ordine existendi, actus naturae creatae modo eminentiori » [3].

Haec effata non unus sane quaerat quid sibi velint, unde constent et quomodo solutionem non dent mere verbalem (Cf. supra, p. 194, nota 1). At respondetur mysterium hoc esse proprie Incarnationis, nec proinde mirum si excedat captum mentis metaphysice incultae, aut quae arcana actus et potentiae non nata sit intueri.

Probatur repugnantia

248. I. **Quia repugnat obscurum explanari per obscurius.** Hoc porro fit in illa sententia. Mysterio enim de unica persona superinducuntur mysteria ordinis metaphysici, quae haud minorem in se videntur habere difficultatem nec tamen possunt, sicut et illud, demonstrari non repugnantia.

Haec mysteria quae sint et quantae sint difficultatis exponetur in subsequentibus argumentis. Manifestum est autem ea non posse, sicut et mysterium Incarnationis, demonstrari non repugnantia. Illud enim ideo tantum demonstrari potest non repugnare quia certum est revelatione doceri : secus enim non esset mysterium proprie dictum ; haec vero non tantum non docentur revelatione sed ne fundamentum quidem habent certum in ulla auctoritate dogmatica.

(1) Billuart : *Dissert.* 17, a. 2, ad 5[m]. — (2) *Disp.* 8, a. 2, n. 57,
(3) Thes. 7, § 5, ad 1[um] Tiphani object. (Ed. 3[a], p. 136-137 et 138).

Putat quidem Em. Billot « unitatem » existentiae, seu « actus essendi, objective contineri, juxta S.Thomam, in doctrina, quae asserit unionem secundum subsistentiam, et quae est *de fide* » [1]. Eam proinde Angelicus habuerit ut conclusionem stricte theologicam, quam nonnulli propterea censent contineri in deposito revelationis ideoque posse definiri ut *de fide* [2].

At ea omnia praesupponunt id quod prae omnibus statuendum esset, nempe in « doctrina, quae est de fide et quae asserit unionem factam esse secundum subsistentiam », seu unicam dari in X° subsistentiam, « subsistentiam » intellegendam esse aut saltem a S. Thoma intellectam esse sensu qui implicet unitatem actus essendi. Conclusio enim nititur tota illo praesupposito. Jamvero praesuppositum illud falsum est, et conclusio inde ducta nititur mera aequivocatione verbi latini « subsistentiae ».

249. Vocis enim illius, — quae, inde a Rufino, apud Latinos, est pro voce graeca ὑπόστασις, — sensus est triplex, prout usurpatur in antiquis documentis fidei, apud S. Thomam et apud theologos recentiores.

1^us^ sensus. In antiquis fidei documentis, « subsistentia » ponitur pro voce ὑπόστασις intellecta, non jam suo sensu aetymologico aut primaevo « substantiae », sed sensu postea inducto « personae ». Hoc sensu dicitur esse in Deo « tres subsistentias » (D-B. 201 ; 213 ; 254), in Christo vero esse « unicam subsistentiam » (D-B. 216 ; 217 ; 288 ; 292) [3].

2^us^ sensus. Apud S. Thomam, — etsi agnoscitur *subsistentia* « apud sanctos », ut ait, ad vitandam aequivocationem, positam esse pro voce

(1) *Ibid.*, § 4 (p. 128).

(2) Consequentiam ducit Marin-Sola O. P. in *La evolucion homogenea del dogma catolico*, n. 318. — Hoc tamen nonnullis visum est ingenue nimis aut importune dictum : « Entre vrais thomistes, nous conseillerions à l'auteur de ne pas expliciter de semblables conséquences, qui sont de nature à frapper tout d'abord les esprits prévenus ou superficiels, et pourront faire suspecter sa thèse — bien à tort — d'exagération et d'esprit de système » (*Rev. bénédictine*, 8^bre^ 1924, p. 358).

(3) Ita, in versione antiqua canonum concilii Cp^lani^ V^i^. Pro anathematismis S. Cyrilli, Marius Mercator (PL 48. 840) ponit « substantiam » in anath. 3°, et « subsistentiam » in 2° et 4° ; econtra in versione Dionysii Exigui, juxta notam apud D-B. 114. — De modo quo vox illa substituta est voci « substantia », qua prius vertebatur ὑπόστασις, cf. de Régnon : *Études sur la S^te^ Trinité*, t. I, p. 223-245 ; Michel : art. *Hypostase*, apud DTC, VII, col. 392.

ὑπόστασις sensu suppositi aut personae [1], — tamen usurpatur saepe, juxta primaevam vocis graecae significationem, sensu sive concreto *substantiae,* sive abstracto actus, quo quid existat per modum substantiae [2]. Hoc sensu, « subsistentia », sicut et « essentia », dicit respectum ad esse, proptereaque in divinis praedicatur singulariter. « Subsistere » enim, hoc sensu, dicit tantummodo existere, non, ad modum accidentium, in alio, sed in se, seu per se, ad modum substantiae (I, q. 29. a. 2 c et ad 2[m]).

3[us] sensus. Apud recentiores, subsistentia intellegitur sensu pure abstracto rationis formalis personae seu suppositi : id scilicet quo natura determinatur ad existendum *in se,* non praecise et formaliter ad modum substantiae, sed ad modum suppositi, id est, independenter et incommunicabiliter. Hoc sensu subsistentia dicitur consistere vel in modo substantiali, vel in ipso actu essendi, vel, ut supra dictum est (n° 222-235), in mera naturae totietate.

250. Jamvero : — A) In *doctrina quae est de fide,* « subsistentia » usurpatur et a S.Thoma intellegitur usurpata sensu 1° : — a) Pro *doctrina fidei,* hoc patet per ipsa documenta supra citata : « subsistentia » ibi adeo ponitur pro ὑπόστασις intellecta sensu « personae », ut unio secundum subsistentiam haud aliud sibi velit ac unio secundum personam [3]. — b) Pro S. Thoma, res est etiam obvia, nam haec eadem documenta ipse interpretatur hoc sensu [4], nec ea invocat nisi ut excludentia, ut haereticam, 1[am] opi-

(1) In 1, *dist.* 23, q. 1, a. 1, ad 5[m] ; *dist.* 26, q. 1, a. 1, ad 4[m] ; I, q. 29, a. 2, ad 2[m]) – Illum aequivocationem vocum « subsistentiae » et « subsistentiae » jam notaverat Anastasius Bibliothec. (apud de Régnon, I, p. 242-243 ; cf. *ibid.*, p. 227-232, quem locum econtra aequivocatio ille habeat apud Boetium, a quo S. Thomas, de vocum significatione, tam multa hausit).

(2) Ita, in specie, ubi vocis sensum definit, non jam ex usu « sanctorum », sed simpliciter ex « proprietate significationis » ejus, prout ponitur pro ὑπόστασις. Sic, in 1, *dist.* 23, q. 1, a. 1 c et ad 4[m] ; *dist.* 26, q. 1, a. 1, ad 4[m].

(3) Ita saltem in conciliis Cp[lanis] (D-B. 216 ; 217 ; 220 ; 292) ; item in *epist.* Joannis II (D-B. 201). Quoad S. Cyrilli anathem. 2-4, res est saltem dubia, nam, ex jam dictis n° 103 et n° 243, ille, ubi agitur de Christologia, voce ὑπόστασις significat potius substantiam concretam. Ab illius aetate ad concilium Cp[lanum] V[m], vocis significatio determinata est paulatim ad sensum praecisum personae.

(4) « Fides catholica... dicit unionem factam esse... secundum subsistentiam seu hypostasim » (III, q. 2, a. 6 c et cf. I, q. 29, a. 2, ad 2[m] : « Sicut nos dicimus in divinis pluraliter tres personas et tres subsistentias, ita Graeci dicunt tres hyposses »).

nionem, quae negat unionem factam esse in hypostasi seu supposito et ponit dari in Christo duas hypostases [1].

B) In argumentatione, econtra, qua statuitur praemissa conclusio: — a) « Subsistentia » intellegitur sensu 2°, id est, sensu qui a S. Thoma distinguitur a sensu occurrente « apud sanctos », et ab eo definitur ex sola significatione vocis. Et, re vera, hoc solo 2° sensu argumentatio potest assumere actum essendi implicari formali notione subsistentiae. — b) Ex illa vero subsistentiae notione non ducitur unitas actus essendi in Christo, nisi assumendo id ipsum, quo quid constituitur existens ad modum substantiae, esse id ipsum, quo constituitur suppositum. Ea porro identificatio abjicitur etiam a thomistis O. P. communiter ut S. Thomae aliena : Capreolum, a quo, aetate scholastica collabente, inducta est, etiam suorum vix ullus secutus est. Et, re vera, subsistentia, qualis definitur a S. Thoma, praescindit a ratione existendi incommunicabiliter [2], non dicit proinde id quo suppositum formaliter constituitur, seu, ut fert recentiorum subsistentiae notio, id quo existitur distincte et incommunicabiliter.

C) Praemissa igitur conclusio nititur tum aequivocatione vocis « subsistentiae » jam a S. Thoma denunciata [3], tum confusione « subsistentiae », qualis, « secundum proprietatem significationis », a S. Thoma intellecta est, cum « subsistentia », qualis apud recentiores intellegitur, ubi inquiritur de ratione formali personalitatis. Hoc porro

(1) III, q. 2, a. 3 c et a. 6 c.

(2) Eam subsistentiae notionem statuit Em. Billot, in tractatu *De Deo trino* (q. 29, p. 424-436), ubi suam de unione praestituit doctrinam. Subsistentiam intellegit id unde relationes divinae habent esse substantiales. Confusionem notionum recte notat Pègues O. P. in suo *Commentaire français de la Somme théologique :* « On remarquera toujours la même confusion du mot subsistence avec l'existence réelle par mode de substance... Dans toute l'argumentation [du P. Billot], le mot subsistence est trop pris dans le sens de simple existence réelle par mode de substance » (II. *Traité de la Trinité,* p. 179 ; cf. item, p. 260-261). De his plura in tractatu *de Trinitate.*

(3) « Quia nomen substantiae, quod secundum proprietatem significationis respondet hypostasi, aequivocatur apud nos, cum quandoque significet essentiam, quandoque hypostasim, ne possit esse erroris occasio, maluerunt pro hypostasi transferre subsistentiam quam substantiam » (I, q. 29, a. 2, ad 2m). « Ut tolleretur malus intellectus, sancti noluerunt uti hoc nomine substantia pro supposito, sicut Graeci utuntur ; sed transmutaverunt et posuerunt subsistentiam » (in 1 dist. 23, q. 1, a. 1, ad 5m).

ultimo — et solo — sensu, subsistentiam « doctrina, quae est de fide », exigit admitti in Christo unicam, proindeque distingui a natura *saltem ratione* [1]. Sed quid illa sit et quomodo sit intellegenda, jam supra dictum est posse determinari ex auctoritatibus proprie theologicis et in specie ex S. Thoma ; minime vero potest erui ex nuda dogmatis formula, quae consideretur ad modum theorematis vel principii cujusdam philosophici, praecisione facta a sensu historico verborum, quibus enunciatur in documentis fidei.

251. II. **Repugnat duarum naturam unicam esse etiam existentiam.** — Hoc enim supponit non tantum essentiam in creatis distingui realiter ab existentia sua qua actuetur, sed etiam unam eamdemque naturam, — humanam in Christo, — posse simul, qua realem, distingui totaliter ab alia, — divina, — et tamen ab hac alia sola habere realitatem suam : existentia enim divina, a qua sola natura humana dicitur habere quod sit realis, identica est cum natura divina a qua realiter ac totaliter distinguitur. Hoc porro ultimum adeo contradictorium esse videtur ut non desint quibus arrideat in genere distinctio realis at tamen improbetur unitas existentiae apud Christum [2].

Et, re vera, aliud est, pro una natura, existere existentia a se quidem realiter distincta at tamen *in se recepta et nullius alius propria*, aliud existere existentia *sibi aliena, in se non recepta*, et *identica cum alia natura totaliter distincta*. Hoc enim inducit :

A) Naturam illam non esse realem seu realitatem non habere nisi ex participata realiter, etsi ineffabiliter, tota realitate naturae divinae,

(1) Unde sic, in forma, solvitur argumentatio : Ex doctrina fidei unio facta est secundum subsistentiam : 1° aut 3° sensu, *concedo* ; 2° sensu, *nego* — Atqui unio secundum subsistentiam est unio secundum actum essendi, nam, juxta S. Thomam, actus essendi est de ratione formali subsistentiae : intellectae 2° sensu, *conc.* ; intellectae 1° aut 3° sensu, *nego*, donec probetur.

(2) Ita imprimis Aegidius Romanus, quem primum certo constat propugnasse realem aliquam essentiae et existentiae distinctionem. Textus videas citatos a Pelster : *La quaestio « de unione Verbi »*, apud *Archives de Philos., vol.* III (1925), cahier 2, p. 230-231 et 240-241. — Cf. etiam Hourcade, in *art. Essence et existence*, in *Bulletin de litt. eccles.* 1903, p. 68 : « La conclusion formulée par nous ne nous solidarise en rien avec les théologiens qui enseignent que, dans le Christ, l'humanité est actualisée par l'existence même incréée du Verbe... Autant la distinction entre les deux principes métaphysiques de l'être nous paraît s'imposer, autant la théorie de l'unité formelle d'existence dans le Christ nous semble contraire soit à la vérité des choses, soit à la pensée authentique de saint Thomas ». Cf. etiam p. 90.

a qua tamen dicitur totaliter distincta. Quod difficile quis apprehendat non esse contradictorium [1].

B) Naturam, quae de se est formaliter pura potentia essendi, existere formaliter quin ullo actu essendi *vere informetur* seu ullum actum essendi *in se* recipiat. Porro hoc etiam contradictionem implicat. Nam, data pura illa potentialitate naturae qua talis, si non informatur vere actu essendi, seu, si non habet vere *in se* ullum actum essendi, non videtur quo jure dicatur vere esse seu esse plus quam potentia pura.

252. **Dicunt** illam *terminari* actu essendi divino. — **At** terminari nequit nisi quod sit ; pro ente mere potentiali, prius est actuari in se quam terminari ad aliud reale praeexistens a se realiter distinctum. Porro, ex hypothesi, natura illa ne secundum intellectum quidem prius actuatur quam terminatur. Non concipitur enim esse actu nisi quatenus concipitur terminata. — **Respondent** non requiri illam prioritatem, et, pro illa potentia, terminari ad esse divinum esse simul *eminenter actuari.* — **At** responsio ea est mere verbalis, siquidem illud esse divinum *non recipitur* ullatenus *in* potentia, quam dicitur actuare, proindeque illam linquit *in se sine actu.* **Addunt** quidem tantam esse virtutem actus divini ut, terminando, idem valeat ac actus creatus qui reciperetur. **At** haec non sunt ad rem : Quaestio enim non est quantum valeat actus divinus *in ordine activo,* sed utrum, in ordine informationis seu *actuationis passivae,* ACTUALE *possit suppleri ab ullo* VIRTUALI. Hoc praecise est quod repugnare videtur : in ratione essendi tam valere *posse esse aut fieri* quam *re vera esse aut fieri.* Quantacumque sit aliqua virtus effectiva, non potest facere ut potentia, *quae de se non habet ullum actum,* actuetur, quin ullum actum habeat aliunde *in se receptum.* Hoc porro ipsum est, quod, in casu, affirmatur : natura humana dicitur

(1) Ita jam ubi agitur in genere de distinctione essentiae realis a *sua* existentia qua, componendo cum ea, dicitur constitui realis : « Il restera toujours à déterminer cette réalité de l'essence contradistinguée de l'existence, ou plus généralement de la puissance contradistinguée de l'acte. Si la première dit limite du second et n'est formellement comme puissance que cela, comment et à quel titre propre pourra-t-on la dire *réelle* dans son ordre et capable de composer réellement ? — [On répond] : Dire que la réalité de la Puissance lui vient de l'acte, ce n'est pas dire que la Puissance doit à l'acte d'être la Puissance, ce qui serait une absurdité, mais d'être réelle. Fort bien ! mais encore une fois, comment une réalité pourra-t-elle composer *réellement* avec ce qui la constitue FORMELLEMENT réelle ? Ce n'est peut-être pas inintelligible, mais comment le justifiera-t-on ? ». P. DESCOQS : *Essai critique sur l'hylémorphisme,* p. 151 — A fortiori valent haec de essentia, quae constituatur realis ab existentia non sua, sed alterius essentiae, a qua maneat, etiam ut realis, totaliter distincta.

non habere de se nec aliunde *recipere in se* ullum actum et tamen ita se habere *quasi* actum *in* se receperit [1].

253. III. **Repugnat naturam Christi humanam esse creatam nec tamen habere ullam existentiam creatam.** *Hoc enim implicat eamdem naturam esse creatam simul et increatam.*

CREATAM, quia haud aliter ac nostra illius anima facta est ex nihilo. Cf. dictum S. Leonis citatum supra n° 245. Consentit S. Thomas « *Humana natura creatura quaedam est* » (q. 2, a. 7 c). « Quia unio... non habet *esse reale* nisi in *natura creata*,... consequens est quod habeat *esse creatum* » (ad 2[m]). « Hoc nomen homo, secundum quod accipitur pro Christo,... significat *naturam humanam, quae incepit esse* » (q. 16, a. 9, ad 3[m]; cf. c. Item *in* 3, *dist.* 11, q. 1, a. 2 et 3 ; c. *Gent.* IV. 48).

INCREATAM, quia hoc omnino sequitur ex eo quod *non habeat* ULLUM ESSE CREATUM. Etenim natura, *cujus* UNICUM ESSE *est increatum*, **non potest dici creata ex ullo capite :**

A) Non ex eo quod natura *prius* creetur quam ad Esse divinum conjungatur, siquidem exinde sequatur illam actuari seu habere esse aliunde ac ex unione : quod, ex hypothesi, excluditur [2].

(1) **Invocatur** exemplum **visionis beatificae**, in qua intellectus humanus dicitur actuari ipsa essentia divina, quae se illi immediate ut objectum cognoscendum communicat. — **At :** 1° Mysterium hoc est quod fide docetur ; aliud vero fide tacetur. Illegitime porro ex realitate alicujus mysterii arguatur ad realitatem alterius 2° Disparitas praeterea est maxima. Nam, in visione beatifica, potentia quae actuatur est potentia *activa*, multipliciter *jam actuata*, et quae ab essentia divina actuatur, *non ad essendum* simpliciter sed ad *agendum* ; unio proinde non exigitur nisi ea quae sit cogniti ad cognoscentem, nec praesupponit unius ad alterum proportionem entitativam. In Incarnatione vero, potentia, de cujus actuatione agitur, est *de se pura potentia passiva*, omni omnino actu destituta, quae actuari debet in ordine entitativo, et tamen nullam entitativam proportionem habet ad actum quo dicitur actuata. Congeruntur igitur in hoc casu impossibilitates, quae in alio non dantur.

(2) Non omnino quidem Salmanticenses hoc excludi volunt. Imaginantur « existere », quod dicunt « viale » seu medians « inter purum nihil et ens existens », indeque ducunt humanitatem Christi, pro priori ad unionem, « habuisse aliquam actualitatem », qua jam « inciperet esse extra aliquas causas » etsi non « adaequate extra omnes ». (*Disp.* 8, *dub.* 3, n° 98). At, hoc est pasci verbis. Ubi agitur de creanda anima, -- quae sola in Christo creatur, — ejus « existere viale » inexcogitabile est. Cum fiat ex nihilo simpliciter, repugnat ***actualitas***, qua jam sit ***extra causas aliquas*** et ***nondum extra omnes***. Saltem pro creatura spirituali non datur medium inter nihilum et existentiam. Si qua igitur actualitate jam sit extra causas suas, jam simpliciter ex nihilo facta est seu creata ; jam in actu existendi est proindeque jam actum seu esse creatum habet, nam ***« ens actu sine actu implicat contradictionem »***. (I, q. 66, a. 1 c).

254. B) Non ex eo quod *actio conjungendi* cum Esse divino sit *actio creandi*, nam, ut probat Gonet (*disp.* 6, a. 4, n° 77-80), aliud est creari, aliud conjungi Verbo : a) Creari praesupponitur τῷ conjungi : conjungi enim non est nisi animae jam creatae et jam corpus informantis. — b) Praeterea, actio creativa realiter distinguitur ab actione, quae non est creatio. Porro assumptio ad Esse Verbi non est creatio, siquidem non est ex nihilo sed ex praesupposito subjecto, id est, ex praesupposita natura quae assumitur. — c) Tandem specifice differunt actiones, quarum termini formales specifice differunt. Porro terminos formales hic specifice differre manifestum est, siquidem creationis terminus formalis est ipsa anima ducta simpliciter ex nihilo, conjunctionis vero seu actionis unitivae terminus formalis est, ex hypothesi, existentia divina communicata animae.

Dicas haec distingui tantum ratione. — **At** hoc sufficit ut inducatur contradictio in ipso modo intellegendi. Nam creari saltem praeintellegitur τῷ conjungi. Propterea dicit S. Thomas carnem, *ut quoddam ens,* praeintellegi suae animationi, carnis vero animationem praeintellegi unioni cum Verbo : « Prius intellegitur caro *ut quoddam ens,* quod habet a Verbo, quam ut animata, quod habet ab anima... Prius secundum intellectum oportet quod caro uniatur animae quam Verbo ». — Quo sensu vero caro habeat a Verbo quod sit « *quoddam ens* », ipse explicat per unionem distinctam ab unione hypostatica, per eam scilicet qua omnia entia ponuntur et conservantur in esse : « *Verbum Dei prius intellegitur unitum carni quam anima, per modum communem quo est in ceteris creaturis, per essentiam, potentiam et praesentiam. Prius tamen dico non tempore, sed natura : prius enim intellegitur caro ut quoddam ens, quod habet a Verbo...* » (III, q. 6, a. 4, ad 3^{m}). — Jam igitur praeintellegi nequit creari ullius naturae quin praeintellegatur illius aliquod esse actu, siquidem creari est fieri actu ex nihilo. Ex hypothesi tamen, anima humana debet praeintellegi destituta omni esse seu omni actu cum conjungitur. Ergo debet praeintellegi simul ut sine ullo actu et cum actu ex nihilo accepto.

255. C) Non ex eo quod, pro natura humana, *accipere Esse divinum* sit *creari*, nam « accipere » non potest intellegi nisi de natura, quae vel jam praeexistat vel tunc creetur quando accipiat : secus enim dicas accipere naturam mere possibilem, quae, cum nihil sit extra causas, non sit proxime apta ad quidquam accipiendum.

Porro, si jam existit, ergo jam creata est et habet esse creatum. Creari enim non est, quo non accipiatur esse. [1]

Sin autem nondum existit, sed tunc intellegitur creari quando dicitur accipere esse divinum, illud *creari*, etsi *simul* est ac illud *accipere*, vel ab illo *distinguitur realiter vel non*. Si realiter distinguitur, habet effectum formalem realiter distinctum, et tunc redit argumentatio praemissa : dat esse creatum. *Si non distinguitur, ergo non est creari naturae,* nam creari, pro omni ente, est habere esse ex nihilo seu esse novum. Ex hypothesi porro, naturae humanae nullum est esse novum seu ex nihilo, siquidem actio conjunctiva admittitur terminari ad esse divinum praeexistens [2]. Ergo naturae divinae non est creari ullum.

Volunt quidem illam creari, quatenus natura possibilis, cui communicetur illud esse praeexistens, eo ipso fiat ex nihilo. At hoc excluditur ipso modo, quo, in systemate distinctionis realis essentiae et existentiae, essentiae seu

(1) « Hoc enim [id est, esse in actu], creatio importat. Creationis enim terminus est ens actu ; ipsum autem quod est actus est forma. Dicere igitur... ens actu sine actu implicat contradictionem » (I, q. 66, a. 1 c).

(2) Hoc aperte fatetur Capreolus : « Non oportet quod creatio animae Christi terminetur ad aliquod esse existentiae per se, et seorsum correspondens ipsi animae, sed ad esse suppositi divini. Nec est inconveniens aliquam *novam* productionem terminari ad esse *antiquum*.... Nec est de ratione productionis quod per ipsam aliquod novum producatur. Sufficit enim communicatio esse sine ejus productione » (*Dist.* 6, q. 1, a. 3, 1, ad 3^{m} : Ed. Pègues, p. 117^{a}). – Item Billot, qui totum mysterium vult explanari exemplo corporis, quod crearetur alicui jam praeexistenti animae. Sicut tunc, « antiqua animae existentia inciperet ei corpori acquiri, [quatenus] materia, proprii actus essendi incapax, produceretur a Deo ut communicata ad praesubsistentem formam » (ed. 3^{a}, p. 129), ita, in Christo, ut natura dicatur creata non requiritur ut actuetur existentia creata sed sufficit ut « secundum suam essentiam sit educta de nihilo » (p. 139). Porro hoc fit, natura scilicet humana producitur a Deo eo ipso quod communicatur ad Verbum : tunc enim « ex Verbo habet actualitatem sustentationis extra causas, id est, actualitatem existentiae » (p. 137). Esse Verbi « gerit vices alterius comprincipii sine quo natura creata extra causas constare nullatenus potest. Supplet tamen eminentiori modo,... sustentando naturam creatam » (p. 128).

Apta sane comparatio ad explanandum modum quo, in illa sententia, intellegitur naturam humanam uniri Verbo praeexistenti, at qua nullatenus edocemur quid sit istud *creari corporis* antiquae animae conjungendi, quid naturam *educi ex nihilo secundum suam essentiam, quin ullum esse novum acquirat*. Hoc tamen praecise inquirebatur. Nec magis ad rem est dicere Verbum sustentare eminentiori modo extra suas causas naturam creatam. Quaestio non est de natura jam creata sustentanda, sed de illa ipsius creatione qua ponatur extra suas causas. De hoc nihil.

naturae intelleguntur creari. In illo enim systemate, id quod creatur *simpliciter* est ipsum compositum, ita ut is sit creationis *terminus adaequatus*. Equidem componentia etiam, scilicet essentia et existentia, dicuntur singula aliquo vero sensu produci et creari ; at non producuntur hoc sensu quod utrumque sit *terminus formalis* actionis creativae, seu hoc sensu quod utrumque *attingatur directe et immediate* actione productiva ; producuntur tantum hoc sensu quod *essentia actuetur existentia formaliter ex nihilo producta*. Existentia igitur, in creatione compositi, est sola terminus directus et immediatus, seu formalis, actionis creativae, et essentia eatenus tantum creatur quatenus recipit, ut actum suum, existentiam seu esse formaliter creatum [1]. Hoc autem posito, jam non est cur humana natura, in Christo, dicatur creata : esse enim, ex cujus quasi informatione dicitur existere, non est creatum.

Aliis verbis : Quando aliquid non fit vere nisi ex participato alio quod proprie et formaliter fiat, si istud aliud nullo modo fit, illud aliquid omnino non fit. Porro, ex hypothesi, natura humana ideo tantum posset dici fieri quia participaret actum essendi formaliter factum. Ergo, dato quod non participet hujusmodi actum, omnino non fit.

(1) Hoc sensu intellegunt dicta S. Thomae : « Creatio non respicit naturam vel essentiam nisi *mediante actu essendi*, qui est primus terminus creationis » (*In* 3, *dist.* 11, q. 1, a. 2, ad 2[m]). « Fieri ordinatur ad *esse* rei » (I, q. 45, a. 4c). « Omnis actio potentiae activae terminatur ad *esse* » (*De pot.* q. 1, a. 3c). Alibi S. Thomas explicat « non solum *esse* sed etiam *quidditatem* dici creari », quia « *quidditati esse attribuitur* » : quo significat quidditatem secus non posse dici creari, nam, pergit, « antequam *esse* habeat, *nihil est, nisi forte in intellectu creantis* » (*De pot.* q. 3, a. 5, ad 2[m]). — Ad rem cl. HOURCADE, in art. *Essence et existence* : « Le terme propre et formel de la causalité créatrice n'est pas l'essence ou la nature en tant que telle, celle-ci ne relevant directement ni de la volonté, ni de la puissance de la cause première, mais seulement de son essence en tant que vraie et intelligible, et, tout de même, la création active est, de par son activité la plus formelle, *productrice d'un être entièrement neuf*, tandis que, en vertu même du lien qui la rattache a l'essence divine, l'essence participée, substratum de l'existence, est éternelle et immuable.

« Ce terme consiste donc adèquatement dans l'essence en tant qu'existante, et, dès lors, l'acte créateur, atteignant le composé même de puissance et d'acte, en tant que tel, est cause de l'essence sous le rapport où il la fait passer à l'actualité, et de l'existence sous le rapport où elle actualise son sujet. Car il est impossible que le composé, dans son être formel, soit terme de l'opération, si celle-ci n'est pas tout ensemble cause efficiente de chacun des principes du composé, considérés toutefois non isolément mais en fonction l'un de l'autre. Il est donc nécessaire que, *dans tout être créé, l'existence, elle aussi, soit créée*, non sans doute comme ce qui existe, mais comme ce par quoi un être existe » (*Bulletin de litt. ecclés.* 1908, p. 69).

256. 4° **Confirmatur ex comparatione cum doctrina Ekardi damnata anno 1329.** — Quod enim ista sententia profitetur de natura humana Christi, id ipsum Ekardus admittebat de omni creatura [1].

Posita scilicet distinctione reali essentiae et existentiae, seu entis et ejus esse, et confusione facta inter Esse in communi et Esse Dei, asserebat nullum Esse dari praeter Esse Dei [2] ; entia propterea aiebat se habere ad illud Esse sicut potentiam ad actum[3], ita ut creaturae non haberent ullum aliud esse ac ipsum Esse quod Deus est [4]. Quod quomodo « non tolleret rebus esse, nec esse rerum destrueret sed statueret, declarabat... in exemplis » ductis ex «materia et forma», ex «partibus et suo toto», ex «homine assumpto a Verbo» [5].

Jamvero exinde sequebatur : A) Creationem non esse ullam nisi apparentem, siquidem nihil esset formaliter *ab* alio [6]. — B) Res seu entia, quae dicuntur creata, quatenus contradistinguuntur a Deo, nihil esse reale, seu manere entia mere possibilia : « *Divisum ab Esse et distinctum necessario nihil est : nihil enim tam nihil quam divisum ab Esse* » [7]. — C) Creaturas,

1) Demonstrationem dat Denifle O. P., analysi facta operum Ekardi latinorum, apud : *Archiv. für Litteratur — und Kirchengesch. des Mittelalt.* t. II (1886), p. 502 et 518. — Quam confirmat declaratio ab ipso Ekardo facta articulorum sibi objectorum a judicibus Coloniensibus anno 1326. Textum edidit Daniels : *Eine lateinische Rechtfertigungsschrift des Meister Eckhart*, apud *Beiträge zur Gesch. der Philos. des Mittelalt.* XXIII. 5 (1923).

(2) Denifle, *loc. cit.* p. 489-492 et 494-495. — (3) *Ibid.* 498-499.

(4) Ibid. 496. Hinc sensus fundamentalis et Ekardo proprius, quo admittit omnes creaturas esse in Deo : « Weil das Esse, das die Creatur in der Schöpfung erhielt und zu dem Gott die Creaturen aus dem Nichts rief, das Esse ist, welches Gott ist ». (p. 497). Concludit propterea Denifle Deum apud Ekardum haberi ut *esse formale* creaturarum : « Gott verhält sich als esse zur Creatur, wie der Act zur Potenz, die Form zur Materie, die Einheit zur Zahl : Die Creatur und Gott bilden ein Constitutum ». (p. 499-500).

(5) « Primum sic. Constat, quia materia *nullum esse* affert composito, nec habet ex se esse aliquod penitus praeter esse illud, quod dat forma composito ; nec tamen propter hoc dicimus materiam esse nihil... Rursus partes singulae nichilum esse prorsus afferunt suo toti, sed pocius totum suum esse accipiunt a suo toto et in suo toto.... Rursus tertio *in homine assumpto a Verbo* concedimus unicum esse personale ypostaticum ipsius Verbi, et nichilominus Christus verus fuit homo univoce cum aliis hominibus » (*Opus propositionum : proœmium, apud* Denifle, *loc. cit.* p. 546^{25}-547^{15}).

(6) « Das esse ab alio ist unter diesem Gesichtspunkt doch nur ein Scheinesse ; als das eigentliche Substrat desselben erscheint weniger die geschöpfliche Wesenheit als vielmehr das Esse Dei, das die Actualität und Realität des Esse der Creatur ist ». (Denifle, op cit., p. 518).

(7) *Ibid.* p. 516. Hinc propositio damnata 26^a : « *Omnes creaturae sunt unum purum nihil : non dico quod sint quid modicum vel aliquid, sed quod sint unum purum nihil* » (D-B 526 ; C. 620).

quae dicuntur, identificari, qua reales, cum ipso Esse Dei seu non distingui a Deo : « Sine Ipso et ab Ipso distinctum nihil est aut esse potest : quod clarissimum est, si loco Dei accipiamus Esse : Deus enim est Esse [1]. Constat autem quod Esse est indistinctum ab omni quod Est et quod nichil Est nec Esse potest distinctum et separatum ab Esse [2] ». « Deus est indistinctissimus ab omni et quolibet creato. Nichil tam indistinctum quam ens et Esse, potentia et actus ejusdem, forma et materia. Sic autem se habet Deus et omne creatum » [3]. — D) Verum proinde induci pantheismum aliquem [4].

Ergo sententia, quae de humana Christi natura idem profitetur quod Ekardus de singulis creaturis, inducit pro illa easdem consequentias [5] : eam scilicet, qua realem, non creari nisi apparenter, aut, si contradistinguitur a Deo, esse nihil ; eam, aliis verbis, vel identificari cum natura divina, cujus totam realitatem participet, vel non esse nisi apparentem, ita ut inducatur in Christo vel monophysismus vel merus docetismus [6].

(1) Quod saepe repetit : cf. v. gr. op. cit. p. 545^{14} ; 546^{13-11} ; 549^{27}. In sua *Justificatione*, exponit « hoc verum esse de esse absoluto, non de esse formaliter inhaerente ». (Apud Daniels, *op. cit.* p. 9^{25} ; 10^{2}). At eam distinctionem, quae apud scholasticos communis est, Denifle jam ostenderat ab Ekardo frustra invocari (p. 489-490).

(2) *Ibid.* 494-495.

(3) *Ibid.* 498-499.

(4) Non hoc sensu quod Ekardus identificaverit essentiam Dei et creaturarum, quae habendae fuerint ut illius determinatio aut portio, sed hoc sensu quod Esse creaturarum sit ipse Deus : « Eckehart ging von der in jeder Creatur bestehenden reellen Unterscheidung des esse von der essentia aus. Was ist das Esse ? fragt er. Esse est Deus, antwortet er... Ausser diesem Esse ist also nichts. Die Creatur hat nur insofern ein Esse, als sie im Esse Gott subsistiert, wie die Materie im Esse der Form, die Teile im Ganzen, *die menschliche Natur in Christo im Esse der zweiten Person*. Das Esse Dei ist das Esse formale omnium : das ist die Consequenz, die sich aus allen Praemissen ergibt. Vom Pantheismus ist also Eckehart keineswegs frei zu sprechen ». (*Ibid.* p. 518-519).

(5) Quae manerent eaedem, etiam si per Ekardi justificationem constaret eum non ea omnino sensisse quae per ejus opera Denifle intellexit. Quas enim conclusiones Denifle duxit, eae sequantur omnino ubi quis admittat creaturas non habere esse aliud ac ipsum Esse divinum.

(6) Non est cur consequentiis istis immoremur ; sed nemo non videt pantheismum, quem Denifle affirmat fuisse Ekardi, eum ipsum esse quem Valensin putat fuisse Spinozae. (Art. *Panthéisme* in DAFC. III. 1305-1306). Haud mirum igitur pantheismum hujusmodi apparere difficile expugnandum eis qui admittant humanam Christi naturam, quamvis realis sit substantia a substantia divina realiter distincta, tamen non habere esse nisi ipsum esse divinum. (ibid. et 1326-1327).

Cum igitur ea ipsa sit repugnantia, quam argumenta praemissa denunciabant in ista sententia, ex doctrinae Ekardi reprobatione haud parum confirmantur.

257. 5° **Evincitur tandem quia repugnat non tres personas assumpsisse naturam humanam ubi triuni tamen admittitur communicatam esse existentiam.** Haec enim duo contradictionem omnino involvunt. Nam trium personarum existentia est unica. Posito igitur illam communicari naturae humanae, jam non est cur illa natura dicatur habere esse unius personae potius quam aliarum, seu esse naturam unius potius quam aliarum.

A) Hoc jam probatum est supra (n. 188-192) *contra eos qui tenent subsistentiam constitui formaliter et adaequate ipsa existentia*, ita ut unio hypostatica consistat formaliter in communicatione existentiae. Cum, ut ibi statutum est, ne ratione quidem distingui possit existentia unius personae ab existentia alterius [1], communicatio formalis existentiae cujuslibet personae est necessario communicatio formalis existentiae aliarum. Dato igitur unionem hypostaticam consistere formaliter et primario in illa communicatione, seu personam uniri hypostatice ratione suae identitatis cum existentia sic communicata, sequitur omnino omnes personas uniri hypostatice quae cum illa existentia identificantur. — Aliis verbis natura humana assumpta est ad tres personas, ex quarum esse communi habet existere simul et subsitere.

B) Contra eos qui, cum Gonet, Billuart et thomistis O. P. in genere, tenent *subsistentiam consistere*, non in existentia, sed *in modo substantiali*, qui suppleatur in Christo relativa Filii subsistentia, argumentum non procedit eodem modo. Illi imo putant se vim ejus effugere, siquidem tenent unionem hypostaticam non consistere formaliter

(1) Distinctionem audi rationis ratiocinatae, seu cum fundamento in re, qualis datur inter naturam seu existentiam et relationes personarum constitutivas. — Plura de his videas supra n° 180. — Nec fingas existentiam ideo posse agnosci singulis personis propriam, quia singularum relationum, quibus personae constituuntur, sit « esse in » proprium, siquidem hoc falsum est. Nam « esse in », prout apud singulas personas consideratur distinctum ab « esse ad », non exhibet menti nisi id unde singulae relationes sint aliquid seu substantiales sint. Hoc autem est formaliter apud singulas idem. « Ipsa relatio, ait S. Thomas,... in quantum est relatio, non habet quod sit aliquid, sed solum quod sit *ad* aliquid. Quod sit vero aliquid secundum rem, habet ex illa parte qua *inest*, vel ut idem, sicut in divinis, vel ut habens causam in subjecto, sicut in creaturis. Unde, cum id quod est absolutum communiter sit in Patre et in Filio, non distinguuntur secundum aliquid sed secundum ad aliquid » (*De pot.* q. 2, a, 5 c).

et primario in communicatione existentiae. Et, re vera, non ex hoc capite in illud impingunt.

At iidem admittunt et admittere debent subsistere non esse adaequatum nisi per ipsum existere [1], ita ut in Christo humana natura non subsistat actu seu adaequate nisi quatenus habeat esse divinum, quod illi admittunt esse absolutum proindeque tribus formaliter commune. Hoc autem posito, sequitur: — a) naturam humanam assumi formaliter ad esse commune [2], proindeque ad tres personas a quibus, eodem titulo, habet subsistere adaequatum ; b) eam imo assumi ad esse divinum qua est esse naturae, siquidem esse commune seu existentia absoluta ne ratione quidem distinguitur ab esse naturae seu ab essentia divina ; — c) eam, ut in argumento primo dicebatur, non habere esse nisi ex natura divina, proindeque duarum naturarum induci unionem substantialem.

258. 6° Evacuatur objectio quae quam maxime fucum multis facere solet.

DICUNT in ea sententia melius manifestari quanta sit Christi unitas, quantoque jure dicatur : Verbum est homo. Tanta est compenetratio personae et naturae ut optime intellegatur operationes humanas esse tamen Dei. In praemissa econtra sententia unionem induci mere extrinsecam, per meram quasi adhaesionem vel applicationem aut juxtapositionem naturae ad personam ; comparationes propterea desumi tantummodo ex conjunctionibus quae dantur in compositis materialibus aut artefactis.

RESPONDETUR : A) Utique unio, in illa sententia, apparet valde intima. At etiam apud Apollinaristas aut Monophysitas unio apparebat intimior quam apud catholicos : num propterea verius sapiebant ? Quaestio igitur est tantum utrum unio statuatur qualem requirit dogma et Ecclesia semper intellexit. — B) Reddenda sane ratio est cur « Verbum sit homo ». At caveas ne formula tibi sapiat quasi « Verbum constituat hominem ». Formulae sensus rectus est : Verbum est habens humanitatem ; habet in se humanitatem ; est

(1) « Subsistere adaequate sumptum est ipsummet existere per se.... Plus dicit subsistere, si adaequate sumatur, quam subsistentia [formaliter et simpliciter sumpta] ; subsistere enim importat simul subsistentiam et existentiam » (BILLUART, *dissert.* 17, a. 2, *ad obj.* 2[m]).

(2) Econtra S. THOMAS : In Christo « creatura attingit ad ipsum Deum... secundum esse, non quidem *prout est esse essentiae,* quia creatura non potest transire in naturam divinam, sed *secundum quod est actus hypostasis* vel *personae* ». (In 1, *dist.* 37, q. 1, a. 2 c). Existentia autem divina, quid est aliud ac « esse » divinum « prout est esse essentiae » ?

suppositum, subjectum quod humanitatis. Nullo recto sensu intellegi potest esse quidquam humanitatis ipsius. — C) Tanta utique inducitur compenetratio ut quasi absorptio sit humanitatis et vix appareat quid realitatis maneat humanae naturae. Periculum igitur maximum est ne natura humana in Christo jam non concipiatur nisi ut ens metaphysicum et potentiale, cujus, quâ talis, consistentia in natura rerum multis videatur mere fictitia et verbalis. Hinc forte est cur tam multis Christi, quem dicunt Chalcedonensem, humanitas videatur evacuata ut non retineatur nisi divinitas [1].

D) Quoad aliam econtra sententiam judicandam, sedulo advertas:

a) In omni sententia tenendum est unionem esse, ex parte Verbi, **meram relationem,** et quidem rationis tantum, illi in tempore advenientem.

b) **Verba et comparationes** adhibentur ea ipsa quae in hac materia consueta sunt apud omnes Ecclesiae doctores et in specie apud S. Thomam: α) Quoad verba quibus definitur unio, cf. v. gr. *Compend. Theol.*, cp. 211: « Quanto aliquod agens est majoris virtutis, tanto magis *sibi applicat ali-*

(1) Querela ea est apud hodiernos protestantes haud raro occurrens contra suarum ecclesiarum traditionalem christologiam. Cf. v. gr. A. Sabatier : *Esquisse d'une philosophie de la religion* l. II, ch. 2, § 1, p. 179 ; G. Birney Smith : *Significance of the humanity of Jesus* apud *The american Journal of Theology*, april 1920, p. 191 sqq. Recentius, apud Anglicanos, denunciatus est Apollinarismus ut haeresis hodie latissime saeviens.

Nec periculum abest a catholicis. Cf. opportune notata a cl. Masure in *Revue Apologétique*, 15 9bre 1924, p. 214-215 : « Ce serait une illusion que de prendre pour des erreurs mortes ces hérésies aux noms lointains... [Même] parmi nous beaucoup de catholiques nuancent leur vision du Christ de reflets... où se mêlent, on oserait presque dire, où dominent des ombres nestoriennes et surtout monophysites. Le monophysisme est la tentation ordinaire des âmes pieuses. Le Christ qu'elles adorent et qu'elles prient, c'est, comme elles disent, *le Bon Dieu*. Et elles entendent par là Dieu faisant plus ou moins semblant d'être homme pour se tenir à notre portée. etc... ».

Nec ea est rudium tantum tentatio. Quid sibi volunt, apud scriptores optimae notae, formulae hujusmodi ? « La vie du Christ... s'est manifestée à nos regards par les états et les mystères, les vertus et les actes de sa sainte humanité. *Humaine dans son expression extérieure, la vie du Verbe incarné est toute divine dans son origine*... La nature humaine est enracinée dans la divinité. C'est une activité humaine, bien humaine, bien authentique, qui se manifeste en Jésus ; mais elle a son principe ultime dans la divinité... *Humaine dans son expression extérieure, la vie de Jésus est divine dans sa source et son principe* »... Num forte vitae et activitatis Christi humanae divina Verbi natura ipsa principium sit ? Et hoc quia natura humana subsistentiam habet in persona Verbi, quasi persona sit ipsa principium quo agendi ? Nonne concluditur inconscie ab unico esse ad unicum operari ?

quod instrumentum ad aliquod opus perficiendum... Ita... sibi *univit naturam humanam* Christus, quasi *organum quoddam* ad humanae salutis effectum... Divina natura... *sibi assumpsit* per quamdam ineffabilem unionem humanam naturam » (Cf. etiam *cont. Gent.* IV. 41). — β) Quoad comparationes, satis sit revocare in memoriam comparationem manus, brachii, vel pedis aut oculi personae jam existenti accedentis, quae toties apud S. Thomam occurrit : cf. v. gr. *Compend. theol.* cp. 211 ; in 3, dist. 6, q. 2, a. 2, ad 1^{m} ; III, q. 17, a. 2 ; q. 2, a. 3, ad 2^{m} ; — comparationem surculi inserti arbori pomiferae : in 3, dist. 1, q. 1, a. 1 c ; — comparationem unionis accidentis cum suo subjecto : *Compend. theol.* cp. 211 ; in 3, dist. 6, q. 3, a. 2, ad 1^{m} ; III, q. 2, a. 6, ad 1^{m} ; — comparationem arcae et partium ejus : *Quodl.* IX, a. 3 c in fine.

Scholion : **De mente S. Thomae.**

259. Illum **excludere simpliciter « esse » creatum** nat. humanae in Christo *affirmant* multi. Nituntur imprimis responso dato, III, q. 17, a. 2, quaestioni : « *Utrum in Christo sit tantum unum esse* « ? Quia responsum videtur eis simpliciter affirmativum et « esse » intellegunt « existere », mens S. Thomae exinde habetur eis ut plene comperta.

Negant econtra alii [1], quibus assentiendum videtur. Jam enim demonstratum est S. Thomam : 1° nullibi repetere defectum personalitatis humanae ex defectu cujuslibet « esse », quod sit naturae connaturale ; — 2° docere naturam humanam in Christo esse creaturam, nec ullibi significare creationem illius intellegendam esse alius rationis ac creationem animae nostrae. Nunc autem addimus :

260. 1. **Certum est « esse », quod** (III, q. 17, a. 2) **dicit manere in Christo unum, intellegi ab eo « esse personale tantum ».** Hoc enim

(1) Imprimis Hervaeus a Nedellec (Hervaeus Natalis), O. P. Magister generalis, quo fovente S. Thomas sanctorum fastis ascriptus est et de quo scribitur : « De l'avis de tous les chroniqueurs, Hervé passait pour l'homme de son temps le plus puissant en philosophie et en théologie » (Mortier O. P. : *Hist. des M. généraux de l'O. des Fr. Prêcheurs*, t. II, p. 531). Vir igitur ille, apud suos doctrina et auctoritate adeo potens, — etsi Ordinis *Capit. generale* Parisiense (1286) « injunxerat ut omnes et singuli fratres... darent operam ad doctrinam venerab. mag. fr. Thomae... promovendam... [ita ut] qui contra fecerint... et aliter sentientes, ipso facto propriis officiis et gratiis Ordinis essent suspensi » (Denifle-Chatelain : *Chartul. Univers. Paris*, t. II, p. 6 et cf. *Capit. gen. Metense* : *ibid.* p. 166) — vir igitur ille de opinione quod « *nat. humana Christi caruerit proprio esse* », judicat : « *Hanc propositionem credo non esse veram nec esse de mente S. Thomae* » (Citatum a Pelster : *la question « de unione Verbi »*, apud *Archives de philos.*, t. III (1925), cahier 2, p. 238 ; cf. Dalmau : *De ratione suppositi et personae apud S. Thomam* (Barcelone, Casals, 1923).

manifestum est per analysim illius articuli, in quo distngui debet status quaestionis, principium solutionis et conclusio.

1° STATUS QUAESTIONIS. Oritur ex eo quod, in Christo, etsi ea quae pertinent *ad personam* sunt *unum tantum*, tamen ea quae pertinent ad naturam necesse est quod sint *duo ;* esse vero pertinet non tantum ad personam sed etiam ad naturam. Non eodem quidem modo esse pertinet ad utramque, nam ad hypostasim tantum pertinet ut « ad **id quod habet** *esse* » ; ad naturam non pertinet nisi ut « ad id *quo* **aliquid** *habet esse* » : sed, si praescindatur ab illa differentia, manifestum est dari in Christo non unum esse tantum. Quaestio propterea stat posita : *utrum et quo sensu, etsi duplex est esse naturae, admitti possit aut debeat in Christo unum esse tantum.*

2° PRINCIPIUM SOLUTIONIS DUPLICI GRADU EXPONITUR : — A) *Praemittitur distinctio τοῦ esse, quod in una re multiplicari potest, et τοῦ esse, quod impossibile est in una re multiplicari :* — a) Multiplicari potest esse « formae vel naturae, quae *non pertineat ad* ESSE PERSONALE hypostasis subsistentis ». — b) Multiplicari in una hypostasi vel persona impossibile est « illud esse *quod pertinet ad ipsam hypostasim vel personam secundum se* », et ratio est « quia impossibile est quod unius rei non sit unum esse »[1]. — B) *Indicatur ratio cur praesentia in Christo secundae naturae, ad quam, « ut quo », esse pertineat, non multiplicet illud esse quod pertinet ad hypostasim seu esse personale.* Ea ratio est quod natura humana unitur seu advenit Filio Dei « *hypostatice vel personaliter* », et *non*, ut voluit TERTIA illa olim OPINIO, « *accidentaliter* »[2]. Hinc enim haud magis apud Christum multiplicatur esse Filii, qua Filius Dei est, quam apud Socratem, ex praesentia aut accessione animae, corporis, capitis vel manus, multiplicatur esse Socratis qua Socrates est : haec enim omnia pertinent aut accedunt ad Socratem, non accidentaliter, sed hypostatice.

3° CONCLUSIO sequitur, quae — a) revocat rationem propter quam accessio naturae in Christo non multiplicat esse quod est unicum ; — b) et repetit esse illud, quod manet unum, esse personale. « Sic igitur, cum

(1) « Esse », ut patet, « quod pertinet ad hypostasim », siquidem illud est quod dicitur non posse multiplicari in una hypostasi. Cf. q. 19, a. 1, ad 4[m] : « Esse pertinet ad ipsam constitutionem personae,... et ideo unitas personae requirit unitatem ipsius esse *completi et personalis* ».

(2) Ad modum vestis vel indumenti (Cf. q. 2, a. 6 c et ad 1[m] ; *in* 3, *dist.* 6, q. 2, a. 2 c et q. 3, a. 2). Tunc enim haberetur, ut patet, non tantum duplex esse substantiale independens, suppositum scilicet vestiti et vestimenti ipsius, sed etiam esse accidentale vestiti, qua vestiti, distinctum ab ejus esse personali, siquidem esse vestitum non magis pertinet ad ipsum esse personale quam esse album aut esse musicum.

« humana natura conjungatur Filio Dei hypostatice vel *personaliter*,... et « non *accidentaliter*, consequens est quod, secundum humanam naturam « non adveniat ei *novum esse personale*, sed solum nova habitudo *esse* « *personalis* praeexistentis ad naturam humanam ».

Ergo esse, quod in Christo manet unum tantum, est esse quatenus pertinet ad hypostasim seu *esse personale* ; et manet unum tantum, non propterea quod secundae naturae simpliciter desit esse, sed quia illa seu ejus esse ita conjungitur personae Filii ut ipsa non sit persona.

261. Quod confirmat RESPONSIO AD 1^m. Ibi enim conceditur quod ferebat objectio, scilicet « in Christo multiplicari ea quae consequuntur naturam, et esse consequi naturam », ita ut, sub hac ratione, « esse » sit in Christo *duplex* : at explicatur ideo, hoc non obstante, « esse » dici in Christo *unicum*, quia unica est in eo hypostasis, quam « esse » consequatur tanquam « **habentem** esse » : « Et ideo *magis* retinet [Christus] unitatem « secundum unitatem hypostasis, quam habeat dualitatem secundum duali- « tatem naturae ». Hoc autem significat haud magis quidem tolli « dualitatem » τοῦ « esse » quam « naturarum », at vindicari, ut unicum, « esse » praecipuum, seu quod hypostasim proprie consequitur [1].

Eodem sensu RESPONSIO ad 2^m. Ibi quaerebatur qui possit manere in Christo esse unum tantum, cum adsit tum « esse Filii Dei », quod « est **aeternum** », tum esse « hominis Christi », quod « est **temporale** » : duo scilicet videntur dari « esse » suppositorum, seu duo supposita, quae erat indefessa affirmatio primae illius olim opinionis [2]. Explicatio facillima fuisset negare

(1) « Sciendum est quod *simpliciter* et *proprie* dicitur aliquid esse tale, quod est secundum seipsum tale. Dicitur autem aliquid esse secundum seipsum tale, quod est *secundum totum* MAGIS quam quod est *secundum partem*... Et ideo quod convenit alicui *secundum totum*, MAGIS convenit ei *simpliciter* quam quod convenit ei *secundum partem*... Manifestum est autem quod *suppositum* significatur *per modum totius*, *natura* autem *per modum partis*,... et ideo, si aliquod suppositum habeat plures naturas substantiales, erit unum simpliciter et plura secundum quid... Quia igitur Christus est unum suppositum habens duas naturas, sequitur quod sit unum simpliciter et plura secundum quid » (*De unione Verbi*, a. 3 c).

(2) « Licet concederent in Christo unam solam personam, posuerunt tamen aliam hypostasim Dei et aliam hominis » (q. 2, a. 3 c et cf. obj. 2^a). « Concesserunt unam Christi personam, sed posuerunt, sive duo supposita, dicentes *hominem quemdam*.. esse assumptum a Dei Verbo. Et haec est prima opinio quam Magister ponit » (a. 6 c ; cf. q. 4, a. 3 ; q. 16, a. 1 ; a. 2, ad 3^m). « Ponunt in Christo duo supposita et duas hypostases, unum naturae humanae creatum et **temporale**, aliud divinae naturae increatum et **aeternum** » (*Compend. theol.* 210). Cf. etiam expositionem illius opinionis apud Magistrum ; eam exponendo S. Thomas scribit : « Ponit in Christo esse duo ***supposita***, unum creatum, quod est homo, et alterum increatum, quod est Filius Dei » (*In* 3, *dist.* 6, ***divisio textus***).

simpliciter dari in Christo ullum esse temporale, et ita faciunt hodierni. Non ita vero S. Thomas. Subaudita distinctione « hominis » et « naturae humanae », qua nititur secunda, id est sua, opinio, respondet simpliciter « hominis esse » seu suppositum non dari in Christo ; et hoc explicat per assumptionem naturae humanae in unitatem personae a Filio ; eo enim ipso « esse Filii » fit esse hominis : « Dicendum quod illud esse aeternum Filii.. « fit esse hominis, in quantum humana natura assumitur a Filio Dei in « unitatem personae ».

Totus igitur est in excludendo **esse** SUPPOSITI **temporali** ; esse vero temporale, quod sit naturae, qua naturae, nullo modo negat. Quod tibi patebit, si conferas q. 16, a. 2, ad 3^m, ubi eodem sensu ab eisdem objiciebatur esse in Christo *hominem recentem*, siquidem Christus non semper fuit homo. Distinctione pariter facta inter naturam ipsam et suppositum naturae, respondet : « Dicendum quod, *licet humana natura in Christo sit « quiddam recens*, tamen *suppositum* humanae naturae *non est recens « sed aeternum*. Et quia hoc nomen *Deus* non praedicatur de homine ratio- « ne humanae naturae, sed ratione suppositi, non sequitur quod ponamus « Deum recentem ; sequeretur autem si poneremus quod homo supponit « *suppositum creatum*, secundum quod oportet ponere eos *qui in Christo « ponunt duo supposita* » — *Ibid.* a, 9, ad 3^m, distinguit *humanam natu- « ram, quae incepit esse*, » a « *supposito aeterno, quod esse non incepit* ».

262. II. **Certum est eamdem doctrinam proponi 4 aliis locis, in quibus S. Thomas agit ex professo de unico Christi esse** [1]. Quod satis sit demonstrari de duobus, in quibus mentem suam exponit plenius.

1° *Quodlibetum* 9^m, *art* 3 (*Utrum in Christo sit unum esse tantum*), explicat quomodo competat existentia et quibusnam entibus.

A) Praemittitur distinctio duplicis modi, quo « esse », intellectum sensu nostro existentiae [2], attribuitur entibus prout per se subsistunt vel non subsistunt. « Esse dicitur actus entis in quantum est ens, id est, *quo deno-*

(1) Scilicet : *In* 3, *dist.* 6, q. 2, a. 2 (annis 1254-1256) ; *Quodlibetum* 9, a. 3 (1263-1268) ; *De unione Verbi incarnati*, a. 4 (1268) ; *Compendium theologiae*, cp. 212 (1271-1273). — Sic chronologia statuta a DESTREZ O. P. in *Bibliographie thomiste, introd.* et *Mélanges thomistes*. III. PELSTER, *loc. cit.* censet *Quaestionem de unione Verbi* scriptam esse post *Summam*.

(2) Vox ipsa non adhibetur a S. Thoma. ÆGIDIUS ROMANUS, qui fuit ejus auditor, bene dixit « *esse actuale* » distinctum ab « *esse subsistentiae* » : apud PELSTER, *loc. cit.* p. 230-231. — GODEFRIDUS DE FONTIBUS nitide distinguit « esse essentiae », « esse existentiae » et « esse subsistentiae » in suo *Quodlibeto* 8, q. 1 : « *Utrum Christus sit unum vel plura* » : *ed.* Hoffmans, apud *Les philos. belges*, t. IV[1], p. 10-14). In Christo ut dictum est supra (n. 222) admittit duo esse tum essentiae tum existentiae.

« *minatur aliquid ens actu in rerum natura.* Et sic esse non attribuitur « nisi rebus ipsis, quae in decem generibus continentur [1] ; unde ens a tali « esse dictum per decem genera dividitur. Sed hoc attribuitur alicui dupliciter :

« [1° **modo**] *Uno modo*, sicut *ei quod proprie et vere habet esse vel est :* « et sic attribuitur soli substantiae per se subsistenti : unde quod vere est « dicitur substantia.

« [2° **modo**]. Omnia vero quae non per se subsistunt, sed *in* alio et *cum* « alio, sive sint *accidentia* sive *formae substantiales* aut *quaelibet partes,* « non habent esse ita ut ipsa vere sint, sed *attribuitur eis alio modo,* id est, « ut quo aliquid est, sicut albedo dicitur esse, non quia ipsa in se subsistit, « sed quia ea aliquid habet esse album [2].

« Ergo esse proprie et vere non attribuitur nisi rei per se subsistenti ».

Jam igitur constat : a) esse, « quatenus dicitur actus entis... in rerum natura »

attribui { 1° modo : solis substantiis per se subsistentibus ; 2° modo { accidentibus / formis substantialibus et cuilibet parti totius.

— b) falsum esse, quod dici solet, S. Thomae ignotum esse *esse existentiae substantialis* aliud ac *esse suppositi* [3] ; — c) naturae humanae, quae « non subsistat per se sed in alio et cum alio », « esse » non posse quidem attribui 1° modo, seu tanquam « ei quae proprie et vere *habeat* esse vel sit », bene vero posse 2° modo.

263. B) Eam porro consequentiam nunc ducens, exponit ideo in Christo dari tantum unum « esse » primo modo, quia in eo unica est res, cui « esse » competat eo modo. Praenotato enim rei subsistenti attribui tum « *esse resultans ex eis quibus ejus unitas integratur, quod proprium est esse suppositi substantiale* », tum « *esse* [*quod est*] *praeter ea quae integrant ipsum,... scilicet accidentale* », pergit solvendo quaestionem positam :

« Quia ergo in Christo ponimus *unam rem subsistentem tantum, ad cujus*

(1) Substantiis scilicet et accidentibus. Illud « esse » igitur dicitur attribui aliquo modo eis omnibus. Diciter autem non attribui nisi « rebus ipsis » per oppositionem ad « esse » intellectum de copula verbali, quod eodem articulo dicitur « attribui omni ei de quo potest propositio formari ».

(2) Apud Billot (*thes.* 7, § 4, p. 125-126), ubi recitatur hic articulus, nescio cur inserantur quidem quae agunt de « esse », quatenus intellegitur copula verbalis, — quae ad quaestionem positam non pertinent —, omittantur vero ea omnia quae exscripsimus de duplici modo, quo omnibus entibus in rerum natura attribuitur « esse », quatenus « dicitur actus entis in quantum est ens ».

(3) Quod Pelster (*loc. cit.* p. 229) notat esse πρῶτον ψεῦδος, quo nititur interpretatio pseudo-thomistica mentis S. Thomae.

« *integritatem concurrit etiam humanitas* [1], quia unum suppositum est « utriusque naturae, ideo oportet dicere quod **esse substantiale, quod « proprie attribuitur supposito,** in Christo est **unum tantum** ; « habet autem unitatem ex supposito et non ex naturis ».

Luce clarius igitur est « esse », quod vindicatur in Christo manere unicum, intellegi eo modo quo ad suppositum pertinet [2], nec proinde excludi « esse » quo modo partibus etiam attribuitur.

C) QUOD CONFIRMANT EA QUAE SEQUUNTUR : « Si tamen ponatur humanitas a divinitate separari, tunc humanitas *suum* esse habebit *aliud* ab « esse divino. Non enim impediebat quin *proprium* esse haberet nisi hoc « quod non erat per se subsistens ; sicut, si arca esset quoddam individuum « naturale, *ipsa tota* non haberet nisi *unum esse* ; quaelibet tamen partium « ejus ab arca separata *proprium* esse haberet ». — Haec enim intellegi debent juxta praemissa de diverso modo quo « esse » attribuitur *toti* per se subsistenti et *partibus* ejus. « Esse » proinde, quod parti denegatur quamdiu « integrat » totum, et ab ea incipit « haberi » ubi separatur, non est « esse » qualiter competit partibus, sed *qualiter competit toti*. Ubi separatur igitur, dicitur illud jam habere « aliud ab esse » totius, quia jam incipit illud habere ut « *suum* » seu « *proprium* » ; eo enim ipso quod separatur, jam datur, in rerum natura, « esse rei subsistensis » aliud ab ipso quod prius erat : deciso sciliet ab arbore surculo, jam est aliud totum seu aliud « totius » alicujus novi « esse » [3].

264. 2° *Quaestio de unione Verbi incarnati* [4], *a.* 4, doctrinam eamdem resumit dilucide et confirmat, distinguendo explicite in Christo esse « principale » et esse « secundarium ».

(1) Ita ut ex ea, cum non sit ipsa accidens nec uniatur accidentaliter, non oriatur « esse accidentale », quod sit praeter ea quae « integrant » suppositum. — Quo porro modo humana natura « integret » rem subsistentem, quae Christus est, jam aliunde notum est.

(2) Cf. ad 1^m^ : « In Christo est unum esse substantiale, *secundum quod esse est suppositi proprie* ».

(3) Cf. notata supra p. 190, nota 1, de modo quo partes, per separationem, acquirunt « totalitatem », proindeque et subsistentiam.

(4) Haec *quaestio disputata*, quae subjungi solet quaestioni *De anima* , quia nimis aperte contradicit suae, quam volunt esse S. Thomae, opinioni, multis cum Cajetano olim abjecta est ut authenticitate carens. Cf. adhuc BILLOT [3], p. 126-127. At jam communiter agnoscitur esse S. Thomae : cf. MANDONNET : *Des écrits authentiques de S. Thomas*, p. 132-135 ; GRABMANN : *Die echten Schriften des hl. Thomas*. Item DESTREZ, *op. cit.* Plura apud DALMAU, *op. cit.* p. 41 sqq. et praesertim apud PELSTER, *loc. cit.*

Praemittit (*art.* 3), contra 1^am^ illam opinionem, Christum, etsi « potest « dici aliqualiter *unum*, quia est *unum supposito*, et aliqualiter multa, vel « *duo*, quia est *habens duas naturas* », tamen, quia est unum, qua totum seu suppositum, debere dici « *unum simpliciter* et *duo secundum quid* ». (Cf. textum citatum supra p. 221, nota 1) Tunc, (*art.* 4), gressu facto ad quaestionem, « *utrum in Christo sit unum tantum esse* » :

A) Praemittit principia solutionis : **a)** « esse » dici quidem « proprie et vere de supposito subsistente », at etiam « *accidentia et formas non subsistentes dici esse*, » in quantum eis, [id est, per eas], aliquid subsistit [tale vel tale] ; — **b)** formas vero distingui alias, « quibus est aliquid ens non simpliciter sed secundum quid », alias, quibus « res simpliciter subsistens simpliciter habet esse ».

B) Principium solutionis applicat Christo. Cum, in Christo, « suppositum « subsistens sit persona Filii Dei, quae simpliciter substantificatur per « naturam divinam », suppositum illud non « substantificatur per naturam humanam » nisi secundum quid, « in quantum [scilicet] est hic homo, « et « ideo, sicut Christus est **unum simpliciter propter unitatem sup-« positi**, et **DUO** secundum quid **propter duas naturas**, — [cf. « *art.* 3], — ita habet unum esse simpliciter propter unum esse aeternum « suppositi. Est autem et **aliud esse** hujus suppositi, non in quantum est « aeternum, sed **in quantum est temporaliter homo** factum ; quod « esse, etsi non sit esse accidentale, quia homo non praedicatur acciden-« taliter de Filio Dei ; — [ut voluit 3^a^ olim opinio : III, q. 17, a. 2] — non « tamen est **esse principale** sui suppositi sed **secundarium** ».

C) Regressu tandem facto ad 1^am^ opinionem, addit. « Si autem in Chris-« to essent duo supposita, tunc utrumque suppositum haberet **proprium** « **esse sibi principale**, et sic in Christo esset *simpliciter* duplex esse ».

D) Consequenter, objectioni, quae dicebat dari « in Christo **esse divi-num et esse humanum**, quae non possunt esse unum », concedit « quod **esse humanae naturae non est esse divinae**, », at negat exinde sequi quod Christus dicendus sit simpliciter « duo secundum esse », « quia, [ait], non ex aequo respicit **utrumque esse** aeternum suppositum » (ad 1^m^ ; item a. 1, ad 10^m^).

Jam igitur manifestum est quod ex praemissis locis intellegebatur, nempe : a) Ex eo quod solum suppositum dicatur « habere esse vere, proprie et simpliciter », non sequi partes substantiales, quae illud « integrant » secundum quid, non habere et ipsas aliquo modo « esse ». — b) In Christo agnoscendum esse « *aliud esse* » ac ipsum esse aeternum divinae naturae, qua suppositum divinum substantificatur. Quod « aliud esse », etsi secundarium est in Christo, tamen non est « accidentale, neque est merus respec-

tus suppositi ad naturam humanam, siquidem suppositum dicitur habere respectum ad « *utrumque esse* », id est, ad esse tum divinae tum humanae naturae [1]. — c) Naturam humanam, in Christo, etsi illo « esse » gaudet, tamen ideo non esse suppositum quia illud non habet « proprium sibi principale ». — Quam diximus esse S. Thomae doctrinam explicitam quotiescumque quaerit ex professo cur natura humana in Christo connaturali sua personalitate careat.

ARTICULUS II

QUID IN SE SIT UNIO HYPOSTATICA

265. Status quaestionis. Postquam assertum est naturae humanae in unione cum Verbo nihil deesse quod secus adesset, jam quaeri potest utrum quid illi in unione addatur, quod secus non haberet. Responsum in promptu est addi praecise unionem cum Verbo. Haec autem, cum dicta sit esse maximum Dei donum, non potest in se esse nihil. Quid igitur formaliter sit istud uniri cum Verbo jam quaerendum venit.

Quaestio, ut patet, versatur *de unione passiva* seu in suo facto esse, nam unio activa seu in suo fieri considerata jam supra dicta est esse operatio trium personarum ad extra. Passive porro considerata unio est id quod consequitur ad actum conjungendi seu assumendi, id quo natura et Verbum constituuntur conjuncti seu in statu unionis.

De hoc vero, ut seponantur certa ab incertis :

266. I. **Certum** est eam : 1° *non esse qualitatem aut quidquam quo formaliter mediante* — ad modum nescio cujus quasi caementi, calcis aut glutinis — fiat et maneat duorum conjunctio. Nam ea est pura imaginatio et de medio hujusmodi quaestio rediret de modo quo et ipsum duobus uniendis uniretur.

(1) Vana igitur sunt tentamina, quibus qui jam non possunt negare authenticitatem operis, nituntur illius doctrinam ad suam praeconceptam S. Thomae interpretationem contorquere. Cf. Pelster, *loc. cit.* p. 226-228. Ubi S. Thomas loquitur de suppositi respectu ad duo esse (*utrumque esse respicit*), illi identificant secundum esse — ad quod dicitur esse respectus — cum illo ipso respectu. « Qu'est-ce donc [que cet *esse secundarium*] ? C'est l'*esse* de la personne divine,... sous le rapport où elle est devenue homme temporellement. En définitive, qu'y a-t-il de plus ? Un nouveau rapport, un nouvel « in quantum ». (*Rev. thomiste* : janv.-févr. 1926, p. [19]).

De hoc S. Thomas : « In unione naturae humanae ad divinam nihil potest cadere medium formaliter unionem causans, sicut inter materiam et formam nihil cadit medium inesse quod per prius sit in materia quam forma » : secus enim unio esset mediata et tantum accidentalis... « Quamvis assumi in unitatem divinae personae sit supra facultatem humanae naturae, non tamen exigitur aliquid formaliter humanam naturam elevans ad talem assumptionem », tum quia quodcumque additum non tolleret distantiam infinitam quae est inter unienda, tum quia naturae ipsi qua tali convenit assumi immediate (*In* 3, *dist.* 2, q. 2, a. 2, *sol.* 1ª et ad 3ᵐ ; cf. *sol.* 3ª et III, q. 2, a. 10 c et q. 6, a. 6).

2° *Non esse aliquid reale in Verbo :* secus enim Verbum mutaretur realiter. — Quo tamen non excluditur illum mutari virtualiter, quatenus jam ad naturam humanam habet respectum qui, apud alium, esset realis.

3° *Esse relationem* realem ex parte naturae humanae et rationis tantum ex parte Verbi (III, q. 2, a. 7 ; *in* 3, *dist.* 5, q. 1, a. 1, *sol.* 1ª).

Hinc sequitur unionem esse aliquid reale in ipsa natura humana, siquidem ratione unionis natura aliter se habet ac se haberet ; mutatur proinde, seu « melioratur », ut, post S. Augustinum [1], ait S. Thomas, ad modum quo « vestimentum mutatur », ubi « formatur secundum figuram ejus qui induit ipsum » (q. 2, a. 6, ad 1ᵐ).

267. II. **Controversia** igitur non est nisi de mutatione illa, seu de fundamento reali realis illius relationis ad personam, quae datur in natura assumpta.

1° Multi, etiam thomistarum, quos videas apud Salmanticenses (*disp.* 4, dub. 1) [2], qui et ipsi pariter sentiunt, docent fundamentum illud, seu unionem ex qua oritur relatio illa realis, esse aliquid positivi, *modum scilicet substantialem* tum a Verbo tum ab humanitate realiter distinctum [3].

2° Alii, v. gr. Gonet : *disp.* 6, a. 3 ; Billuart : *dissert.* 4, a. 3 ;

(1) *De div. quaest.* 83, 73 (PL 40. 85).

(2) Gonet, *disp.* 6, a. 3, n. 46, in fine fatetur : « In rei veritate, nullus habetur locus in quo formaliter S. Thomas excludat unionem, a natura humana et Verbo unitis distinctam, quae solum sit modus quidam substantialis, qualem valde probabiliter Complutenses et alii recentiores Thomistae inter materiam et formam constituunt ». Ex ejusdem tamen principiis putat modum hujusmodi esse excludendum.

(3) Argumenta apud Muncunill : *De Verbi divini incarnatione,* n. 194 sqq. post Suarez (*disp.* 8, s. 3), qui tamen immerito, ut videtur, intellegitur a discipulis suis quasi modum substantialem tenuerit esse a substantia reali realiter distinctum.

Wirceburg. n. 225 ; Billot : *thes.* 8 ; Pesch : n. 98-104, negant fundamentum seu unionem esse quidquam ab extremis unitis realiter distinctum. Tenent proinde solum fundamentum relationis realis esse statum naturae humanae consequentem ad suam cum Verbo conjunctionem. Reale igitur est illud fundamentum at non distinctum saltem realiter a natura unita, sicut fundamentum relationis realis creaturae ad creatorem non est ab ipsa creatura realiter distinctum.

268. III. **Judicium controversiae.** — His potius assentiendum videtur, assignando tamen explicite ut causam realem istius relationis ipsam *actuationem potentiae obedientialis* naturae assumptae a Verbo assumente. Illa enim actuatio est qua formaliter natura fit Verbi, constituitur unita Verbo, in illo solo subsistens seu ab illo in ratione hypostasis ita dependens ut jam non sit tota in se et divisa a quolibet alio ; ea pariter est qua quam maxime nobilitatur, quin tamen, ut natura simpliciter, ullo modo mutetur aut amittat quidquam positivi quod secus haberet [1] ; ea tandem est qua quam optime significatur munus hypostaticum Verbi quoad naturam humanam referri, demptis imperfectionibus, — non quidem ad speciem *causae efficientis*, quasi Verbum influxu suo naturam sustentet in esse seu faciat simpliciter esse extra suas causas in rerum natura, — sed potius ad speciem *causae informantis* ; quamvis enim non datur ibi ulla informatio proprie dicta, tamen unio animae cum corpore est similitudo, quam tota traditio ecclesiastica habet ut aptissimam ad significandum modum quo Verbum sibi naturam humanam aptavit et assumptam habet.

(1) Si quis ulterius quaerat de hac ipsa actuatione passive considerata quid in se sit, responderi bene possit eam esse modum, non realiter quidem, at virtualiter ab ipsa natura distinctum. Eo ipso assentietur, si non multis Suarezii discipulis, saltem Suarezio ipsi qui, ut multis videtur, modum non intellexit ab ipsa substantiae entitate physica realiter distinctum.

SECTIO TERTIA

DE CONSECTARIIS UNIONIS HYPOSTATICAE

CAPUT PRIMUM

DE CONSECTARIIS UNIONIS PRO COMPOSITO THEANDRICO

Praecipua sunt : 1° communicatio idiomatum ; 2° divina filiatio naturalis ; 3° jus ad cultum latriae.

ARTICULUS I

DE COMMUNICATIONE IDIOMATUM

THESIS XVII — Ex unione duarum naturarum in una persona divina sequitur dari in Christo communicationem, quae dicitur, idiomatum in concreto, non autem in abstracto (q. 16).

269. PRAENOTANDA. 1° *Idioma* (ἴδίωμα) ontologice est proprietas alicujus naturae, vel imo specialis aliqua natura in aliquo supposito considerata ; logice est attributum, quod, ratione specialis alicujus naturae, praedicatur de habente illam.

2° *Communicatio idiomatum* intellegitur communis participatio seu possessio idiomatum plurium naturarum. *Objectivam* dari in Christo jam ex dogmate constat, quatenus idiomata tum divina tum humana communia sunt ejusdem personae. Jam quaeritur utrum detur etiam *logica,* id est, utrum et quo sensu divina et humana attributa praedicari possint aut mutuo de se invicem, aut de supposito, aut de toto, v. g., utrum duo praedicata divina et humana praedicari possint *vel* mutuo : Deus est homo ; hic homo est Deus ; *vel* de supposito : Verbum est Deus ; Filius Dei mortuus est ; *vel* de toto : Christus est Deus, est homo ; Christus creat, mittit Spiritum S., unctus est a Sp. Sancto.

Quaestio igitur est de recto modo enunciandi ea quae sint objective vera de Christo, ita ut sermo sit rectus simul ac verus : *rectus,* quia juxta leges sanae logicae ; *verus,* quia juxta realitatem objectivam.

3° *Thesis*, distinctis vocabulis concretis et abstractis, respondet communicationem posse fieri de concretis, seu inter concreta, non autem de abstractis. Quod, quoad rem, est *de fide* catholica, siquidem nestoriana haeresis est negatio communicationis inter concreta, eutychiana vero affirmatio communicationis inter abstracta.

270. Prima pars : 1° **Probatur** iis ipsis argumentis quibus probata est unitas personalis in Christo. Haec enim demonstratio tota fuit in hoc quo de uno eodemque subjecto praedicantur attributa utriusque naturae. — 2° **Fundatur :** A) *Ontologice,* in hoc quod unius suppositi sunt duae naturae. — B) *Logice,* in hoc quod vocabula concreta exprimunt simul subjectum et formam, seu, rectius, subjectum habens formam [1] : homo ; equus ; pictor ; musicus. Hoc porro supposito, sic arguere licet : Ea praedicatio est vera et propria — id est, sensu proprio, sine metaphora, — quae exprimit id quod est a parte rei. Atqui hujusmodi est praedicatio qua communicatio fit inter idiomata concreta ; reducitur enim ad hoc quod identitas sit subjecti habentis utramque naturam : dicendo v. gr. : Deus est homo, dico suppositum Deum habere nat. humanam ; item : hic homo est Deus habens formam humanam est habens etiam divinam.

271. N. B. **cautiones adhibendas** sive propter vim proprie logicam certarum locutionum, sive propter naturam certarum actionum, quae unionem ipsam hypostaticam vel enunciant vel excludunt esse jam factam, v. gr.:

A) Ex eo quod Deus assumpsit humanitatem, et quod hic homo est Deus, ne dicas : hic homo assumpsit. — B) Vitetur praedicatio formaliter negativa, qua excludatur a subjecto proprietas illi competens ratione alterutrius naturae : v. gr. : Christus, hic homo non est mortalis ; non est aequalis Patri. Negatio enim de se removet totaliter a subjecto id de quo pronuntiatur. N. B. tamen vocabula quaedam, etsi grammaticaliter aut etymologice negativa, intellegi tamen sensu positivo. Sic v. gr. recte dicitur : Christus est Immortalis. — C) Concretum unius naturae ne praedicetur *qualificative* de

(1) Vocabula abstracta econtra non exprimunt nisi formam, quam exhibent a subjecto suo abstractam : natura humana ; pictura ; musica. - Eadem distinctio aliter enunciatur : Concreta supponunt *pro subjecto,* seu, pro supposito, et significant formam, id est, ponunt subjectum in recto et formam in obliquo ; v. gr. musicus, pictor ; abstracta supponunt *pro forma* quam et significant.

altero aut de toto : ne dicatur v. gr. : Chr. est homo divinus, homo dominicus. Qualificatio enim indicat unionem mere accidentalem qualitatis cum subjecto.

Difficultates dialecticae praeoccupantur apud S. Th. *loc. cit.* — Satis sit unam proponere, cujus solutio principia det pro aliis.

Propositio : *Deus est homo,* non est propria, saltem non est aeque propria ac propositio : *Petrus est homo ;* haec enim est necessaria et essentialis, dum alia nec necessaria est nec essentialis. — **Resp.** Propositio est propria, quae rem exprimit sine metaphora ; *necessaria* est, quae affirmat praedicatum subjecto convenire ratione alicujus quod est ei, qua subjectum, proprium. Cum autem subjecto qua tali aliquid possit esse proprium, vel ut essentiam ejus constituens, vel ut ei substantialiter unitum consequenter ad aliquod factum libere positum, propositio potest esse necessaria *vel essentialiter vel hypothetice.* In casu porro, praedicatum homo non convenit subjecto Verbo nisi consequenter ad actionem libere positam, qua humanitas illi unita est substantialiter. Ergo propositio illa est non tantum vera et propria sicut et alia, sed etiam est necessaria ; differentia est tantummodo in hoc quod alia est necessaria essentialiter, illa vero hypothetice tantum. Posita igitur hypothesi unionis hypostaticae, humanitas praedicatur de Verbo haud minori jure ac necessitate quam de ipso Petro.

272. Secunda pars vix indiget probatione, adeo est evidens (a. 5). Ex lege enim sermonis, si communicatio fieret in abstractis, affirmaretur identitas aut utriusque naturae, aut hypostaseos Christi cum natura humana, vel diceretur incarnata ipsa natura divina : — abstracta enim, ut dictum est, supponunt pro forma quam significant. Porro non divina natura est homo, nec humana natura est Deus. — Si quando igitur, ut accidit apud Patres et alios, dicitur : divinitas est nata, aut alia hujusmodi, locutio est impropria et divinitas ibi ponitur pro Deo, pro persona divina, ad vividius et firmius significandum quam vere Deus sit is qui natus est ex Virgine.

273. Corollarium -- 1° **Ergo turpiter errant Ubiquistae,** Lutherani scilicet illi qui, ut contra Calvinistas tuerentur corpus Christi esse realiter in Eucharistia, licet absque transsubstantiatione, finxerunt humanitatem ejus esse ubique, et, generaliter, induisse arcano modo omnes proprietates Divinitatis, ita ut, vere et modo a nobis inscrutabili, humanitas sit Deus, immensa, omnipotens, omniscia et quidem per ipsa attributa divinitatis in ipsam transfusa. — Hoc enim instaurare est Eutychianismum et contradicere doctrinae Chalcedonensi. Ubiquitas autem contradicit in specie tum certis articulis fidei : *Descendit ad inferos... Ascendit in caelum... Inde venturus est,* tum dictis evangelicis : « Lazarus mortuus est,

et gaudeo... *quoniam non eram ibi* » (*Jo.* 11. 15)... « *Non est hic* » *Mt.* 28. 6)... « *Relinquo mundum* » (*Jo.* 16. 28)... « *Recessit ab eis et ferebatur in caelum* » (*Lc.* 24. 51).

2° **De Verbi et Christi praesentia diversa.** — Hinc apparet cur persona Christi, id est, Verbum praesens sit, modo divino, multis in locis ubi non est Christus, ut homo ; cur nobis inhabitet ut Deus quin inhabitet ut homo ; cur nos dici possimus esse in Christo, qua Deus est, quin eo ipso dici possimus esse in illo, ut homo est. « Secundum [humanam] formam non est putandus ubique diffusus. Cavendum est enim ne ita divinitatem astruamus hominis ut veritatem corporis auferamus. Non est autem consequens ut quod in Deo est, ita sit ubique ut Deus » (AUGUST. *epist* 187.10 PL 33. 835-836 et cf. 41. 848).

ARTICULUS II

DE DIVINA FILIATIONE CHRISTI HOMINIS

THESIS XVIII — Christus, etiam ut homo, ita est Filius Dei naturalis ut sub nulla ratione dici possit adoptivus (q. 23, a. 4 et cf. q. 16, a. 10 et 12).

274. I. **Status quaestionis.** — 1° **Quae sit quaestio.** Cum ab initio demonstratum sit Christum seu personam, quae Christus est, esse Filium Dei naturalem, eo ipso evacuata manet haeresis antiquorum adoptianistarum, qui, quia negabant vel ullum esse Dei Filium naturalem — Monarchiani et Ariani — vel Filii Dei naturalis unionem cum natura humana personalem — Nestoriani —, eo ipso *negabant* Christum **posse ullo sensu** dici *Filium Dei naturalem*.

Nunc autem alia exsurgit quaestio, scilicet num, sicut Christus, qua Deus est, Dei Filius naturalis est, ita, qua homo est, **debeat** aut saltem **possit** dici *filius Dei adoptivus*.

2° **Sensus quaestionis.** — Ut recte percipiatur, sedulo distinguendus est duplex sensus quo aliquid dicitur praedicari de Christo, qua homo est. Illud enim « *qua homo* » potest poni seu reduplicari [1] vel formaliter vel specificative tantum.

(1) « Reduplicari » dicitur, quia humanitas, etsi jam implicite signatur per vocem « Christus », iterum, sed jam explicite, signatur seu ponitur praementis consideratione.

A) *Formaliter*, si reduplicatur ad signandum rationem, cur aliquid praedicetur de Christo, esse formaliter naturam sic reduplicatam. — Hoc sensu dicitur : Christus, qua homo, erat mortalis ; est Deo Patre minor ; Deo factus est obediens. Patet autem non posse dici hoc sensu : Christus, qua homo, est Filius Dei naturalis. Quaeri tamen potest, ac quaesitum est, num debeat aut saltem possit, hoc sensu, dici filius Dei adoptivus.

B) *Specificative* tantum, si reduplicatur ad signandum seu specificandum praedicationem fieri de supposito Christi considerato quidem in sua humanitate, at quin ratio praedicandi desumatur formaliter ex ipsa humana natura. — Hoc sensu, dicere : Christus, qua homo, est Filius Dei naturalis, est simpliciter affirmare Christi personam, etiam in et cum sua humana natura, esse Filium Dei naturalem. Econtra, dicere : Chr., q. h., est tantummodo filius Dei adoptivus, est vel dicere personam Christi, assumendo carnem, evacuasse filiationem suam naturalem, vel inducere in Christo filium adoptivum a Filio Dei naturali distinctum.

275. II. **Responsa varia.** — 1° **Haeretici,** saeculo 8°, fuerunt **Adoptianistae** [1], qui, distinctione nulla facta, simpliciter negabant Christum, qua hominem, posse ullo sensu dici Filium Dei naturalem. Asserebant eum, qui, qua Deus seu divinitate sua, unigenitus et sempiternus est Dei Filius, non esse, qua hominem seu sua humanitate, nisi adoptivum.

Rationem dabant quod Filius Dei, assumendo sibi in unitatem personae hominem verum, Spiritu Sancto unctum et gratiae plenitudine ornatum, natus est Deo servus simul et primogenitus in multis fratribus ; porro, aiebant, primogenitus inter fratres mere adoptivos non potest esse et ipse nisi adoptivus.

Suam illam doctrinam de duplici filiatione quomodo conciliari putaverint cum sua fide de unica Christi persona non adeo constat.

Certa indicia suggerunt eos existimasse Filium Dei, ex sua in carne exinanitione, passum esse aliquam deminorationem, ita ut, carne indutus,

(1) Auctores et duces fuerunt, in Hispania, ELIPANDUS, archiep. Toletanus, et FELIX, episc. Urgelitanus. Hinc appellatio vulgata : *hispanicus error ; haeresis feliciana*. Eorum doctrina qualis fuerit apparet imprimis in *Epist. episcoporum Hispaniae ad episcopos Franciae,* ab Elipando transmissa ante conc. Francofurtense anni 794. Ea est quae, a Carolo Magno tum ad Adrianum Rom. Pont. transmissa tum concilii judicio subjecta, damnata est Romae simul et Francofurti. Eam habes tum PL 101. 1321, tum MGH: *Concilia* aevi Karolini, I[1], p. 111 sqq.

jam non esset Deo nisi adoptivus [1]. Attamen, quia : a) aperte fatentur « in una eademque Dei et hominis persona » esse « et hominem deificum et Deum humanatum » [2] ; — b) dictum S. Joannis : *Et Verbum caro factum est,* ita interpretantur ut « in Verbo intellegant verum Dei Filium, in carne [vero] agnoscant verum hominis filium, et utrumque simul in unam personam » [3] ; — c) impugnati sunt et condemnati quasi inducerent duos filios et Nestorianismum instaurarent, ideo potius videntur admisisse inconscie duos in Christo filios [4].

Eorum doctrina, cum fuisset jam ab Hadriano I (D-B. 299-301 ; C. 751) atque a concilio Ratisbonensi anni 792 ita improbata ut Felici Urgelitano propugnatori suo retractanda fuisset in Urbe Roma [5], solemniter iterum tum ab eodem Hadriano (D-B. 309-310 ; C. 752) tum a concilio Francofurtensi (D-B. 311-314 ; C. 753) condemnata est ut **haeretica** [6].

Contra eam est quod Leo III, in sua *ad Ecclesias orientales professione fidei* (809), addit : « Credimus eumdem Filium Dei Verbum aeternaliter natum de Patre,... temporaliter natum de Sp. S. et M. virgine, duas habentem nativitates, unam ex Patre aeternam, alteram ex matre temporalem, qui etiam Filius Dei suae carnis conceptione conceptus est et suae carnis nativitate natus. Deum verum confitemur conceptum et Deum verum

(1) Videntur enim opponere id quod fuit Filius Dei ab aeterno et id quod factus est in tempore : « Confitemur et credimus Deum Dei Filium ante omnia tempora sine initio ex Patre genitum, coaeternum et consubstantialem, non adoptione sed genere, neque gratia sed natura... Credimus eum factum ex muliere, factum sub lege, non genere esse Filium Dei sed adoptione, neque natura sed gratia » (*Epist. ad episc. Franciae,* MGH, *op. cit.* p. 111[35] et 112[5-6]). Haud semel praeterea loquuntur de « *deitate exinanita* in carnis adoptione » (*Ibid.* 117[8-9]). « Cur Filius Dei, secundum formam servi, *deitate exinanita,* corporeus et visibilis et palpabilis, adoptivus esse dubitetur ? » (*Ibid.* 118[4-5 et 30]). Cf. etiam *profess. fidei* Elipandi, apud Beatum (PL 96. 916 D et 917 A).

(2) MGH, *op. cit.* 114[31]. — (3) *Ibid.* 115[20-21].

(4) Causa eis errandi fuisse videtur eadem, quae, saeculo 12°, fautoribus primae illius opinionis persuasit in una persona posse dari duo supposita, formula scilicet apud antiquos haud raro occurrens : homo verus assumptus ; imo aliquando : homo adoptatus. Cf. auctoritates ab eis inductas in sua *Epist. ad episc. Franciae.*

(5) C. 754 : N. B. libellum retractionis haud recte ascribi anno 799, siquidem Leo III, in synodo romana anni 798, retractationem dicit intercessisse post concil. Ratisbonense (792) et ante Francofurtense (794).

(6) Documenta ex integro in MGH, *op. cit.* p. 122 sqq. vel PL 98. 394 ; 99. 151 ; 101. 1331 Condemnationem iteravit concil. Forojuliense anni 796 (C. 755) et Leo III, in synodo romana anni 798 (MGH. op. cit. p. 203-204).

natum, eumdem verum Deum verum hominem, unum Christum Filium Dei unigenitum » (C. 756).

Jam igitur de **fide catholica** erat personam Christi, etiam in et cum carne sua, esse Filium Dei naturalem nec proinde, citra haeresim, posse dici *tantummodo* filium Dei adoptivum. Nec, re vera, ullus exinde doctor catholicus negavit Christum, qua homo, esse hoc sensu Filium Dei naturalem.

2° **Catholici.** — At quaestionem non pauci moverunt an ratione humanitatis seu qua homo formaliter, Christus non **possit** dici **etiam** filius Dei adoptivus.

A) Hoc insinuabant, etsi non aperte docebant, doctores saeculi 12[1] qui, tertiae illi opinioni adhaerentes, dicebant Christum, qua homo, esse potius nihil, proindeque non filium Dei naturalem : hinc enim arguebatur Christum, si quo modo possit sub hac ratione dici Deus aut Dei filius, non posse dici nisi filium adoptivum [1].

B) Idem, at sensu omnino alio, nonnulli doctores posteriores existimarunt esse probabile : Sic, v. gr, post Scotum (*in* 3, *dist.* 10 et *Report. parisien. ibid.* n° 4-5), Durandus (*in* 3, *dist.* 4, q. 1), cui assensere nonnulli alii [2]. Dicunt enim humanae Christi naturae, qua tali et vi ipsius unionis hypostaticae, competere ea omnia quae constituunt filiationem Dei adoptivam : a) Ornatur plenitudine gratiae sanctificantis, cujus effectus formalis est conferre filiationem Dei et jus in haereditatem paternam. — b) Conjunctio cum persona divina se ipsa illi est pro formali adoptione, ita ut, etiam si assumeretur a Patre aut a Spiritu, exinde oriretur vera filiatio adoptiva ad totam Trinitatem : nam ex ipsa formaliter unione natura assumpta non tantum fit Deo conjuncta et grata, sed etiam jus acquirit ad haereditatem divinam. — Conclusio igitur fluit : *Christus, etsi, qua homo specificative est Filius Dei naturalis, tamen, qua homo formaliter, est* ETIAM *filius adoptivus.*

C) Alii, v. gr. Biel (*in* 3, *dist.* 10), propter easdem rationes admisere naturam quidem in Christo esse adoptatam, at tamen non concessere eam aut Christum, ratione illius, posse dici filium Dei adoptivum.

276. III. **Sensus theseos.** — Thesis jam non est contra adoptianistas antiquos aut contra Nestorianos; contra Adoptianistas autem saeculi 8[1] et contra doctores ulteriores asserit Christum, qua homo

(1) Cf. PORTALIÉ, art. *Adoptianisme au XII siècle,* apud DTC, I. col. 414-415.
(2) Idem : *Adopt. au 14e siècle, ibid.* col. 418-420.

est, **non tantum non debere sed etiam non posse,** sub ulla ratione, dici Filium Dei adoptivum. Rationem vero illius impossibilitatis repetit ex ipsa filiatione naturali personae Christi, quae manet intacta, etiam si consideretur in et cum sua humanitate.

Non negat igitur humanae in Christo inesse unde alia persona possit ac debeat dici filius adoptivus, *sed negat* personam Christi, cum sit Filius ipse Dei naturalis, posse etiam ex illa ratione suscipere praedicationem hujusmodi.

Non affirmat sane Christum esse Filium Dei naturalem, *qua homo formaliter* est seu ratione suae humanae naturae, *sed affirmat* eum, etiam *qua homo est specificative* seu etiam in sua humanitate, esse ac dici debere Filium Dei naturalem.

Qua affirmativa proinde, thesis reduplicat « ut homo » specificative tantum, et significat: Christus ut homo, seu qui Christus est, etiam in sua humanitate consideratus, est Filius Dei naturalis et non tantummodo filius adoptivus. Hoc sensu de *fide catholica* est

Qua negativa, reduplicat « ut homo » formaliter, et sensus est: Christus, neque ut homo formaliter seu neque ratione humanitatis assumptae, dici potest filius adoptivus. Hoc sensu thesis est *certa.*

277. PROBATUR. 1° **Ut affirmativa est.** — A) In genere, ex eo quod fide constat Filium Dei naturalem esse unicam illam Christi personam, cujus sit humana haud minus quam divina natura — Recole argumenta superius data de unitate personae.

Quae omnia breviter Patres Francofurtenses, occasione maternitatis divinae: « Unitas personae, quae est in Dei Filio et filio virginis, adoptionis tollit injuriam. Si.. Deus verus est qui de virgine natus est, quomodo tunc potest esse adoptivus? » (D-B 313; C. 753[b]; MGH. op. cit., p. 152[2 3]). Divina enim Christi persona non potest ex ullo capite in se mutari aut desinere esse quod est. Si quis igitur Christum in sua carne consideratum negat esse Filium ipsum Dei naturalem et confitetur filium tantummodo adoptivum, eo ipso inducit in natura Christi humana personam a divina distinctam seu Nestorium iterum agit. — Quod fuit ab initio contra Hispanos argumentum Hadriani I (D-B. 299; C. 751).

B) In specie, ex Scriptura testante Christum, etiam in et cum sua carne consideratum, agnosci ut proprium ac naturalem Dei Filium, v. gr.: a) ubi S. Petrus, interrogatus de filio hominis, confitetur Christum esse « *Filium Dei vivi* »; — b) ubi S. Thomas Christum vulnera ostendentem confitetur « *Dominum et Deum suum* »; — c) ubi S. Pau-

lus dicit Deum « *proprio Filio non pepercisse sed pro nobis tradidisse illum* » [1], etc.

Objicere solebant Adoptianistae Christum « *esse praedestinatum Filium Dei in virtute* » (*Rom.* 1. 4), quasi Apostolus hoc loco significaverit Christum hominem esse praedestinatum ut fieret filius Dei. — **At,** — a) ibi omnino non agitur de praedestinatione (Cf. supra n. 36-37) ; — b) praedesti natio, etsi non hoc loco affirmata, si qua de Christo possit affirmari, intellegenda est vel de praeordinata Incarnatione in genere, vel de praeordinata natura, quam Verbum assumeret, vel tandem de praeordinata gloria ac potestate Christi Redemptoris prae omni creatura in caelo et in terra (Cf. III, q. 24 et commentatores in h. l.).

C) Ex tam multis Patrum locis, quibus *excludunt* in Christo duos filios, alium, secundum naturam, qui sit ex Deo Patre, et alium secundum gratiam, qui sit ex Maria [2].

Per modum exempli sint : — a) S. Gregorius Nazianzenus : « Si quis duos filios alterum ex Deo et Patre, alterum ex matre, non autem unum et eumdem induxerit, is ab ea quoque filiorum adoptione excidat, quae recte credentibus promissa est » (*Epist.* 101 PG 37. 180 A). — b) S. Damasus : « Catholica Ecclesia anathematizat [etiam] eos qui duos in Salvatore filios confitentur, id est, alium ante Incarnationem et alium post assumptionem carnis ex Virgine et non eumdem Dei Filium ante et postea confitentur » (C. 664 et cf. D-B. 64). — c) Leporius, in suo *retractationis libello :* « In hoc maxime fides nostra consistit ut credamus unicum

(1) Sic Hadrianus papa contra Adoptianistas : « Scimus... quia non traditus est secundum divinitatem, sed secundum quod homo verus erat. Illum nimirum qui traditus est, id est hominem ipsum, Apostolus proprium Dei Filium protestatur... Thomas, cum exploraret vestigia vulnerum,... exclamavit dicens : Dominus meus et Deus meus.... Numquidnam dixit Petrus : Tu es Christus, qui propter nos factus es filius hominis et per adoptionem factus es Filius Dei » (MGH. *op. cit.* p. $123^{39\,40}$; 127^{9-10} ; 124^{16-17}).

(2) **Objiciebant** Hispani (cf. v. gr. eorum *epist. ad ep. Franciae, loc. cit.*) nonnulla vel antiquorum Patrum vel liturgiae suae loca, in quibus, agendo de Christo homine, usurpantur voces : adoptio, gratia adoptionis, homo adoptivus. — **At,** in his locis, — α) homo, ut solet apud antiquos et in specie apud S. Augustinum, ponitur in concreto pro ipsa natura. — β) Adoptio vero de qua ibi, non intellegitur facta a Deo Patre hominis a Verbo assumpti, sed ab ipso Filio naturae ad se sumptae. Voces igitur illae ponuntur pro assumptione, gratia assumptionis, homo assumptus. Videas apud Hadrianum pontificem vel apud Patres Francofurtenses (*locis cit.*) responsa ad hujusmodi auctoritates. N. B. tamen, quod supra dictum est, formulas hujusmodi fuisse Hispanis, sicut et aliis postea, occasionem sui erroris.

Filium Dei, non adoptivum sed proprium,... non temporarium sed aeternum, pro nobis omnia secundum carnem fuisse perpessum » (C. 673). — d) S. AUGUSTINUS : « Oportebat ut ille baptizaret qui est Filius Dei unicus, non adoptatus. Adoptati filii ministri sunt unici. Unicus habet potestatem, adoptati ministerium » (*In Joan. tract.* 7, 4).

D) *Ex ratione theologica :* Quia Christus, ut homo specificative, est Filius Dei naturalis habens naturam humanam sibi hypostatice conjunctam. Porro Filius Dei, assumendo carnem, non degenerat nec desinit esse quod ab aeterno est. Ergo, etiam in et cum carne sibi assumpta, manet Filius a Patre suo naturaliter procedens et quem, carne indutum, Pater suus haud minus generat ac ex tota aeternitate nondum carne indutum.

« Qui immutabiliter Filius Dei natura est, etiam in assumpta natura et homo factus, Filius Dei natura erit.... Humanitas Verbi Dei quasi accessio est. Caeterum idem post qui ante carnis accessionem sempiternus et naturalis Dei Filius est Verbum Deus... ; in carne nunc est qui retro sine carne sempiterne fuit. Non fuit autem nisi natura Filius ante carnem ; ergo et idem post carnem assumptam.... Indubitatum fiet.... illi, etiam ut homini, naturalem Dei propriamque filiationem non alio magis nomine ascribendam esse quam aeternae generationis ad ipsam usque humanitatem sese propagantis... Non quod... sed quod humanitas accessionis tantum instar habeat, principalis autem existens Verbum Deus proprietatem filiationis suae inviolabilem, etiam in carne sua, retineat, et quod fuit semper sit etiam in carne et cum carne sua Filius Dei germanus, gignaturque semper a Patre, et in ipsa quam assumpsit humanitate gignatur et ab ipso Patre generante carni infundatur » (Thomassinus : *De Incarn.* l. 8, cp. 2, n. 1 ; cp. 4, n. 1 ; cp. 5, n. 1).

278. 2° **Ut negativa est**, seu quatenus negat Christum, **etiam ut homo formaliter** est, **posse** ullo vero sensu dici etiam filium adoptivum. Ratio est quia : — A) filiatio omnis, etsi fundamentum habet in natura, tamen formaliter non est, seu vere et proprie non praedicatur, nisi de persona ; — B) adoptio vero non potest esse nisi personae, quae sit ex origine sua naturali personae adoptanti extranea : repugnat enim, ex natura rei seu potius ex sensu nativo verborum, assumi per meram gratiam in jura filii eum qui jam, ex sua naturali origine seu per naturam, habeat hae eadem jura sibi innata.

Cum igitur sit extra dubium Christi personam esse natura Dei Filium, patet eam non posse formaliter adoptari, si verum est, quod primo loco assumitur, filiationem, proindeque adoptionem filialem, non esse formaliter nisi personae. Jamvero, hoc etiam manifestum

est. Nam aliud est filiatio aliud fundamentum filiationis. Fundamentum est quid naturae, siquidem persona quidquid habet, praeter esse personam, non habet nisi ratione naturae suae. Filiatio vero ipsa non competit formaliter nisi personae ipsi, siquidem filius est nomen concretum, quod supponit pro hypostasi : filius est quis subsistens et non *quo* quis aliquid sit. Sic v. gr. explicatur quod, etsi fundamentum filiationis erga B. Virginem sit in natura humana Christi, tamen, non ipsa formaliter natura, sed Deus cujus ea est natura, dicatur vere et proprie filius Mariae.

Nunc autem in humana Christi natura, — sive ex sua cum persona divina conjunctione, sive ex gratiae suae plenitudine, — adesse fundamentum ex quo, potiore jure quam apud nos, oriri posset aliqua filiatio, nemo quidem negari possit. At, ut exinde in Christo dici posset oriri nova filiatio hujusmodi, requireretur vel naturam ipsam qua talem in se subsistere, vel personam cujus est non excludere, ratione sui, novam illam filiationem. Porro neutrum dari constat. Ergo non potest exinde in Christo dici oriri nova illa filiatio [1].

Objicitur filiationem adoptivam esse effectum formalem gratiae sanctificantis, proindeque non posse deesse ubi sit gratia sanctificans. — **At,** advertendum est eum esse effectum formalem mere secundarium, siquidem effectus primarius est consortium divinae naturae seu conformatio naturae creatae ad increatam. Porro, ubi est causa non potest quidem deesse effectus primarius, bene vero secundarius, si ex aliquo capite excludatur. Porro, ex dictis, in Christo effectus ille secundarius excluditur ipsa conditione naturali personae cujus est natura gratiae plenitudine exornata.

Uno verbo : In Christo non deest unde posset quis esse filius adoptivus ; deest qui possit esse adoptivus. Non adesset nisi adesset altera persona.

279. Scholion : **De filiatione naturali, quae sit Christi, etiam ut homo et formaliter,** seu quae fundetur in ipsa unione naturae humanae ad personam divinam. — Eam propugnavit Suarez (*Disp.* 49, *s.* 1, n° 2 et 5-7) cum Vasquez (*Disp.* 89,14) et nonnullis aliis, oriendo ex facto positivo, omnibus admittendo, quod ipsa unione Christus, in humanitate sua, fiat substantialiter sanctus, Deo summe gratus, jus habens verum et sibi intrinsecum ad divinam haereditatem in ipsa humanitate possidendam. Hoc porro, arguunt, satis superque est ad constituendos nos Dei filios : cur igitur non Christum, qua hominem formaliter ? Differentia

(1) Non ita, ubi agitur de nova filiatione *naturali* quam Filius Dei habeat ratione naturae humanae suae, siquidem esse Filius Dei naturalis ratione naturae divinae non excludit de se fieri filium hominis ratione alterius naturae.

enim non est nisi in hoc quod nobis hujusmodi conjunctio cum Deo, sanctitas et jus ad haereditatem non potest oriri nisi ex aliquo quod sit praeter nativam nostram constitutionem, proptereaque filiatio sic constituta non sit nisi adoptiva ; in Christo econtra, haec omnia consequuntur ad nativam ejus et quasi naturalem constitutionem, proptereaque filiatio sic inducta sit non adoptiva sed naturalis [1]. — Additur imo et Patrem et Sp. Sanctum, si incarnarentur, habituros esse eamdem naturalem Dei filiationem.

Negatur communius haec opinio (cf. v. gr. Lugo, 31.2 ; Franzelin, p. 356 ; Pesch, n° 188), nam est antiquis plane ignota ; praeterea, quatenus excogitat duplicem in Christo filiationem Dei naturalem, unam propriam, aliam impropriam, quae nec proprie naturalis est nec adoptiva, non apparet satis consona doctrinae Ecclesiae ; mirum est tandem Christum, hac filiatione, dicendum esse Filium non tantum Patris sed etiam totius Trinitatis — Ad argumentum vero quo fundatur : Christus, qua sanctificatur substantialiter ipsa unione, fit haeres Dei proindeque filius ejus ; non autem adoptivus ; ergo naturalis, sic RESPONDETUR : Per unionem non fit formaliter nec filius adoptivus nec naturalis ; sed unio est conditio, qua posita, ipsa filiatio, quae est aeterna generatio a Patre cadit in totum compositum : unio facit compositum theandricum, et generatio aeterna huic confert filiationem aeternam ipsius Verbi (Cf. supra argum. ex ratione theolog. n. 277). Si vero Pater incarnaretur, non esset Filius Dei, neque naturalis, neque adoptivus, sed esset Pater homo factus. (III, q. 3, a. 5).

280. Quaeres an et quo sensu Christus dicatur **servus Dei.** — Responsum jam dabatur a S. Irenaeo in sua *Demonstratione praedicationis apostolicae* : « Le Fils prend le nom de *serviteur* du Père, à cause de son obéissance a son Père ; car tout enfant est serviteur de son père, même chez les hommes » (Traductio Barthoulot in *RSR* VI (1916), p. 403-404.) — Videas igitur III, q. 20 : *De convenientibus Christo, secundum quod Patri fuit subjectus* » et cf. Petavium : *De Incarn.* VII. 7-9.

1° Breviter, et ne controversia sit de vocibus : Non est *servus stricte,* nam servus non est sui juris ; est inferioris conditionis ; non participat in bonis et in honore cum domino. Sed est *servus late,* id est, subditus secundum voluntatem suam humanam, etsi etiam sub hoc respectu non sit Domino

(1) Distincta, ut patet (n. 6), ratione tantum a filiatione quae est ex processione paterna. — Longe alio sensu recentius, nec aptius, DORSAZ (*Notre parenté avec les personnes divines*) excogitavit naturam humanam in Christo participare relationem filiationis Verbi ad Patrem, ideoque participare filiationem ejus naturalem. De hoc videas *Rev. d'ascét. et de mystique,* IV (1923), p. 184-188.

suo extraneus aut conditionis omnino inferioris, siquidem etiam humanitas participat dignitatem suae personae.

Neque ex eo quod sit servus lato sensu sequitur eum posse dici etiam filium adoptivum lato sensu. Disparitas enim in hoc est quod filiatio naturalis excludit omnino adoptionem, non autem omnem servitutis modum ; potest enim filius servire patri et fratribus, quin sit hypostatice et substantive servus, at nullatenus « potest a patre suo adoptari. Ratio est quod filiatio magis immediate et proprie afficit personam ; servitus econtra potius statum personae » (q. 23, a. 4, ad 3[m]).

ARTICULUS III

DE ADORATIONE CHRISTI

281. Aliud hoc est consectarium unionis pro toto composito : eodem cultu coli potest quo ipse Deus. Jam statutum est : a) non posse coadorari Verbo *hominem,* qui sit in Christo seorsim a Verbo subsistens (D-B. 120) ; — b) posse adorari Christum, qua homo est specificative, vi communicationis idiomatum, specificando scilicet Verbum coli ut in carne subsistens. Nunc agitur de cultu exhibendo *naturae humanae Verbi,* non qua ab illo sejunctae, sed qua tamen ab illo realiter distinctae, ita ut, etsi non potest dici : nat. hum. est Filius Dei, tamen dici possit : nat. humana Christi est adorabilis, adoratur, imo coadoratur Verbo.

Duplici paragrapho agetur 1° de adoratione humanae naturae in genere ; 2° de cultu SS. Cordis in specie.

§ 1. DE ADORATIONE CHRISTI HOMINIS IN GENERE.

THESIS XIX — Humana Christi natura uno eodemque latriae cultu absoluto adoranda est quo Verbi divinitas ; imo adorari potest signate tum in diversis suis partibus, tum in variis vitae suae actionibus et mysteriis (q. 25, a. 1 et 2).

282. PRAENOTANDA — 1° **Notiones :** A) *Definiuntur.* Adoratio hic intellegitur cultus latriae soli Deo debitus. Adorationis *objectum formale* est excellentia, *propter quam ;* objectum materiale res concreta, *cui,* cultus exhibetur. Pro modo quo objectum materiale se habet ad objectum formale, adoratio distinguitur absoluta et relativa :

absoluta, quando defertur objecto materiali propter excellentiam suppositi ejus ; *relativa,* quando defertur non propter excellentiam proprii suppositi, sed propter excellentiam alicujus suppositi, quocum objectum materiale habet aliquam connexionem.

B) *Applicantur Christo homini :* a) *objectum formale* adorationis Christi est divina excellentia Verbi ; obj. *materiale* totus Christus, proindeque tum divina, tum humana ejus natura. Humanitas igitur dicenda est objectum *materiale partiale et secundarium ;* adoratur enim ipsa simul cum divinitate sed propter eam ; et haec illius adoratio est *absoluta,* quia adoratur propter excellentiam suppositi proprii, non suppositi extrinseci : adoratur igitur humanitas ut hypostatice cum Verbo conjuncta. — b) *Partes humanitatis* adorantur omnes simul eodem modo ex eademque ratione. Sed una pars potest *signate* adorari, adoratione, quae *exercite* ad totum simul Christum terminetur, at quae *immediate* attingat partem ita signatam : sic v. gr. quando osculor manum alicujus... Tunc illa pars non separatur aut praescinditur a toto composito et a Verbo, ratione cujus adoratur. — c) Idem dicendum *de variis mysteriis,* in quibus adoratur quidem totus Christus, at qua in tali mysterio consideratus.

283. 2° **Nota theseos.** — A) Thesim, qualem intellegimus, negare queunt nisi ei qui vel negent Christi personae divinitatem — v. gr. Ariani et recentius Sociniani — vel admittant unionem naturae cum persona divina esse mere moralem — sic olim Nestoriani, qui propterea admittebant hominem in Christo coadorari quidem at adoratione mere relativa.

B) Propterea non est directe unquam, qua talis definita.

Attamen — a) contra Nestorium, anathemastimus S. Cyrilli 8`, simul ac prohibebat « assumptum hominem coadorari », edicebat « una adoratione adorari Emmanuelem », seu Verbum in et cum sua carne (D-B. 120) ; — b) item concilium Cp^{lm} II (oecum. V),prohibita tum duplici adoratione, quae esset una Verbi, altera hominis assumpti, tum adoratione, qua attingeretur unica Christi natura, edicit « una adoratione adorari Deum Verbum incarnatum cum propria ejus carne » (D-B. 221 ; C. 713) ; — c) Pius VI Pistorienses, fingentes adoratione humanitati Christi exhibita adorari humanitatem Christi, non « prout unitam divinitati », sed « propter se et tanquam nudam carnem », ideoque asserentes hoc esse « honorem divinum datum creaturae », damnavit ut « detrahentes pio ac debito cultui humanitati Christi a fidelibus praestito » D-B. 1561 ; C. 839).

C) Thesis igitur *non est de fide catholica,* quia definitio concilii Cp^{lani} posset utcumque intellegi de adoratione Verbi ipsius attributa

humanitati per solam communicationem idiomatum, ita ut sensus esset : hic homo adorandus est, non autem : haec humanitas adoranda est. Attamen, tum ex Scriptura tum ex traditione et manifesta Ecclesiae doctrina et praxi dicenda est *de fide* aut saltem *proxima fidei*.

284. PRIMA PARS PROBATUR : 1° **Ex Scriptura**, v. gr. : A) ubi Deus « introducens primogenitum in orbem terrae dicit : *Et adorent eum omnes angeli ejus* » (*Hebr.* 1. 6) : « Introductus » enim est « Filius » ille, per quem Deus « novissimis diebus locutus est » ; ergo Filius incarnatus, seu in et cum sua carne, ita ut adoratio praecepta angelis attingat eum totum, proindeque carnem etiam ejus ; — B) ubi dicitur « *omne judicium* » datum esse « *Filio, ut omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem* » (*Jo.* 5. 23) : Filius enim honorificandus eodem honore, quo Pater, est Filius in carne et per carnem suam haec de se dicens et potestatem judicandi vindicans sibi, qua homini formaliter..

2° **Ex traditione**, quae manifestatur tum in praemissis documentis, tum in explicitis assertionibus Patrum, ubi asserunt eadem adoratione attingi Verbum et carnem illi inseparabiliter conjunctam.

Sic v. gr. S. ATHANASIUS : « Etsi ipsa caro seorsum spectata pars sit rerum creatarum, attamen Dei facta est corpus. Neque vero hujusmodi corpus a Verbo dividentes adoramus, neque, cum Verbum adorare volumus, ipsum a carne removemus, sed... haec « Verbum caro factum est » non ignorantes, idem Verbum in carne existens Deum agnoscimus. Quis ergo adeo demens sit ut Domino dicat : Recede a corpore ut te adorem ». (*Ad Adelphium*, 3 PG 26. 1074 D).

Clarius adhuc S. CYRILLUS ALEX. vindicans suum anathematismum 8m contra Orientales, qui dixerant eum prohibuisse ne « caro coadoraretur cum divinitate » [1] : « Citra periculum et culpam dixerit quis, quod

(1) *Apologet. cont. Orient.* 8 (PG 76. 352 B). Objectio Orientalium, quod « ἀπαγορεύων [ἐστὶ] συμπροσκυνεῖσθαι τῇ θεότητι τὴν σάρκα » legitur 348 D. — Totam illam doctrinam clarissime resumit S. J. DAMASCENUS : *De fide orthod.* III. 8 : « Unus est Christus, Deus perfectus et homo perfectus, cui unam eamdemque adorationem cum Patre et Spiritu, non exclusa immaculata ejus carne, exhibemus. Neque enim adorandam esse carnem ejus negamus (οὐκ ἀπροσκύνητον τὴν σάρκα λέγοντες) : quippe quae adoratur in una Verbi persona, quae illi facta est hypostasis. Qua in re non creaturae servimus ; non enim illam, ceu nudam carnem adoramus, sed velut divinitati unitam, et quia duae ipsius naturae ad unam Dei Verbi personam reducuntur unamque hypostasim. Carbonem tangere ob ignem cum ligno conjunctum vereor. Ambas Christi naturas ob unitam carni divinitatem adoro » (PG 94. 1014-1016).

incarnatum Dei Verbum, utpote unus existens Filius, non absque sua carne, sed cum illa potius, adorandus sit : quemadmodum scilicet etiam hominis anima cum suo corpore honoratur, [etsi] una appellatione significatur quod est ex utrisque unum animal ».

3° **Ex ratione.** Nam cultus qui personae exhibetur non respicit eam abstracte sed secundum totam ejus substantiam. Cum igitur substantia humanae naturae sit substantialiter conjuncta cum Verbo, attingitur et ipsa adoratione quae Verbo exhibetur... Uno verbo : quidquid est suppositi participat honorem supposito debitum. Atqui humanitas est suppositi, cui debetur adoratio. Ergo humanitas participat adorationem supposito suo divino debitam.

285. QUAERES, de **sacrificio,** utrum humanitati qua tali possit offerri sacrificium ? — RESPONDETUR negative, quia : — A) sacrificium offerri nequit nisi ei qui possit illud acceptare. Jamvero natura humana, cum non sit ipsa subsistens, non potest illud acceptare. Attamen, vi communicationis idiomatum, dici posset : Christum, qua homo specificative, seu hunc hominem acceptare sacrificium, quod non esset sacrificium eucharisticum. — B) Sacrificium autem eucharisticum omnino nequit Christo qua homini offerri : ratio est quia nulla tunc esset distinctio, ne virtualis quidem, inter victimam immolatam et eum cui offerretur victima.

286. SECUNDA PARS : 1° **Explicatur.** *Signate* dicitur adorari id ad quod adoratio explicite et magis immediate dirigitur ; *exercite,* id ad quod adoratio tandem terminatur, licet implicite et minus directe. Jamvero omnis adoratio *exercite* saltem attingit totam personam ; *signate* vero potest dirigi ad aliquam ejus partem vel ad aliquem ejus statum aut actum, in quo, propter specialem aliquam excellentiam aut propter aliquod speciale motivum, soleat vel deceat cultum exhiberi personae : tunc illa pars, status aut actus est objectum adorationis materiale immediatum et signatum [1].

2° **Probatur.** Adorari potest *signate* aliqua pars humanitatis Christi, si — A) ex natura rei et ex experientia vulgari constet possibile ac licitum esse exhiberi signate alicui parti personae honorem

(1) In illo casu potest distingui adorationis objectum :

materiale { *totale,* = remotum et primarium = persona *exercite* adorata.
partiale, = proximum et secundarium = humanitas vel pars *signate* adorata.

formale { *generale* et *praecipuum* = excellentia personae *propter quam* fit adoratio.
speciale et *secundarium* = excellentia propria partis, quae *signate* adoratur.

qui debetur personae ; — B) adesse potest in Christo ratio specialis adorandi unam partem prae aliis. Jamvero : A) prius constat, siquidem : — a) ex natura rei est cuilibet signatae parti unius suppositi honorem posse deferri eumdem qui et ipsi supposito ; — b) ex experientia vero vulgari constat specialem honorem exhiberi certis corporis humani partibus : v. gr., manui, ad quam fit osculum ; brachio S. Francisci Xaverii ; cordi multorum virorum. — B) In Christo multae sunt rationes cur v. gr. vulnera, cor, amor, sanguis specialiter prae aliis ejus partibus aut actibus honorentur. Propterea damnata est Pistoriensium prop. 61ª, quae excludebat « adorari directe humanitatem Christi, magis vero aliquam ejus partem » (D-B. 1561 ; C. 839).

287. Scholion : **De amore humanitatis Christi.** *Utrum amari possit eodem amore quo persona ipsa ?* Etsi nonnulli affirmant, tamen, cum Lugo, (*disp.* 16, s. 3, n. 60 et sqq ; *disp.* 34, s. 2, n. 31) negandum videtur. Rationem dat Lugo quod ideo tantum humanitas, propter personam conjunctam, adorari potest ac debet adoratione eadem qua persona ipsa, quia adoratio est actus externus, indivisibilis, qui fertur in personam totam qualis in re est, quin externa illa exhibitio honoris signari possit restringi ad aliquam ejus partem, v. gr. ad divinitatem, exclusa humanitate. Adest sane, una cum adoratione externa, affectus adorandi internus ; at praecise illo affectu, etsi volumus humanitati eamdem adorationem quam personae, tamen hunc ei cultum non volumus eodem modo : personae enim volumus adorationem propter suam propriam excellentiam, humanitati vero propter excellentiam personae, ita ut eam velimus personae tantum coadorari. Porro, ubi agitur de amore, distinctio et diversitas non tantum est possibilis sed etiam necessaria. Nam amor est affectus mere internus, qui pro lubitu fertur in divinitatem vel humanitatem et commensuratur earum respectivae bonitati. Divinitatis porro bonitas est infinita simpliciter ; humanitatis autem, etiam qua formaliter conjunctae, bonitas non est infinita nisi secundum quid, siquidem conjunctio cum persona divina manet ordinis creati. Ergo amor commensuratus bonitati humanitatis etiam qua conjunctae non est idem ac amor commensuratus bonitati ipsius personae (Cf. Pesch. n. 203-204).

§ 2 DE CULTU SS. CORDIS JESU

THESIS XX — Cor Jesu, quocumque sensu intellegitur, est cultu latriae absoluto adorabile, existuntque rationes efficacissimae cur specialiter et signate colatur. — Hujus porro cultus, prout ab Ecclesia fuit approbatus, objectum materiale proximum complectitur et cor physicum et amorem cordis symbolo expressum. — Finis vero cultus est ut fideles ad redamandum Christum atque offensas eidem illatas reparandas incitentur atque juventur. Hinc elucet quantopere distinguatur a cultu SS. Sacramenti et quantopere in Ecclesia foveri debeat.

288. PRIMA PARS : **De liceitate et convenientia istius cultus.**

I. **Multiplici sensu cor Jesu dicitur :** 1° *Proprie et physice :* pars physica humanae naturae, quae, ratione sui, tantum munus habet in vita physica tantamque habet cum vita affectiva connexionem physiologicam ut, etsi non sit illius organum, tamen multiplici modo in illam influat aut influxum ab ea patiatur. — 2° *Metaphorice :* amor ipse designatus expressione metaphorica cordis, quin tamen ullo modo attendatur ipsum cor physicum. Hoc sensu propterea sermo habetur de corde Dei ipsius. Nihil frequentius occurrit quam haec metaphora, ad enuntiandos quoslibet motus vitae affectivae humanae [1]. — 3° *Symbolice :* cor physicum, qua est symbolum, seu ipsum amorem significat : hoc sensu cor exprimit simul et cor physicum et cor metaphoricum, organum scilicet et motus vitae affectivae [2].

II. **Quocumque sensu est adorabile.** Ea est mera consequentia, aut potius applicatio thesis praecedentis, nam cor Jesu, quocumque sensu intellegitur, pertinet ad hypostasim Christi. Hoc patet de corde physico, quod est pars humanae naturae et anima informatur. At haud minus verum est de corde metaphorico, nam omnes actus vitae psychologicae Christi, cum habeant naturam assumptam ut principium quo, sunt eo ipso assumpti in hypostasi Verbi, et participant divinam ejus dignitatem.

III. **Rationes sunt cur specialissime et signate colatur.** 1° *Ratio*

(1) Sic dicitur : Un homme de cœur. — Je vous donne mon cœur. — De tout cœur. — J'en ai le cœur brisé. — Le cœur contrit et humilié. — Son cœur est pris. Hoc sensu, loco « cordis metaphorici », dicitur saepe « cor mysticum ».

(2) Hoc modo loquendi, *res significata* est amor in genere seu tota vita affectiva, intima, moralis : *signum* est cor physicum ; *ratio significationis* est connexio consueta, partim physiologica partim conventionalis, statuta inter cor physicum et motus omnes vitae affectivae.

generalis est praxis supra commemorata ut, ad manifestandam admirationem, gratitudinem, venerationem erga certorum virorum virtutes, dotes ingenii praclaras aut singularia beneficia, singulari cultu honorentur, etiam post mortem, certa eorum membra et cor in primis physicum. Cujus praxeos ratio est connexio naturalis agnita inter illam corporis partem et actus vitae psychologicae. — 2° *Ratio specialis*, cur, prae aliis partibus aut actibus humanitatis Christi, adoretur signate cor ejus, est momentum agnoscendum amori, seu in genere motibus vitae affectivae Christi, in toto suo opere mediatoris, seu in omnibus suis ad homines relationibus. Amor enim ejus est ex quo processere omnia quae operatus et passus est. Jure igitur speciali honore colitur tum in se tum in suo consueto et connaturali symbolo [1].

289. SECUNDA PARS: **De objecto proprio et proximo cultus SS. Cordis, qualis ab Ecclesia probatur et exercetur.**

I. **Status quaestionis.** 1° Non agitur hic nisi de *cultu ab Ecclesia pro omnibus authentice et publice probato*. Privatis enim, sicut et singulis consociationibus, cum cor Christi sit omni sensu adorabile, licet illud in suo privato cultu considerare sensu quo quam maxime juvantur et delectantur. Diversitas igitur in hoc potest adesse omnimoda, ita ut alii tantum aut imprimis cor physicum, alii amorem ipsum, alii amorem divinum, alii humanum prae mente et corde suo habeant.

2° Ex dictis etiam agitur tantum de determinando *objecto materiali* et quidem *proximo* atque *secundario*, seu de objecto cui *signate* defertur cultus: hoc enim solum est quo specificatur cultus in Ecclesia exhibitus variis Christi mysteriis: solemnitas v. gr. Corporis Christi exinde tantum diversificatur a solemnitate pretiosissimi Sanguinis; item festa Circumcisionis, Epiphaniae, SS. Nominis Jesu. Objectum primarium et remotum si attendatur, haec omnia inter se non distinguantur, siquidem eadem est persona, cujus ratione et cui cultus exercite exhibetur. Propterea extra quaestionem spatiari videntur ii omnes qui volunt objectum proprium et proximum cultus, qui signate defertur SS. Cordi Jesu, complecti ipsam personam Verbi. Ea quidem in illo cultu necessario attingitur, at non illi qua tali signatur deferri cultum (Cf. superius dicta, n° 282 et 286).

290. II. **Opiniones.** 1°. — Objectum est *solum cor metaphoricum*

(1) *Fundamentum* ergo cultus SS. Cordis omnino *non* sunt manifestationes illius ad S. Margaritam Mariam. Ea enim, sicut ante B. Juliana Cornilionensis pro solennitate Corporis Christi, non fuit nisi *occasio* ex qua cultus, privatus antea, ab ipsa Ecclesia probaretur authentice et ubique paulatim statueretur.

seu mysticum, id est, solus amor Christi. Ita nonnulli theologi sæculi 18ⁱ et 19ⁱ, qui, ad præcavendas objectiones aut scandalum Jansenistarum atque incredulorum contra devotionem ab Ecclesia probatam, volebant approbatum quidem esse cultum amoris sub cordis symbolo, at excluso a cultu ipso corde physico. — Opinio certe *falsa*.

2ª — Objectum est solum cor *physicum*, ratione quidem amoris cujus symbolum est, at quin amor ipse sit cultus objectum. Ita v. gr. Perrone : *De Incarnatione*, p. II, cp. 4, a. 2, prop. 2ª *Falsa* et ipsa.

3ª — Objectum est simul *et cor physicum*, qua symbolum amoris, *et amor ipse Christi*, aut potius omnes Christi affectus, quorum cor solet haberi ut symbolum : adoratur igitur cor ut significans, amor ut significatus, et ex utroque simul sumpto constituitur unum adorationis objectum materiale. — Ea est opinio quae proponitur ut *vera et certa*.

291. III. **Probatur.** 1° *Ex solemnioribus magisterii ecclesiastici declarationibus* de objecto illius cultus : A) Pius VI, contra perversas Jansenistarum interpretationes cultum vindicans, — a) scripsit, 29 Junii 1781, ad Scip. Ricci episc. Pistoriensem, « substantiam illius devotionis, ab omni certe superstitiositate immunem, spectare [ad hoc] ut symbolica Cordis imagine immensam caritatem effusumque amorem divini Redemptoris nostri meditemur atque veneremur » (apud Nilles : *De rationibus festorum sacr. C. J.* (1885), p. 345) : quo clare significabat coli ipsum amorem sub symbolo carneo ; — b) anno vero 1794, damnando ejusdem synodales propositiones 62 et 63, ad vindicandam « devotionem erga SS. Cor Jesu,... qualis est ab Apostolica Sede probata », specificavit coli etiam symbolum ipsum ; calumniam enim Pistoriensium contra fideles qui illud colebant exinde revellit, quod « Cor Jesu adorarent », non « cum separatione vel praecisione a divinitate », sed « ut est Cor Jesu, Cor nempe personae Verbi, cui inseparabiliter unitum est, ad eum modum quo exsangue corpus Christi in triduo mortis sine separatione aut praecisione a divinitate adorabile fuit in sepulcro » (D-B. 1562-1563 ; C. 839). — B) Pius IX, decreto quo, anno 1856, festum SS. Cordis praescripsit extendi ad universam Ecclesiam, significavit se cupere « nova praebere incitamenta fidelibus ad amandum, *redamandum*, amplectendum vulneratum Cor ejus qui dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo ». (apud Nix : *Cultus SS. Cordis J.*, p. 45-47). — C) Leo XIII, litteris datas 28 Jun. 1889, quibus idem festum evexit ad ritum duplicis primae classis, dicebat in hac devotione « praecipua caritatis beneficia, per Christum Redemptorem in humanum genus collata, sub sanctissimi Cordis Jesu symbolo, cultu peculiari recoli » ; encyclica vero « Annum sacrum », qua, die 25 maii 1899, edixit omnes homines Cordi Jesu consecrari,

scribebat : « Quoniam inest in sacro corde symbolum atque expressa imago infinitae Christi caritatis, quae movet ipsa nos ad amandum mutuo, ideo consentaneum est dicare se Cordi ejus augustissimo ».

2° *Ex sacra liturgia.* — A) Oratio missae *Miserebitur* ait nos, « in SS. Filii [Dei] Corde,.. praecipua in nos caritatis ejus beneficia recolere ». — B) In officio, lectio 6ª revocat in memoriam festum hoc concessum esse ut « caritatem Christi patientis et pro generis humani redemptione morientis atque in suae mortis commemorationem instituentis sacramentum corporis et sanguinis sui fideles, sub sanctissimi Cordis symbolo.., recolant ». — C) Litaniae specialiter de SS. Corde Jesu approbatae invocant illud tum ut est « in sinu Virginis a Sp. S. formatum [et] Verbo Dei substantialiter unitum », — quod est de Corde carneo intellegendum —, tum ut est « fornax ardens caritatis, bonitate et amore plenum, virtutum omnium abyssus, patiens et multae misericordiae, saturatum opprobriis, etc, — quod est de corde metaphorico seu de amore in corde carneo significatum.

3° *Ex ratione theologica.* A) Ex paritate cum plerisque devotionibus ab Ecclesia approbatis ; nam solet in eis exhiberi cultus objectum partim sensibile partim spirituale, v. gr. in adoratione S. Crucis, sacrae lanceae, sacrae sindonis, etc [1]. — B) Ex summa convenientia : nam : a) caritatem Christi, cum tanti sit momenti in mediatione Christi ad homines, decet ab eis speciali cultu honorari, nec aptius coli potest quam in symbolo suo connaturali, quod est cor ejus ; — b) cor autem, cum sit Verbo Dei unitum hypostatice ideoque ratione sui adorabile, non potest haberi in cultu ut nudum symbolum, cui et ipsi non exhibeatur adoratio : secus enim excluderetur ab adoratione id quod est de se adorabile. — Cum igitur haec duo eodem cultu attingantur immediate, objectum materiale proximum (seu *signatum*) illius cultus dicitur complecti utrumque per modum unius [2] : ad unitatem vero rediguntur ex eo quod caritas Christi colitur prout sensibi-

(1) N. B. tamen hujusmodi objectis non inesse personam Christi, eaque propterea non adorari nisi relativo cultu : objectum spirituale tantummodo revocant in memoriam. Hic econtra persona adest, et quia colitur cor vivum, amor etiam vivus, qui est obj. spirituale, non tantum revocatur sed in se adoratione attingitur.

(2) Utrum ex his duobus sit primarium pendet a respectu sub quo instituatur comparatio : 1° Si consideratur dignitas rei, finis cultus et ratio praecipue cultus, primum locum occupat caritas, siquidem a) spirituale praecellit materiali ; — b) Ecclesia vult colere caritatem et caritatem exinde nostram accendere ; — c) caritas est ratio praecipua specialis colendi cordis. 2° Si consideratur id quod magis proxime in cultu attingitur, prius est cor physicum. Ideoque devotio denominatur SS. Cordis et non Caritatis Jesu, ex objecto scilicet in quod immediate dirigitur attentio fidelium.

liter manifestatur in symbolo Cordis, quod et ipsum signate colitur ratione illius ipsius caritatis.

292. QUAERES DE AMORE : 1° **Utrum humanus tantum, an etiam divinus,** sit objectum proprium cultus SS. Cordis ?

Non pauci respondent adorationem terminari ad utrumque. Rationes dant in primis quod : a) aliqua documenta ecclesiastica alludunt ad amorem, quo Verbum assumpsit carnem, et ad caritatem ejus infinitam ; — b) cor sit symbolum omnis amoris personae, proindeque, in casu, etiam amoris divini ; — c) fideles in suo cultu non distinguant sed attendant personam ipsam divinam, quae caritas est ; — d) amorem divinum esse quo amor humanus in Christo moveatur et confortetur [1].

Attamen, cum multis aliis[2], melius et consequentius respondendum videtur :

A) Increatus sane amor attingitur exercite, sicut et ipsa persona, quacum identificatur et quae est istius cultus objectum remotum et primarium.

B) **Immediate** vero, ut **objectum proprium et signatum, attingi non videtur nisi amor humanus,** siquidem illius tantum cor physicum est symbolum connaturale. Posito igitur amorem Christi non coli nisi ut sensibiliter hoc symbolo manifestatum, ratio non est adjungendi amorem increatum, nisi dicas illum etiam hoc symbolo manifestari ; hoc porro dici nequit : secus enim manifestaretur etiam amor Patris et Spiritus S., quem nemo tamen dicit esse objectum proprium istius cultus[3].

Nec juvat dicere symbolisari corde omnem amorem personae, nam hoc verum quidem est de persona, cujus unica sit natura et unica vita affectiva ;

(1) Videas, si placet, apud BAINVEL : *La dévotion au Sacré Cœur de Jésus*, 2e partie, ch. 1, § 12-13.

(2) Quos videas annumeratos, imprimis apud P. VERMEERSCH : *Pratique et doctrine de la dévotion au Sacré Cœur de Jésus, 2e partie, ch. 1, art. 5.*

(3) Haud desint forte quibus haec distinctio amoris increati et creati videatur quid mere metaphysicum in devotione parvi pendendum. At econtra dogmaticum omnino et fundamentale est, in doctrina catholica : a) distingui in Christo actiones — ergo affectus — humanos a divinis ; — b) actiones divinas amoremque proinde divinum — Christi non esse ullo modo et proprium : v. gr. quando de Patre dicitur : « *Sic Deus dilexit mundum ut filium suum unigenitum daret* » ; non dedit proprie Filium nisi ut incarnatum : voluntatem scilicet humanam Christi Deus [per appropriationem, Pater] movit ut se traderet morti. Econtra quando de Christo dicitur : « *Dilexit me et tradidit semetipsum pro me* ». (*Gal.* 2. 20) intellegitur directe amor, quo se tradidit morti (Cf. 1. 4). Porro is sane est humanus, cui amor divinus, communis Trinitatis, cooperatus est : (Cf. III, q. 47, a. 3.).

at quaestio est num idem valeat de persona, cujus altera sit natura et altera vita affectiva, quacum illud cor non habeat ullam connexionem symbolicam.

Cetera vero, quae in contrarium invocantur, non ejusmodi sunt quae controversiam dirimere possint. Nam — a) allusiones ad amorem increatum inveniuntur in documentis, quae praescindunt ab hujusmodi determinationibus et sufficienter intelleguntur de objecto remoto, quod exercite attingitur ; — b) devotio debet explicari fidelibus qualis sit ex mente et doctrina Ecclesiae, potius quam determinari ex eorum mente ; — c) amor divinus quo movetur et confortatur amor humanus Christi haud magis est Christi quam Dei Patris et Spiritus Sancti ; sin autem, ut omnino licet, consideratur ut appropriatus personae Filii, jam identificatur cum persona, quae exercite tantum attingitur.

2° **Utrum colatur amor humanus, quo nos tantum, an etiam quo Deum Christus amavit ?** — Respondendum videtur : Primario, et pro scopo devotionis, qui est nos excitandi ad redamandum, attenditur amor quo nos amavit. Attamen, quia — a) nos Christus dilexit propter Deum amatum et glorificandum ; — b) cultui proponitur cor de peccato dolens ; Christus autem de peccato doluit ex suo praesertim amore Dei ; — c) cor est symbolum totius vitae affectivae humanitatis Christi ; — propterea dici debet attingi totum amorem quo Deum simul et homines prosecutus est. Imo, quia Deum plus quam cunctos homines dilexit et de Dei offensa doluit plus quam de omnibus hominum malis, haud immerito dicatur imprimis adorandus amor, quo Patrem super omnia dilexit.

293. TERTIA PARS : **De fine hujus cultus.**

I. **Amor Christi in corde fidelium excitandus.** Hoc patet tum ex documentis ecclesiasticis supra recitatis, tum ex natura rei, tum, si placet addi, ex ipsius Christi petitionibus in manifestationibus ad S. Margaritam Mariam. — Ceterum nihil est quo efficacius juventur fideles ad redamandum quam meditatio amoris, tristitiae ac beneficiorum illius SS. Cordis.

II. **Reparatio offensarum** eidem illatarum, praesertim in Eucharistia. Hoc patet — A) ex motivis quibus Ecclesia inducta est ad hujusmodi cultum approbandum (cf. apud Nix : *op. cit.* p. 90-92). — B) Ex ipsa assertione SS. Pontificum, v. gr. Leonis XIII : « Praecipuus hujus cultus finis ille est, scilicet ut ingrati animi crimen tot hominibus commune debitis obsequii, amoris, pietatis officiis expietur et Deus per SS. Cor Jesu humano generi placetur » (*Litt. apost.* 28 junii 1889). — C) Ex ipsis Christi verbis ad S. Margaritam M. — D) Ex ipsa natura rei (I. II, q. 28, a. 2 et a. 4).

N. B. 1° Reparatio illa potest considerari vel ut *honoris laesi redintegratio* vel ut *amoris contempti consolatio.* Sub priori respectu consistit in procuranda gloria Christi variis virtutum actibus, speciatim religionis. Sed agitur praecipue de consolatione amoris, contra dolorem intimum, quem causat aut causare nata est hominum ingratitudo eorumque in Deum et Christum rebellio.

2° Reparatio, cum sit essentialiter compensatio damni vel poenae aut doloris alicui illati, praescindit ab hoc quod laesus aut constristatus pergat actu pati de damno aut dolore sibi illato. Procedit enim imprimis ex odio deordinationis quae est in detrectatione honoris aut amoris debiti ; malum igitur quod compensare contendit est potius in eo qui denegat honorare et amare Deum. Etsi proinde Cor Jesu jam nequeat ullum dolorem pati, non est cur quaestio ponatur de opportunitate reparationis illi exhibendae. Dolet nempe ad modum Dei ipsius, qui odio habet omnem denegationem honoris aut amoris sibi debiti [1].

294. QUARTA PARS : 1° **De distinctione cultus SS. Cordis a cultu SS. Sacramenti.** Differunt A) *Objecto* : in SS. Sacram., objectum materiale cultus est totum corpus sub speciebus sine ullo speciali respectu ad cor ipsum aut ad amorem ; in SS. Corde, objectum est tum ipse amor tum ipsum Cor, sine respectu ad alias corporis partes. — B) *Motivo cultus :* in alio, motivum proprium est tantum dignitas infinita carnis et corporis uniti hypostatice Verbo Dei ; in alio, motivum proprium est amor Christi, et quidem imprimis amor contemptus et non redamatus. — C) *Fine cultus :* in alio, finis proprius est exhibere adorationem et gratitudinem Christo in altari se immolanti et apud nos sacramentaliter habitantis ; in alio, finis est profiteri amorem, quo Christus ab initio, nunc et semper nos Deumque prosequitur [2], illique rependere amorem et reparationem de tot opprobriis ac doloribus quibus afflictus est.

2° **De excellentia illius devotionis :** Cum ut *objectum proprium* habeat amorem illum, ex quo processit totum id quod Christus egit, perpessus est ac instituit ad majorem Dei gloriam et hominum utilitatem ; finem

(1) Dici potest dolere etiam actu in membris corporis sui mystici, quorum non pauca detrimentum patiuntur, abutuntur amore et gratiis exhibitis, in periculo versantur aeternae damnationis. Actuali illi malo suorum membrorum caput non potest non gaudere quod occurrere curemus.

(2) Devotio, quae dicitur ad *Cor eucharisticum*, scopum econtra sibi praefigit specialem colendi amorem Christi qua instituentis Eucharistiam. Haec igitur facilius identificetur cum cultu SS. Sacramenti. Cultus SS. Cordis in genere valde latius patet.

vero sibi praestituat fovendi apud homines illam ipsam caritatem, per quam incipit, perficitur et consummatur vita Christi in nos, primum sibi locum vindicare debet tum in zelo pastorum ad animas Deo reducendas aut conjungendas, tum in sollicitudine animarum ipsarum ut continuas in corde suo disponant ascensiones.

CAPUT SECUNDUM

DE CONSECTARIIS UNIONIS PRO NATURA ASSUMPTA

Quaestio est de dotibus naturae assumptae, vel ratione unionis collatis, vel, non obstante unione, servatis.

Aliae sunt *supernaturales:* in subtantia animae, sanctitas; in intellectu, scientia; in voluntate, impeccabilitas, non exclusa libertate; in toto composito humano, sed praecipue in anima, potentia. Aliae sunt *naturales*, videlicet animae et corporis perfectiones, atque etiam defectus operi Redemptionis utiles.

ARTICULUS I

DE CHRISTI SANCTITATE

295. Sanctitas in Deo est ipsum Esse, formaliter quatenus est Bonum infinitum et Boni infiniti infinitus Amor. Possit ergo distingui in eo quasi duplex: entitativa seu physica et moralis. *Entitativa* sit Deus ipse, qua est summum bonum, ad quod omnia tendunt et ordinantur, ita ut creaturae eo magis sint bonae quo magis intime illi adhaereant. *Moralis* sit Deus ipse, qua vult bonum morale et odit malum, legibus suis procurat bonitatem moralem creaturarum et homines ad se perducit.

In creaturis, sanctitas oritur ex aliqua speciali ad Deum dedicatione, qua fit ut venerationem ac cultum aliquo modo participent, qui Deo ipsi exhibetur. Sanctum hoc sensu idem est ac sacrum, seu ab usu communi seu profano segregatum, Deo addictum ac sub ejus speciali tutela constitutum. Hoc sensu sancta dicuntur non tantum sacerdotes, ac templa sed etiam leges atque populi.

Sanctitas tamen ea est mere *materialis* aut ritualis, nam dedicatio ad Deum non perficit intrinsece creaturam.

Ubi vero dedicatio est creaturarum, quae se possint ipsae Deo aptare et conformare, exigit connaturaliter eas se exhibere Deo dignas per moralem sui perfectionem. Sanctitas tunc est *formalis,* quae propria est personarum ac dicit, praeter entitativam illam seu materialem cum Deo conjunctionem, immunitatem a labe morali, seu rectitudinem vitae qua creatura rationalis, se ipsam voluntati divinae conformando, fiat Deo grata et illius complacentia atque praemiatione digna [1].

Sanctitatis formalis ea est *notio communissima,* quae dari possit in omni ordine.

Specialis autem *notio* est sanctitatis, quae propria est justorum in ordine nostro supernaturali. Dicit tum specialem Dei in anima habitationem tum animae ipsius cum Deo praesenti conformitatem seu deiformitatem, ita ut non tantum Deo sit grata sed etiam unita, atque jam fruatur jure ad haereditatem filiorum. Vocatur sanctitas *accidentalis*, quia deiformitas illa et unio cum Deo fit per accidens animae infusum.

296. De sanctitate Christi. Christum, qua homo, esse sanctum, saltem per communicationem idiomatum, de fide est ex Scriptura : « *Quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei* ». (*Lc.* 1. 35). « *Quem Pater sanctificavit et misit in mundum* ». (*Jo.* 10. 36). « *Vos autem Sanctum et justum negastis* ». (*Act.* 3. 14) etc... Neque hoc jam quaeritur. Quaeritur utrum humana natura in unione dici possit ipsa formaliter sancta, et quanam sanctitate : utrum sanctitate tantum illa accidentali, qua ornantur omnes justi, an praeterea sanctitate, quae procedat ex aliquo principio substantiali proindeque substantialis dici debeat.

Respondetur : duplici sanctitate. 1° Sanctitate substantiali, vi gratiae unionis ipsius, quae est illi omnino singularis. — 2° Sanctitate accidentali, vi gratiae sanctificantis et donorum ad eam consequentium, quae est illi cum omnibus justis specifice communis.

(1) De notione primaeva sanctitatis, cf. Delehaye, art. *Sanctus* in *Analecta Bollandiana*, XXVIII (1909), p. 145-200. Item de Régnon : *Études sur la S^te Trinité*, t. IV, p. 348 — Consentit S. Thomas : II. II, q. 81, a. 8.

§ I DE SANCTITATE SUBSTANTIALI

THESIS XXI — Humanitas Christi, vi ipsius unionis cum Verbo, sancta est sanctitate substantiali.

297. I. **Sensus theseos** est unionem substantialem cum Verbo esse gratiam — gratiam unionis —, vi cujus humana Christi natura dici possit formaliter sancta et quidem substantialiter, quatenus conjunctionem cum Deo habet substantialem.

Doctrina sic exposita *communis est et certa*, vixque videtur esse quoad rem ab ullo theologo negata.

Vocabulum quidem sanctitatis substantialis S. Thomas non videtur habere [1], et Durandus atque Scotus voluere unione naturam sanctificari *radicaliter* quidem seu *causaliter*, quatenus unione connaturaliter exigitur gratiam sanctificantem infundi animae, at *non formaliter*, quia sanctitas formalis non sit nisi ex gratia sanctificante. At dissensus hujusmodi non est nisi de appellatione, nec ullus catholicus asserit unionem seipsa facere naturam deiformem seu sanctificare eadem specifice sanctitate, qua gratia sanctificans. Quoad rem igitur, quaestio est tantummodo utrum natura, posita unione, dici possit aliquo vero et proprio sensu formaliter sancta.

298. II. **Probatur.** 1° **Ratione theologica,** quia quaestio est fere tota de notione sanctitatis.

A) *Positive,* nam illa natura rationalis est formaliter atque substantialiter sancta, quae, ratione unionis cum Deo substantialis, est Deo grata et immunis a peccato atque jus habet ad haereditatem : ex dictis enim ea est notio sanctitatis formalis communissima.

Atqui, posita unione, natura humana in Christo : **a)** habet Deum non tantum sibi inhabitantem sed etiam substantialiter unitum, ita ut non tantum sit ei ad modum templi aut instrumenti dicata atque consecrata, sed etiam ejus sit et in ipso tota : transcendit igitur illa unio tum adhaesionem Deo per intellectum et voluntatem, tum amicabilem et substantialem Dei praesentiam, quae propria est justorum ; — **b)** fit Deo grata et amica super omnem naturam ullius filii adoptivi, siquidem fit natura ipsius Filii Dei naturalis, ita ut omnes ejus operationes, etiam si gratia habitualis et virtutes non infunderentur, valorem tamen et meritum divinum haberent ; — **c)** fit exclusiva omnis pec

(1) Loquitur tantummodo de « gratia unionis » (III, q. 2, a. 10 ; q. 6, a. 6 ; q. 7, a. 11 et 13), quam omnino distinguit a gratia habituali, et de gratia unionis affirmat omnino id ipsum quod vocamus sanctitatem substantialem.

cati, ita ut, juxta dicenda infra de impeccabilitate, repugnet omnino illam infici ulla peccati labe ; — **d)** jus habet ad haereditatem, quatenus, ratione personae ad quam elevatur, fit plene digna cui conferatur tum beatitudo tum dona supernaturalia ad eam assequendam proportionata. Jus hoc non est quidem ex justitia stricta, siquidem non est ex merito neque intercessit ulla Dei promissio, nec proinde, si denegaretur beatitudo, laederetur magis justitia quam ubi filio proprio denegetur a patre haereditas; at Deus, eam denegando, non tractaret naturam Filii sui, proindeque, ipsum suum Filium, pro dignitate sua.

299. B) Negative. Ideo non, quia :

a) Unio non dat se ipsa proportionem ad haereditatem per visionem beatificam ; porro quod non dat proportionem non dat jus. — **At** consequentia non valet, nam aliud est consecutio formalis beatitudinis, aliud jus ad illam. Jus igitur verum unio dare potest, etsi seipsa non det proportionem ad consecutionem formalem, si modo det exigentiam connaturalem gratiae, qua fiat proportio ad consecutionem. Porro, ex dictis, constat unionem seipsa dare illam exigentiam.

b) Sanctitas substantialis naturae consistit in participatione formali substantialis ipsius Dei sanctitatis, quasi hoc Dei attributum possit prae aliis creaturae communicari et illius fieri proprietas. Porro hoc videtur impossibile et favere videtur errori Ubiquistarum et antiquorum illorum qui voluerunt naturam participare omniscientiam divinam : Verbum enim haud minus est substantialiter sapiens, omnipotens, et immensus quam sanctus. Dato igitur illum communicare naturae sanctitatem suam substantialem, haud videtur cur non ei pariter communicet alia sua attributa, et natura non possit, ratione unionis, dici pariter substantialiter omnipotens, immensa, sapiens, etc. — **At** ea objectio supponit notionem sanctitatis Christi substantialis, quae, etsi nonnullis theologis probari videtur [1], tamen est minus recta. Sanctitatem enim illam diximus non vocari substantialem nisi quia procedentem ex unione substantiali cum Verbo. Ex hac porro unione, naturae humanae innascuntur quidem dignitas et jura commensurata personae divinae : — haec enim omnia sunt de genere relationis et

(1) Sic v. gr. Scheeben, ubi explicat cur sanctitas illa sit infinita : « Weil die unendliche Heiligkeit des Logos selbst das formale Prinzip derselben ist und in derselben so vollkommen mitgetheilt wird, als sie überhaupt mitgetheilt werden kann... So dass die causa formalis der Heiligkeit Gottes durch sich selbst auch die *causa formalis* der Heiligung der Menschheit Christi ist » (*Handbuch der kathol. Dogmatik*, t. III, n. 915 et 916). Contra quem arguit Schell. (*Kathol. Dogmatik*, III[1], p. 178-179),

oriri possunt ex ipsa relatione ad Verbum ; — at non innascitur quidquam substantialiter divini, quo afficiatur per modum proprietatis seu formae sibi inhaerentis. Ipsa fit Verbi et a Verbo habetur ; at non ipsa habet Verbum aut ea quae sunt propria Verbi.

300. Illegitime igitur concipiatur substantialis sanctitas ut participatio formalis ipsius sanctitatis divinae [1] : haec, haud magis ac alia attributa divina, participari formaliter potest ab ulla creatura [2]. Nec tamen contradictorium aut arbitrarium est naturam dici, ratione unionis, substantialiter sanctam, etsi non dicatur substantialiter aeterna, immensa, sapiens, beata, etc. Disparitas enim est ex parte istarum proprietatum, prout praedicabiles sunt de creaturis : aliae, v. gr. aeternitas, immensitas, hujusmodi sunt ut ratione sui excludantur a creatura ; aliae, v. gr. sapientia, beatitudo, cum non haberi possint nisi consequenter ad operationem vitalem, non possunt oriri in Christo ex sola unione. Sanctitas econtra, ex dictis, agnoscitur oriri in creaturis ex omni unione cum Deo quae faciat eas illi gratas, a peccato immunes et dignas beatitudine. Ex ipsa igitur notione sanctitatis, non qualis in Deo est sed qualis in creaturis dari potest, repetitur ratio cur illa sola possit de natura Christi humana praedicari vi ipsius unionis.

301. 2° **Auctoritate Patrum**, qui solent unctionem, id est, sanctificationem aut, prout multi dicunt, divinizationem carnis Christi ascribere formaliter ipsi suae unioni cum Verbo et exinde repetere differentiam sanctitatis ejus ab ea quae ad participes ejus derivatur. Sic in genere occasione verbi : *Unxit te, Deus, Deus tuus oleo exultationis prae participibus tuis.*

Apud Origenem, v. gr. « Illa anima, quae, quasi ferrum in igne, sic semper in Verbo, semper in Sapientia, semper in Deo posita est,.. ideo nec convertibilis aut mutabilis dici potest, quae inconvertibilitatem ex Verbi Dei unitate indesinenter ignita possedit. Ad omnes sanctos calor aliquis Verbi Dei putandus est pervenisse ; in hac autem anima ipse ignis divinus substantialiter requievisse credendus est, ex quo ad ceteros calor aliquis venerit. Denique quod dixit, quia *Unxit te Deus,* etc... ostendit quod aliter

(1) Quomodo difficultatem solvant theologi, qui modum illum concipiendi minus abjiciunt, videas v. gr. apud Gonet : *Disp.* 11, a. 2, n° 55-61 ; Lugo : *Disp.* 16, s. 1, n. 11-21 ; Pesch : n° 285 — Plura de his indicat Michel, art. *Jésus-Christ*, apud DTC VIII, 1278. Sed multae controversiae, de quibus ibi, non oriuntur nisi ex notione sanctitatis substantialis insufficienter declarata.

(2) Si quo igitur sensu sanctitas, sicut et alia relativa attributa Dei, dicitur ab humanitate Christi participari, hoc rectius et, ad claritatem sermonis, aptius intellegatur de sanctitate accidentali, qua fit ipsa deiformis.

ista anima oleo laetitiae, id est, Verbo Dei et Sapientia ungitur, et aliter participes ejus, id est, sancti prophetae et apostoli » (*Peri archon,* II. 6 PG 11. 214 A-B).

Item S. Gregorius Nazianzenus : « Christus [est], propter divinitatem : ea enim est humanitatis unctio, non operatione sicut in aliis christis, sed totius ungentis praesentia sanctificans,cu'jus hic effectus est, ut id, quod ungit — [Verbum scilicet] — homo vocetur, et quod ungitur — [homo] — Deus fiat » (*Or.* XXX. 21 PG 36. 131 C).

S. Basilius : « Reliqui quidem homines labore exercitioque et attentione plerumque virtutis habitum assequuntur, abhorrentque a vitiis ; tibi vero *naturalis* quaedam est cum bono conjunctio ac necessitudo alienatioque ab iniquitate » (*Hom. in ps.* 44. 8 PG 29. 406 B).

Quae omnia, pro more suo, Damascenus complectitur : « Christi vocabulum personae esse dicimus,.. sed duplicem naturam significat. Ipse siquidem seipsum unxit, corpus videlicet suum divinitate sua ungendo, tanquam Deus, unctus autem ut homo... Unctio porro humanitatis est divinitas ». Hinc carnis deificatio, quae a primo instanti assumptionis facta est : « Simul enim haec tria facta sunt : assumptio, existentia et deificatio ejus a Verbo, [id est] deificatio humanitatis ». (Ἕνωσις τοῦ ἀνθρωπίνου... τῷ θεῷ... θεοῦντι τὸ προσλημμα. (*De fide orth.* III. 3 et 12 PG 94. 990 B et 1032 B-C).

Consentit S. Augustinus, et Latini omnes : « Nec sane tunc unctus est Christus Sp. Sancto, quando super eum baptizatum, velut columba, descendit,... sed ista mystica et invisibili unctione tunc intellegendus est unctus quando Verbum Dei caro factum est, id est, quando humana natura, sine ullis bonorum operum meritis, Deo Verbo est in utero Virginis copulata ». (*De Trinit.* XV. 26, 46).

302. N. B. **de vi istius argumenti.** Doctrina illa adeo est apud Patres communis et firma ut vix non dicenda sit pertinere ad fidem, si constet eos intellexisse sanctificationem ex unione derivasse, quae a nostra sit specifice et non tantum gradu diversa. Hoc porro non constat. Nam, etsi sanctificatio est ratione unionis et a primo instanti, ita ut hoc sensu naturalis Christo dici possit, tamen non excluditur eam intellectam esse de illa sanctitate seu gratia, cujus ille plenitudinem, et alii tamen derivationem habuere. Hoc imo potius explicite fere affirmat sanctus Augustinus tum loco citato, ubi dicit « mysticam et invisibilem unctionem », qua alii in baptismo unguntur, collatam ei fuisse in ipsa Incarnatione, tum in *Liber de praedest. sanctorum,* ubi dicit eadem gratia nos fieri christianos qua caput nostrum factus est Christus (15.31 PL 44. 982).

Idem dicendum est de textibus Scripturae Sacrae, quos Christo S. Paulus aut Christus ipse sibi applicat : *Unxit te Deus,* etc. (*Hebr.* 1. 8-9). *Spiritus Domine super me ; propter quod unxit me* (*Luc.* 4. 18). Ille dici possit essentialiter praestare prae omnibus consortibus suis, tum quatenus gratiae solus habuit plenitudinem, tum quatenus illam habuit ratione suae propriae constitutionis, qua Christus est : quod de nullo alio sancto, ne de B. Virgine quidem, dici potest.

Haec proinde Scripturae aut SS. Patrum dicta, etsi melius et plenius intelleguntur de sanctitate substantiali, quae jam noscatur competere humanitati Christi, tamen non apta sunt eam proprie demonstrare.

303. Corollaria. 1° **Non tantum anima, sed totum compositum humanum unione sanctificatum est.** « Gratia [enim] habitualis est solum in anima ; sed.. gratuitum donum, quod est uniri divinae personae, pertinet ad totam naturam humanam, quae componitur ex anima et corpore » (III, q. 2, a. 10, ad 2[m]). Ea igitur omnia quae, juxta superius dicta, assumpta sunt secundum hypostasim vel in hypostasi, substantialiter sancta sunt : ita v. gr. Christi operationes.

2° **Omnes actiones Christi humanae habent valorem moralem** infinitum. Valor enim moralis operationum apud Deum computatur non pro dignitate physica principii a quo immediate procedunt, sed pro earum efficacitate in ordine ad obsequium Deo praestandum. Jamvero eo magis vergunt in honorem Dei quo majoris est dignitatis persona operans ad illud obsequium praestandum. Nunc autem in omni actione morali Christi, persona obsequium praestans est ipse Deus, infinitae dignitatis. Valor igitur obsequii praestiti mensurari potest ex eo quod ipsa digna est cui idem obsequium praestetur et tamen, ex intentione Deo serviendi, se habet ad Deum ut quae nata sit ad illi in omnibus obsequendum [1].

304. QUAERES utrum humanitas Christi dici possit **sancta infinite ?**

Respondeo : De modo loquendi, multum controverti potest. — Quoad rem :

1° Certum est Christum, qua homo, vi communicationis idiomatum, esse infinite sanctum : ille igitur homo est infinite sanctus.

2° Certum est donum, quod humanae naturae in Incarnatione factum est, esse simpliciter infinitum : « Gratia enim unionis est ipsum esse personale, quod gratis divinitus datur humanae naturae in persona Verbi » (q. 6, a. 6) ; « est ipsum uniri personaliter Filio Dei,... et hanc gratiam constat esse

(1) Cf. SUAREZ : *Disp.* 39, s. 1, n° 5-6, quod essent meritoriae vi solius unionis, etsi fierent sine co-principio gratiae ; et *Disp.* 4, s. 4, quod meritum sit infinitum.

infinitam, secundum quod ipsa persona Verbi est infinita... Donum [enim] quod datum est humanae naturae, ut uniatur divinae personae,... est donum infinitum » (q. 7, a. 11 c et ad 1[m] ; item *Compend. theol.* cp. 215).

3° Sin autem consideratur, non jam id quod donatum est seu ad quod elevatio et unio facta est, sed ipsa unio qua formaliter est in humana natura, « dicendum est quod unio de qua loquimur est relatio quaedam » realis naturae humanae ad Deum. Est igitur « quiddam creatum » nec proinde dici potest simpliciter infinitum (q. 2, a. 7). Item de sanctitate, quae de natura praedicatur ratione illius unionis seu relationis. Non potest dici infinita simpliciter, bene vero secundum quid, sive quatenus est ex relatione ad infinitum simpliciter, sive quatenus transcendit omnem unionem ad Deum qua sanctificari possit ulla creatura. Nec contra facit quod caro Christi, quia erat caro Dei, dicitur habuisse « dignitatem infinitam » (III, q. 48, a. 2, ad 3[m]), nam « dignitatem infinitam ex bono infinito » dicuntur habere non tantum « humanitas Christi, ex hoc quod est unita Deo », sed etiam « beatitudo creata, ex hoc quod est fruitio Dei, et beata Virgo, ex hoc quod est mater Dei » (I, q. 25, a. 6, ad 4[m]).

§ 2 DE SANCTITATE ACCIDENTALI

305. Sanctitas accidentalis intellegitur, quae humanae naturae confertur gratia, quae dicitur sanctificans. Per eam homo non tantum donatur substantiali praesentia SS. Trinitatis — per appropriationem, Spiritus Sancti — sed etiam fit consors divinae naturae, ita ut deiformis in se ipso factus Deo jam sit amicus, filius adoptivus et haeres vitae aeternae. Deificatio ea est naturae humanae, quam diximus non produci formaliter unione hypostatica. Jam quaeritur utrum detur, re vera, in Christo, et, quia causa illius formalis saltem partialis alibi demonstratur esse gratia, quae per modum habitus, una cum aliis donis supernaturalibus, animae infunditur, quaestio est utrum et quo in gradu Christus habuerit illam gratiam et dona consequentia.

THESIS XXII — Christus habuit gratiae sanctificantis plenitudinem ab initio perfectam ; infusas pariter accepit virtutes suae perfectioni non contrarias et omnia dona Spiritus Sancti (q. 7).

306. I. **Habuit gratiam sanctificantem.**

1° **Potuit eam habere,** etsi jam haberet sanctitatem substantialem, nam :

a) Sanctitate substantiali natura non sanctificatur formaliter in omni linea : non deificatur in seipsa, id est, « non participat ullam

similitudinem divinae naturae » (q. 2, a. 10, ad 1[m]) ; non accipit formale principium quo agat supernaturaliter ; uno verbo manet capax effectus primarii gratiae sanctificantis, qui est deiformitatem conferre naturae humanae

b) Nec obstat, quod Christus, ratione suae personae, sit incapax adoptionis divinae ; nam effectus is est mere secundarius, qui excludi possit, quin eo ipso excludatur gratia cum suo effectu primario.

2° **Debuit eam habere,** nam natura Deo ita conjuncta et amica ut jus connaturale haberet ad fruitivam Dei possessionem, debebat deiformitatem accipere, qua proportionaretur eliciendis fruitionis actibus : secus caruisset intrinseca illa ad Deum assimilatione, quam implicat visio intuitiva (a. 1 et 2). Hoc sensu gratia sanctificans dici potest fuisse Christo connaturalis et necessaria.

307. 3° **Christum de facto illam habuisse,** docetur a theologis communiter saltem ut *certum*, imo datur a Suarez ut *de fide* (*Disp.* 18, s. 2, n° 5) ; positis autem Scripturae testimoniis necnon communi illo Patrum et theologorum consensu, dici debet doctrina catholica, *fidei saltem proxima.*

A) *Ex Scriptura,* quatenus : a) de Christo, qua egresso de radice Jesse, seu qua homine, dicitur : *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiae et intellectus,* etc. (*Is.* 11. 2-5) : hoc autem non potest fieri nisi per gratiam aut cum gratia creata ; Spiritus Sanctus enim non insidet animae sine gratia ; — b) dicitur visus *plenus gratiae et veritatis,... et de plenitudine ejus nos omnes accepimus* (*Jo.* 1. 14 et 16) : gratia porro quam nos accepimus est gratia sanctificans.

B) *Ex traditione,* quatenus Patres unctionem, quam nos a Spiritu Sancto habemus ad mensuram, dicunt Christum habuisse secundum totam suam plenitudinem. Sic v. gr. S. Athanasius explicat nos ideo posse accipere unctionem a Spiritu Sancto quia Verbum ipsum, prius « Spiritu unctum est carne. Quia enim caro primum in illo sancta effecta est, et ipse, ut homo, Spiritum per eam accepisse dicitur, nos subsequentem Spiritus gratiam ex ejus plenitudine accepimus » [1].

(1) *Cont. Ar. or.* 1. 50 (PG 26. 118) et cf. 46 (107 B) — Item *Chrysostomus,* occasione verbi : *Super quem videris Sp. descendentem* : « Omnis gratia effusa est in illud templum ; non dat enim illi Spiritum in mensuram. *Nos enim de plenitudine ejus accepimus.* Illud autem templum integram et universam accepit gratiam. Illic quidem est integra gratia ; in hominibus autem parum quid et stilla ex illa gratia ». (*In ps.* 44, n° 2 PG 55. 186). Cui consonat omnino dictum S. Augustini (*De Trinit.* XV. 26, 46) de unctione, qua, non in baptismate sicut fideles, sed in ipsa Incarnatione, unctus est. *Supra,* n° 301.

Ita praesertim S. Cyrillus Alexandr., cujus doctrina explicita est: A) Carnem Christi habuisse ad Deum, praeter unionem qua unitur φυσικῶς, id est, hypostatice, unionem secundum habitudinem (σχετικῶς), quae data sit illi a Patre per Verbum in Spiritu Sancto [1]; qua ipsissima ratione, ex mente S. Cyrilli, justi omnes sactificari dicuntur in Spiritu Sancto. — B) Christum igitur, qua hominem, sanctificatum esse et ipsum sanctitate participata [2], quatenus Verbum templum suum, ad similitudinem aliarum creaturarum, unxit in eo, id est, in Spiritu [3]. — C) Christum porro ideo sic accepisse, ut hominem, Spiritum Sanctum, quem sibi, ut Deus, dedit, ut hujusmodi sanctificatio initium haberet ex ipso et in ipso, et sic in universum genus humanum permanaret [4].

308. II. **Habuit gratiae plenitudinem**, id est, perfectam perfectae gratiae possessionem, sive quoad ejus intensitatem, quatenus eam habuit « secundum perfectissimum modum quo haberi potest », sive quoad ejus virtutem, quatenus « habuit eam ad omnes operationes vel effectus gratiae » (a. 9).

1° Hoc constat: A) Ex *Jo.* 1. 14 et 16: plenitudo enim ea perfecta est, de qua omnes accipiant; ex *Col.* 1. 19: « In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare »; ergo etiam, imo praesertim, pleni tudinem gratiae qua ornantur omnes justi quorum caput est. — B) Ex ratione theologica, quia a) Christus est Deo quam maxime conjunctus; quo magis autem aliquod receptivum gratiae est propinquum influenti illam, eo abundantius illam recipit; b) quia ipse debet eam in omnes influere: « conferebatur ei gratia tanquam cuidam universali principio in genere habentium gratiam » (a. 9 c et cf. a. 11, ad 3^{m}).

2° Alii qui dicuntur et ipsi « gratia pleni », v. g. B. Virgo, S. Stephanus, etc, non habent plenitudinem objectivam et absolutam, sed tantum subjectivam, quantam scilicet a Deo praefixa est pro speciali corum munere (a. 10)

3° Non tamen habet gratiam entitative infinitam (a. 11) sed solum gradum maximum ordini praesenti convenientem. Potest vero haec gratia dici infinita moraliter tum quia est in summo gradu, tum quia se extendit ad omnes gratiae effectus, tum quia sufficiens est ut in-

(1) *In Joan. hom.* 11. 12 (PG 74. 564 B).
(2) Μεθεκτῶς,... ἁγίασμον τὸν ἐν μεθέξει (*Ibid.* 10. 548 C et B).
(3) *Ibid.* (549 D).
(4) *Ibid.* 548 A-B et 552 A-B.

fluat in omnes sine fine, tum tandem quia participat dignitatem infinitam ratione personae.

309. III. **Ab initio perfectam,** ita ut non potuerit augeri (a. 12). Hoc est certum. 1° Ex doctrina communi. 2° Ex ratione intrinseca, nam : A) Cum esset Christo connaturalis, et exigeretur, non ob aliquod ejus meritum, sed ob specialem ejus constitutionem atque munus, concedi debebat ab initio constitutionis suae. — B) Ab initio, ut videbitur infra, Christus erat comprehensor. — 3° Nec obstat verbum *Luc.* 2. 52 : *Proficiebat gratia,* nam profectus apparebat et realis erat « secundum effectus », quatenus « secundum processum aetatis perfectiora opera faciebat, ut se verum hominem demonstraret, et in his quae sunt ad Deum et in his quae sunt ad homines » (ad 3m). Simpliciter realis etiam erat profectus secundum virtutes acquisitas.

310. IV. **Accepit etiam.** 1° **Virtutes per se infusas** (q. 7, a. 2), quae sunt quasi facultates supernaturales gratiam sanctificantem consequentes : actus enim habebat agendos Christus, qui essent entitative supernaturales. — Non tamen eas habuit quae repugnant unioni et visioni intuitivae : ergo non fidem, neque spem saltem secundum actum suum propriissimum et primarium, id est, circa Deum absentem cum conatu habendum [1] ; paenitentiam pariter non habuit saltem praecise sumptam, quatenus dicit detestationem peccati a se commissi aut commissibili [2]. — 2° **Virtutes naturales** per accidens infusas (Cf. Suarez, *disp.* 19, s. 2). — 3° **Gratias actuales** (*Id.* 18, s. 4). — 4° **Dona Spiritus Sancti** (q. 7, a. 5) : quae sunt perfectiones facultates illas facientes facile mobiles a Spiritu Sancto, praesertim ad actus heroïcos : connexa sunt cum gratia, et Christo non repugnant sed econtra summe conveniunt. Agnosci possunt in enumeratione supra recitata ex Is. 11, 2 [3]. — 4° **Gratias gratis datas** (Cf. Suarez, *disp.* 21). Gratia gratis data est ordinatio quaedam actualis aut habitualis ad operanda mirabilia in manifestationem fidei (1 *Cor.* 12, 7). Evangelium testatur eas fuisse in Christo, et eas postulabat tum dignitas tum munus ejus. At illas possedit modo eminentiori, prout decebat scientiam ejus et potentiam perfectissimam.

(1) Potuit econtra elicere actum amoris concupiscentiae Dei jam possessi, seu complacere in beatitudine praesenti ; desiderare beatitudinem accidentalem post mortem sibi consequendam.

(2) De hoc plura apud Galtier : *De paenitentia,* n° 33.

(3) Donum v. gr. timoris habuit, non quidem timoris servilis seu poenae, sed filialis. Nam Dei cognoscebat plene magnitudinem et potentiam necnon suae humanitatis prae eo inferioritatem. Hinc autem reverentia (a. 6).

311. COROLLARIA : 1° Ergo gratia sanctificans collata est humanae naturae consequenter ad missionis gratiam, ut per eam nobilitetur et possit esse principium *quo* eliciantur operationes personae divinae. (q. 7, a. 13 et cf. q. 2, a. 10).

2° Cum Christus, ut infra exponetur, dicatur corpori suo mystico homogeneus, quatenus, ad modum vitis in palmites, vitam ille in nos influit et nos de plenitudine ejus accipimus atque ad ejus exemplar conformamur, hinc sequitur : a) gratiam nostram esse eamdem specifice ac gratiam illius. Ita communissime theologi, contra paucos qui velint, ratione dignitatis ex persona derivata, gratiam Christi esse alius rationis. De singulari illa opinione, cf SUAREZ, *disp.* 18, s. 2, n° 8-9) ; — b) gratiam, qua gratiam nobis meruit et influit, esse eam quae in ipso principium est operandi, eam proinde qua natura ejus humana ornata ac deificata est. Propterea et hoc sensu gratia Christi, ut capitis Ecclesiae, dicitur esse essentialiter eadem ac ejus gratia personalis (q. 8, a. 5 et cf. Suarez : *Disp.* 23, s. 2).

ARTICULUS II

DE SCIENTIA CHRISTI HUMANA

§ 1. DE EXISTENTIA ILLIUS SCIENTIAE

THESIS XXIII — Praeter scientiam divinam, Christus habuit scientiam humanam seu creatam, quae complectitur scientiam beatam, scientiam infusam et scientiam naturalem acquisitam.

Thesis enunciat primo factum generale existentiae illius scientiae ; postea determinat in specie quotuplex sit seu ex quotuplici fonte hauriantur cognitiones Christi humanae.

312. I **Habuit scientiam humanam in genere** (q. 9, a. 1).

1° Christum habuisse intellectum humanam *de fide catholica* est contra Arium et Apollinarium atque contra omnes negantes Verbum assumpsisse animam rationalem et intellectivam.

2° Eum illo suo humano intellectu elicuisse actum cognoscendi saltem aliqua, *de fide* etiam est ex definitionibus datis contra Monotheletas, quatenus contra eos affirmatum est « utramque formam operatam esse quod proprium habet » et Christum « duas naturales operationes habere » (D-B. 288 et 292 ; C. 736 et 744).

Ratio est quia : a) Intellectus humanus, ubi est, operari potest. « Mens enim, ait Damascenus, quae sapientia et cognitione destituatur, omnino non sit. Nam, si iners et sine motu, nulla prorsus ratione existat » [1]. — b) Si Christus non cognovisset quidquam humano suo intellectu, cum humana formaliter et bona moraliter atque meritoria non sit actio hominis nisi ea cui praeceat cognitio intellectiva, Christus non potuisset moraliter et meritorie quidquam operari.

313. 3° **Quaestio** fuit, apud primaevos scholasticos, **num anima Christi Deum et alia in Deo cognoverit scientia ipsa increata, quam habuerit, ratione unionis cum Verbo, sibi communicatam** [2].

Responderunt affirmative non pauci, illi scilicet in genere qui tenebant primam illam opinionem supra relatam de modo unionis hypostaticae [3], in specie vero Hugo a S. Victore [4] necnon, si non idem ipse est, auctor *Summae Sententiarum* [5] atque, saeculo adhuc 13°-14°, Joannes de Ripa [6].

Praeiverat quidem S. Fulgentius, ubi asseruerat Spiritum S. adeo datum esse animae Christi, non ad mesuram, sed cum plenitudine, ut « anima Christi nihil minus haberet sapientiae, nihil [minus] scientiae » quamipse Spiritus S., proindeque « non ad solam divinitatem Christi sed ad ejus quoque animam illa perfectionis praerogativa pertineret, quam ipsi Christo beatus apostolus assignat dicens : *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi* » [7].

Nitebantur autem imprimis praedicti scholastici principio, quod alii S. Augustino, alii S. Ambrosio ascribebant : « *anima Christi omnia habet per*

(1) « Νοῦς ἄσοφος, ἐστερημένος γνώσεως οὐκ ἂν εἴη ποτέ. Εἰ γὰρ ἀνενέργητος καὶ ἀκίνητος, καὶ ἀνύπαρκτος πάντως » (*De fide orthod.* III. 18 PG 94. 1072 C).

(2) De illa controversia cf. Portalié, art. *Abélard* et *Adoptianisme* apud DTC, I. 53 ; 413 et 415-416. Item Gietl : *Die Sentenze Rolands,* p. 166-171.

(3) Cf. v. gr. Geroch a Reichersberg : *epist.* 17 ; 19 ; 21 (PL. 193. 566 A ; 573 D ; 581 C-D) ; *De gloria et honore filii hominis,* XVII. 4-5 (PL 194. 1135-1136).

(4) *De sacram.* II. 1, 6 et *De sapientia animae Christi.* (PL. 176. 383-384 et 847-855). — (5) *Tract.* I, cp. 16 (PL 176. 74).

(6) « Suo tempore nullum habuit verbo et ingenio potiorem, ut ejus scripta testantur » (Hurter : *Nomenclator*). Ejus argumenta videas apud Capreolum, in III, *dist.* 14, q. 1, a. 2, § 1, ponuntur objectiones contra 1^um^ conclusionem.

(7) *Epist.* 14. q. 3, 29 (PL 65. 418) · Eulogius Alexandrinus, saeculo 7, ex verbo Christi : *Omnia quae habet Pater mea sunt* (*Jo.* 16. 15), concludebat pariter humanitati Christi competere eamdem scientiam quae ipsi Deo Patri ; (apud Photium : *Biblioth.* 230 PG. 103. 1081 A). Item S. Maximus Confessor. Posita unione cum Verbo, volebat humanitatem haud minus habere omniscientiam Verbi quam ferrum ignitum omnes proprietates ignis (*Quaest* : 66 (PG 90. 840 A).

gratiam quae Deus habet per naturam » [1]. Hinc enim, inferioritate creaturae manente, propter distinctionem naturae et gratiae, sarta tecta, deducebant quidquid est divinum, aut saltem sapientiam increatam collatam esse animae Christi, ita ut « ex plenitudine sapientiae plene sapiens esset anima Christi,... tota sapientia Dei in anima Christi esset et ex tota sapientia Dei anima Christi sapiens esset » [2]. « Indubitanter [igitur] dicendum quod alia sapientia quam divina non fuit in Christo : ...Dicendum est quod non alia sapientia erat anima illa sapiens » [3].

Ea vero **doctrina,** quam Abaelardus ejusque discipuli [4] necnon alii [5] permulti impugnaverunt, **jure abjecta est,** ut quae monophysismum sapiat et intrinsece repugnet [6].

Ratio est quia actus cognoscendi, cum sit vitalis, non potest attribui ulli naturae nisi ab ejus intrinseco formaliter procedat.

314. Objici quidem possit — a) Deum, sicut in visione beatifica supplet seipso speciem impressam, ita sui communicatione hypostatica posse supplere actum creatum cognoscendi ; — b) humanae naturae, sicut communicatur subsistentia divina, posse etiam communicari actum cognoscendi divinum : subsistentia enim et actus cognoscendi sunt realiter unum et idem [7].

At : a) aliud est species impressa, aliud actus formalis cognoscendi. Illa se habet potius in ratione objecti cognoscendi et intellectui cooperatur efficienter ad actum gignendum ; suppleri propterea potest ab ipso Deo, qui, in visione beatifica, cooperetur actui videndi in ratione tantum principii efficientis et objecti terminantis. Hic autem, cum ab intrinseco facultatis prodeat et eam proprie informet, omnino ne a Deo quidem suppleri potest. — b) Disparitas eadem est cum subsistentia. Etsi realiter in Deo identificatur subsistentia et actus cognoscendi, tamen ratione sufficienter distinguuntur ut formalis unius communicatio non trahat secum formalem alterius com-

(1) Apud *Hugonem, loc. cit.* 855 A.

(2) Hugo a S. Victore, *loc. cit.* 853 A.

(3) *Summa sent., loc. cit.* 74 B. Cf. Geroch a Reichersberg, *epist.* 21 : « Verbum humanatum... contulit homini omnem plenitudinem virtutum usque adeo ut homo iste rectius dicatur virtus et sapientia quam virtuosus et sapiens... De homine [igitur] uncto, de homine in Deum assumpto et nato,... dubitari [non debet] quod sit virtus et sapientia Dei » (PL 193. 581 C-D).

(4) Cf. Rolandum apud Gietl, *loc. cit.* et *Epitome,* 27 (PL 178. 1737 B).

(5) v. gr. Gualterius de Mauritania in *epist.* (PL 186. 1052-1054) ad Hugonem a S. Victore, cui respondet hujus opus *De sapientia animae Christi, loc. cit.* Item, ex parte saltem, Petrus Lombardus : *Sent.* III, *dist.* 14.

(6) Censuram theologicam illius opinionis videas apud Suarez, *disp.* 24, s. 2, n° 11-12. — (7) Cf. Suarez : *Disp.* 24, s. 2, n° 3 et n° 8-9.

municatlonem. Subsistentia porro ideo communicari potest quia non dicit actionem ab intrinseco manantem nec est forma naturam vere informans, quod utrumque econtra dicit actus cognoscendi [1]. Principium vero quod allegabatur ex S. Augustino (*De Trinit.* I: 12, 23), sicut et verbum Christi: *Omnia quae habet Pater mea sunt,* intellegendum est de persona, cujus est utraque natura, ita ut, per communicationem idiomatum, Christus, qua homo, habeat omnia quae sunt Verbi aut Patris (q. 10, a. 1, ad 3[m]). Sin autem naturae humanae applicentur formaliter hujusmodi dicta, jam non possunt esse vera nisi eo sensu eaque mensura quam secum fert natura rei. Porro ex natura rei repugnat ullum actum divinum, sicut et ullam perfectionem formaliter divinam, communicari formaliter ulli creaturae.

II. **Christus habuit scientiam beatam** (q. 9, a. 2 et q. 10).

315. Christum, adhuc viatorem, habuisse scientiam beatorum seu fuisse etiam comprehensorem docetur tanquam *certum* ab omnibus scholis catholicis [2], ita ut «*non possit sine temeritate negari*» (Lugo), «*negare* esset errori et haereticae impietati proximum» (Petav. XI. 4, 2 et 8). Decretum vero S. Officii (7 junii 1918) decernit *non posse tuto doceri* propositiones sequentes, quarum una agit de existentia, altera de perfectione illius scientiae: «Non constat fuisse in anima Christi inter homines degentis scientiam quam habent beati seu comprehensores. Nec *certa* dici potest sententia, quae statuit animam Christi nihil ignorasse, sed ab initio cognovisse in Verbo omnia, praeterita, praesentia et futura, seu omnia quae Deus scit scientia visionis» (C. 778). Haec igitur duo statuenda veniunt:

316. 1° **Existentia illius scientiae.**

A) **Auctoritate theologorum** jam sufficienter probari potest [3]. Consensus enim omnium scholarum, in doctrina quae, cum multis et

(1) Difficultas sit tantum, si admittatur communicari formaliter naturae divinam ipsam existentiam. Dato enim communicari ipsum esse divinum, jam minus repugnat communicari ipsum agere divinum. Esse enim, quo formaliter natura aliqua ponatur et maneat extra suas causas, haud minu silli intrinsecum videtur quam ipsum ejus agere vitale...

(2) Inter recentiores, contradicebat Schell, quia, ut putabat — a) perfectius est in se, proindeque humanitatem assumptam decet magis, perfectionem aliquam sua propria activitate aut merito acquirere quam habere simpliciter ab alio donatam; b) visio beatifica incompossibilis est cum vero in gratia et sapientia profectu, necnon cum vera animi passione, quam evangelia de Christo testantur (*Kath. Dogm.* III[1], p. 113 sqq.).

(3) Cf. Cano: *De locis theol.* l. XII, cp. 12.

gravibus scateat difficultatibus, tamen non invenitur explicite proposita neque in Scriptura neque apud Patres, indicium est alicujus sensus Ecclesiae, qui sit, non ex carne aut sanguine, sed ex illo Spiritu, quo tutatur contra errorem et paulatim inducitur in omnem veritatem a Christo sibi insinuatam. Sensus autem ille est summae convenientiae, ut natura, prae omni alia creatura Deo conjuncta, ornetur omni dono supernaturali ulli alii creaturae collato, seu summae repugnantiae quod anima ad tantam dignitatem elevata, ad tantum munus electa, ac tanto amore ex parte Dei dignata, Deum tantummodo credat et non videat.

Sentiunt igitur theologi, consentiente tota Ecclesia, visionem beatificam connaturaliter deberi humanitati Christi :

a) *Ratione personae*, quatenus repugnat animam, Deo ita conjunctam ut in illo et illius sit substantialiter, linqui in obscuritate circa illam suam personam. Intellectus enim, qui Deum habet sibi *re* quam maxime conjunctum, eumdem debet etiam *intentione* habere quam maxime praesentem : secus Verbum esset angelis et beatis magis intentione praesens quam suo personali intellectui.

b) *Ratione muneris*, nam : — α) Christus, ex ipsa sua constitutione, erat caput angelorum, ita ut ab initio illum adorarent illique servirent. Jamvero dedeceret Dominum angelorum illis esse in cognoscendo Deo ullatenus inferiorem. — β) Christus debebat, in sua humanitate et per suam humanitatem, docere homines Deum ut in se est ; se ipsum imo debebat manifestare Deum, ita ut homo loquens significaret se esse Deum. Manifestatio vero hujusmodi exigebat Dei cognitionem, qualis non videtur haberi nisi per visionem intuitivam [1].

c) *Ratione amoris Dei*. Cum Deus illam naturam adeo dilexisset ut summum in ratione doni contulisset ei donum, unionem scilicet personalem, videtur non potuisse illi non conferre donum multo inferius, quod est visio intuitiva ; secus enim videretur eam minus dilexisse quam naturam beatorum,

N.B. a) Ea argumenta, cum ducantur ex ipsa constitutione Christi valent pro omni tempore, proindeque probant visionem concessam esse ab ipso conceptionis momento.

(1) Ita communiter theologi cum Suarez (*Disp.* 27, s. 3), qui putat Incarnationem, in toto suo complexu, non posse plene cognosci nisi visione beatifica. At argumentum, ut patet, supponit Incarnationem revelatam esse in toto suo complexu et plene : quod non est evidens, nec proinde excludit revelationi, qualis facta est, potuisse sufficere cognitionem ex scientia infusa habitam.

b) Demonstrativus tamen eorum valor fundatur, non in absoluta aliqua seu ontologica atque metaphysica connexione inter unionem hypostaticam et visionem beatificam, sed in convenientia tanta ut, consentiente Ecclesia, contrarium sit inverosimile. In eis igitur ponderandis, vis facienda est in sensu Ecclesiae potius quam in consecutione logica praemissarum, ex quibus conclusio ducatur. Ea porro ratio est cur assertio ea via demonstrata non dici possit theologice certa [1]. Ex eadem est quod donum illud maneat etiam naturae Christi absolute gratuitum, quippe quod ex nullo illius merito concedatur.

317. B) **Patres** idem sensisse constat, *non* quatenus scientiam beatam ipsi docuerint *explicite* de Christo, sed quatenus senserunt de Christi humanitate praedicandam esse *plenam* illam *et perfectam scientiam*, quam nos dicimus non haberi nisi ex visione :

a) *Explicite* locutus invenitur solus S. Augustinus, ubi dicit « hominem, quem Sapientia gestabat », in hoc differre a ceteris justis quod alii « per speculum et in aenigmate vident Dominum », quamdiu « anima, resolutione corporis, libera [non est] ab omni peccato et ignorantia », ille vero, « qui peccatum non fecit... solus in carne... [non est] linteis, [id est, velaminibus] implicatus, ut eum aliquid lateret »[2].

Alii qui recitantur ut idem dicentes [3], vel eos non constat omniscientiam Christo, qua homini, ascripsisse aliter ac per communicationem idiomatum [4], vel praeludunt nimis opinioni supra commemoratae

(1) Frustra igitur velit quis scientiam beatam deducere formaliter ex ipsa notione unionis hypostaticae, quasi *intrinsece* repugnet natura in Deo subsistens nec tamen Deum intuitive actu videns. Existentia illius scientiae est factum a libero Dei arbitrio pendens, cujus proinde, sicut et aliorum hujusmodi factorum, v. g. Immaculatae Conceptionis aut Assumptionis, mens humana potest convenientiam intueri et ostendere summam, at, se sola, non potest statuere realitatem.— De theologicis hujusmodi ratiociniis bona notavit Rabeau : *Le raisonnement théologique*, apud RSR XV (1925), p. 202-205.

(2) *De div. quaest.* LXXXIII. 65 (PL 40.60).

(3) De Leontio Byzantino, apud quem Jugie (*Rev. des q. philos et théol.*, (1921, p. 551-559) censuit occurrere explicitam scientiae beatae affirmationem et de S. Augustino (*in ps.* 15 PL 36.145), apud quem pariter Richard (RSR XII (1922), p. 85-87)), cf. quae contra scripsit Galtier in RSR XV (1925), p. 55-68).

(4) S. Hieronymus autem, ubi dicit « nullum hominem, excepto eo qui ob nostram salutem *carnem dignatus est assumere*, plenam habuisse scientiam et certissimam veritatem » (*Epist.* 36. 15 PL 22. 459), manifeste considerat personam assumentem et non naturam assumptam.

de scientia formaliter divina, quae fuerit humanitati Christi formaliter communicata. [1]

b) Quousque vero senserint plenam perfectamque scientiam consequi, per modum saltem summae convenientiae, ad unionem hypostaticam, hoc jam aliquatenus per praemissa constat et clarius infra patebit per dicenda de exclusione omnis erroris aut ignorantiae in Christo. Satis igitur sit hoc loco exponere quae de hujusmodi consecutione Damascenus habet.

Docet nempe *(De fide orth.* III. 21) humanitatem Christi, etsi natura sua est serva et ignorans, tamen, posita unione hypostatica, jam non esse servam aut ignaram futurorum. Anima enim Christi, ait, « propter unionem cum ipso Deo Verbo et identitatem hypostaticam, ditata est... cognitione futurorum » sicut et divinis aliis mirabilibus (θεοστμειῶν. PG. 94. 1084 B-1085 A). Unitas igitur hypostaseos ratio est cur, non obstante naturali humanitatis servitute et ignorantia, « unum illum Christum, qui idem simul Deus et homo est, dicamus [esse] herum et Dominum omnis creaturae atque omnia scire » (*Ibid.* 1085 C). Ex eadem porro ratione est cur illius anima non potuerit proficere sapientia aut gratia : Posito enim illam unitam esse Verbo ab initio existentiae suae, cum jam tunc « exstiterit in illo et hypostaticam cum illo habuerit identitatem, [eo ipso] ditata est plene omni sapientia et gratia ». Eam imo non ita habuit ut « ipsa gratiae particeps fieret, neque ut per gratiam in communionem veniret eorum quae Verbi erant, sed potius ut, propter unionem secundum hypostasim,.. gratiam et sapientiam et omnium bonorum plenitudinem mundo fontis instar profunderet » (*Ibid.* 22 ; 1088 A-B)

Visio beata ibi sane non affirmatur ; imo plenitudo scientiae

(1) Sic v. gr. S. Fulgentius (*epist.* XIV, q. 3), ubi animam Christi nosse totum Filium, proindeque totum Patrem, deducit ex hoc quod « illa anima cum Verbo unus est unigenitus Deus » (PL 65, 416 B), ex hoc quod eam « sic sapientia suscepit, ut eadem sapientia sit » (419 B), seu quia Christus, « sicut in divinitate sua totam habet humanitatis suae naturam, sic in humanitate sua totam habet divinitatis suae substantiam, totam majestatem, totam incommutabilitatem, totam virtutem, totam sapientiam, totam omnipotentiam » (420 B-C). Hinc igitur ponderanda est ejusdem assertio : « perquam durum est et a sanitate fidei penitus alienum ut dicamus animam Christi non plenam suae deitatis habere notitiam, cum qua naturaliter unam creditur habere personam » (416 B). Item S. Eulogius, *loco* supra *citato,* quatenus omniscientiam humanitatis repetit tum ex eo quod « in unam hypostasim convenerit cum inaccessibili et substantiali sapientia », tum ex verbo : *Omnia quaecumque habet Pater mea sunt,* quasi ignorantia nequeat affirmari de humanitate Christi quin eo ipso affirmetur de Deo Patre (PG. 103. 1081 A-B). Item, aliquatenus, S. Maximus *loco* pariter supra *citato.*

adeo exclusive repetitur ex unione et quasi possessione illius, qui est ipsa Sapientia, ut vix alia agnoscatur plenitudo ac ea quae dici possit personalis seu ratione suppositi [1]; at, etsi subobscura maneat ibi distinctio scientiae creatae ab increata, saltem apparet eum doctorem omnino abhoruisse ab admittenda ulla ignorantia in anima hypostatice Verbo unita.

318. C) **Scriptura** utrum ea doctrina probari possit, controvertitur.

a) Processus demonstrationis. — Demonstratio erui solet imprimis ex *Joan.* 1. 14 et 16 collatis cum 1 *Cor.* 13. 9-12 ; ex *Jo.* 1. 17-18 coll. cum 6. 46 et 8. 38 ; ex *Jo.* 3. 11 sqq. et 32.

Jo. 1. 14 et 16, Verbum caro factum dicitur apparuisse *plenum gratiae et veritatis*, ita ut *de plenitudine ejus nos omnes acceperimus*. Hinc autem sic arguitur : Plenitudo veritatis tanta significat plenam Dei cognitionem. Jamvero, ex 1 *Cor.* 13.9-12, plena Dei cognitio non datur nisi ubi, evacuata fide, datur visio. Ergo plenitudo veritatis in Christo dicit visionem.

Jo. 1. 17-18, Jesus Christus significatur ideo potuisse *ipse enarrare Deum*, quem *nemo vidit unquam*, quia *unigenitus filius* est, *qui est in sinu Patris*. Jamvero oppositio sic instituta inter eum et eos, qui non videre Deum unquam, insinuat eum ideo potuisse enarrare quia quem alii non videre ille vidit. Et, re vera, ipse profitetur : *Ego, quod vidi apud Patrem meum loquor* (*Jo.* 8. 38). Porro, quod Christus enarrat vel loquitur, id enarrat vel loquitur, qua homo. Ergo id etiam, qua homo, vidit.

Jo. 3. 11 et 32, Christus Nicodemo de se profitetur : *Quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur... Qui de caelo venit, super omnes est. Et quod vidit et audivit, hoc testatur.* Jamvero, arguitur iterum, loquitur Christus, qua homo. Ergo, qua homo etiam, audivit et vidit.

b) Valor demonstrationis. — At argumentatio eatenus tantum efficax sit, quatenus constet ea omnia dici de Christo, *qua homine reduplicative formaliter*, seu de ejus formaliter humanitate, ita ut non debeant aut saltem non possint intellegi de Christo, qua homine specificative tantum, seu per meram communicationem idiomatum. Jamvero hoc ultimum non excluditur, siquidem etiam ubi Christus dicit : *Ego et Pater unum sumus* (*Jo.* 10. 30); *Paraclitum, ego mittam vobis a Patre* (*Jo.* 15. 26), eadem fieri possit argumentatio : Christus, qua

(1) Cf. notata de hoc apud Petavium : *De Incarn.* XI. 1, 13.

homo, dicit : Ego et Pater unum sumus ; Ego Paraclitum vobis a Patre mittam ; ergo, etiam qua homo, est unum cum Patre ; qua homo, mittit Spiritum a Patre. Et tamen conclusio hujusmodi non possit admitti de ejus formaliter humanitate. Eodem igitur modo, de Christo, qua homine, visio Dei praedicari potest, ratione suppositi, quin propterea praedicanda sit de ejus formaliter humanitate. Sicut ille homo est unum cum Patre, mittit Spiritum Sanctum, ita plenus est veritatis [1] et vidit atque videt Deum.

Dices : Disparitas est, nam qui loquitur, ut homo, scire debet, ut homo formaliter seu intellectu suo humano : secus enim humana non esset loquela. Cum igitur dicat se loqui quod et quia vidit, hinc sequitur eum eo intellectu vidisse quo scit, seu humano — **At** consequentia negatur. Nam, ut intellectu suo sciat, sufficit scientiam illi infusam esse ab eo qui solo suo intellectu divino videat Patrem.

Instabis tamen dicendo : Videre Patrem non est intellectus divini sed humani, nam Verbum non dicitur videre Patrem. — **At** quaestio est praecise utronam intellectu suo Christus dicat se vidisse ac videre Patrem. Num forte neges agi de intellectu divino, ubi Christus, loquens, humana loquela, de Patris ac Filii cognitione mutua, ait : « *Nemo novit Filium nisi Pater ; neque Patrem quis novit nisi Filius* ? » [2]

319. 2° **Perfectio scientiae beatae in Christo** (q. 10).

A) *Longe clarior fuit quam ullius alius creaturae* (a. 4), nam : — a) hoc exigit ipsa dignitas ex persona in natura resultans, et, de facto, — b) cum propinquius conjungatur Verbo quam quaevis alia creatura, plenius etiam recipit influentiam luminis, in quo Deus videtur, ab ipso Verbo.

(1) Quoad *plenitudinem veritatis,* notari praeterea debet *plenitudinem* hoc loco non necessario implicare plenam Dei cognitionem. Conclusio proinde, exinde ducta ope asserti S. Pauli de plena per visionem cognitione, manet, ex hoc etiam capite, labilis. (Cf. LAGRANGE : *Ev. selon S. Jean,* p. 23).

(2) Difficultates, quae contra moventur ex ignorantia aut errore, qui fuerit in Christo, vel ex tristitia, qua Christus in agonia et in morte commotus est, solventur infra.

Principium vero, ex quo SCHELL recenter voluit scientiam beatam denegari Christo, scilicet *nobilius aliquid haberi per acquisitionem meritoriam quam ab alio sine merito,* non abjicitur a S. Thoma (q. 19, a. 3 c), qui inde concludit Christum potuisse aliquid sibi mereri, v. gr. gloriam sui corporis et glorificationem sui externam, at renuit illud applicari ubi agitur de aliqua re, « cujus carentia magis dignitati Christi et perfectioni praejudicet quam per meritum accrescat ».

B) *Non tamen fuit comprehensiva*, nam intellectus humanus manet in Christo finitus nec proinde adaequare potest cognoscibilitatem Dei intensivam (a. 1 et a. 2 ad 3[m]) [1].

C) *Ergo, quoad extensionem ejus*, seu quoad multitudinem eorum quae videt :

a) Anima Christi *non videt* in Deo *omnia quae Deo ipsi possibilia* sunt. « Hoc enim esset comprehendere divinam virtutem et per consequens divinam essentiam ». Ea vero *omnia quae sunt ulli creaturae possibilia* videt, quia « comprebendit in Verbo omnis creaturae essentiam et per consequens potentiam et virtutem et omnia quae sunt in potentia creaturae » (a. 2 ; cf. *De Verit*, q. 20, a. 4).

b) *Videt* tamen « *omnia praeterita, praesentia et futura, seu omnia quae Deus scit scientia visionis* », et hanc propositionem praemissum S. Officii decretum prohibet doceri non esse certam. Ratio vero est quia beati in Deo ea saltem vident quae ad se et ad statum suum pertinent. Jamvero omnia omnium saeculorum entia aliquatenus pertinent ad Christum, siquidem omnium est Dominus et finis ; omnium est aliquo sensu caput ; judex constitutus est vivorum atque mortuorum.

c) Utrum vero ea omnium existentium visio sit *actualis* an mere *habitualis* controvertitur : — α) *Actualem* censet S. Thomas (a. 3 et *de verit.* q. 20, a. 5), quia visio beatifica est invariabilis, tota proinde simul secundum gradum luminis, nec ad hoc requiritur actus infinitus [2], siquidem ea non sunt infinita actu : alia enim sunt ex aliis, nec omnia simul consistere possunt. — β) *Habitualem* econtra censet S. Bonaventura (*dist.* 14, a. 2, q. 4), Scotus (dist. 14, q. 2, n° 13) et alii, juxta quos Christus videat simul actu ea quae velit : « Divina essentia, ait Toletus, est speculum voluntarium, tantum se ostendit quantum vult. Pro Dei ergo voluntate, unus beatus videt creaturas, quas antea non videbat, reliquis permanentibus iisdem » (III, q. 10, a. 2, 3[a] concl.). Pro Christo ergo pariter, sed cum hac diffe-

(1) Propterea damnata est in concilio Basiliensi, anno 1435, propositio Favorini, vulgo dicti Augustini de Roma : « Anima Christi videt Deum tam clare et intense quam Deus videt seipsum » (Mansi XXIX. 109).

(2) Ad rem Em. Billot : « In hujusmodi cognitione nulla ostenditur repugnantia, quia, etsi impossibile est cognoscere multitudinem infinitam *per modum multitudinis*, intellectu quasi transeunte per hujus infinitae multitudinis viam, id est, apprehendente partem post partem, omnino tamen possibile est cognoscere *per modum unitatis*, id est per unam speciem quae se extendat ad infinita, et per quam omnia simul uno eodemque actu, etiam ut sunt ab invicem distincta, intelligantur ; hoc enim modo non oportet infinitum pertransiri. Porro, in scientia beata, omnia videntur per unum et in uno, quod est essentia divina (Thes. 19, § 3).

rentia quod, cum omnia pertineant ad illum illique proinde visibilia sint, Dei voluntas se totam illi accommodaverit ut ipse videret quae, quando et prout ipse vellet.

III. **Christus habuit scientiam per se infusam** (q. 9, a. 3 et q. 11).

320. 1° **Notiones.** *Infusa* dicitur *scientia,* quae non acquiritur ex principiis naturae, seu per species e rebus abstractas, sed « per species ex influentia divini luminis participatas, quarum anima fit particeps, sicut et aliae substantiae separatae, quamvis inferiori modo » (I, q. 89, a. 1, ad 3m). Quod non intellegas quasi Deus infundat seu suppleat actum formalem cognoscendi, sed hoc sensu quod intellectum Deus ad actum determinet per species intellegibiles immissas. Modus is est cognoscendi animabus humanis post mortem connaturalis, quo cognoscunt et angelos et alia omnia tum naturalia tum supernaturalia (III, q. 9, a. 3).

Scientia igitur ea est a phantasmatibus prorsus independens, seu, sicut acquiritur sine abstractione ab eis, ita exercetur sine conversione ad illa. Dicitur propterea *infusa per se,* nam eo modo acquiritur et exercetur ut haberi omnino nequeat nisi per species infusas.

Dicitur autem vel diceretur[1], *infusa per accidens,* scientia quae, etsi acquisita de facto per species infusas, tamen non posset exerceri nisi per conversionem ad phantasmata : patet enim scientiam hujusmodi potuisse etiam acquiri per abstractionem a phantasmate, proindeque, data natura sua, ei simpliciter accideret quod non acquireretur ex principiis naturae sed infunderetur. Differt igitur a scientia naturali, non secundum essentiam suam, sed tantummodo secundum modum acquisitionis.

Patet etiam, ex dictis, scientiam *infusam per accidens,* non posse esse nisi de rebus, quas anima naturaliter ex seipsa cognoscere potuerit. Econtra scientia *infusa per se* potest esse tum de istis, tum de aliis ; extendi potest ad sensibilia simul et ad spiritualia, ad naturalia simul et ad supernaturalia.

321. 2° **Status quaestionis.** Jam non quaeritur utrum Christus habuerit unquam rerum naturalium scientiam per accidens infusam, sed simpliciter utrum habuerit scientiam per se infusam, scilicet utrum, etsi adhuc viator et animam habens a sensu quoad cognitiones natu-

(1) Id est, si daretur. Communis quidem est doctrina scientiam hujusmodi infusam esse Adamo (I, q. 94, a. 3 ; cf. Pesch : *De Deo creante et elevante,* n° 207 sqq) ; at utrum infusa sit etiam Christo controvertitur. De quo in parte sequenti.

rales dependentem, jam tamen habuerit etiam modum cognoscendi animabus separatis connaturalem. Respondetur affirmative cum communi theologorum sententia, quin tamen constet hoc necessario fluere ex ullo dogmate, nam plenitudo scientiae Christi jam sufficienter explicatur per scientiam beatam. Deducitur igitur existentia illius scientiae ex rationibus imprimis convenientiae, quibus additur argumentum probabile ex Scriptura.

322. 2° **Probatur existentia scientiae per se infusae.**

A) *Ex rationibus convenientiae,* nam : **a)** Non excluditur aut fit inutilis ratione scientiae beatae : *Non excluditur*, siquidem de se non negat visionem, nec, sicut fides, dicit illam obscuritatem, quae cum visione incompossibils est. *Non fit inutilis,* siquidem : α) Aliud est objectum scientiae beatae, aliud scientiae infusae : visione, omnia videntur in Verbo et ratione Verbi ; scientia infusa, res cognoscuntur in seipsis per species a Deo distinctas. — β) Scientia beata, cum sit supra conditionem et potentiam naturalem animae humanae, non actuat seu non perficit potentiam illius naturalem (III, q. 9, a. 3 ; *De verit.*, q. 20, a. 3), eaque ratio est propter quam animae separatae, praeter visionem, habent scientiam infusam : secus earum potentia naturalis esset frustra seu, cum non reduceretur ad actum, maneret imperfecta ; cognoscerent modo excedente suam naturam et non cognoscerent modo sibi connaturali. Item apud Christum. Non obstante visione, intellectus ejus manet in potentia naturali ad omnia intelligibilia proindeque, apud eum, locus est intellectioni, qua non plura sane aut alia, sed alio modo et modo suae naturae proportionato, cognoscat in seipsis ea quae jam in Verbo videt.

b) Summa convenientia est ut concedatur Christo ab initio Incarnationis, nam : α) Cum non pendeat a sensu nec quoad acquisitionem nec quoad exercitium, potest ab initio infundi. — β) Summa humanitatis Christi praecellentia prae omnibus angelis et comprehensoribus exigit ei donari quod omnibus illis conceditur, dummodo hoc non obstet ejus muneri Redemptoris. Jamvero intellegere per species infusas conceditur angelis et animabus separatis nec obstat muneri Christi Redemptoris. Ergo...

B) *Ex Scriptura* probatur, quatenus probatur aut admittitur, ex *Hebr.* 10.5-9, Christum, ingrediendo mundum, se obtulisse in sacrificium aeterno Patri : Oblatio enim ejusmodi, pro quanto admittitur esse actio humanitatis et apud Deum meritoria, praesupponit cognitionem seu scientiam, quae praelucere possit actui meritorio. Jamvero, hujusmodi non potest esse nisi scientia infusa et quidem per se,

siquidem — a) visio non regit actus meritorios ; — b) fides excluditur a visione ; — c) scientia naturalis et scientia infusa per accidens, cum quoad exercitium saltem pendeat a sensu, hoc momento non potuit adesse aut saltem influere.

323. 4° **Extensio illus scientiae :** Per eam cognoscit Christus : — A) *In ordine supernaturali,* « omnia illa quae per revelationem divinam hominibus innotescunt, sive pertineant ad donum sapientiae, sive ad donum prophetiae, sive ad quodcumque donum Spiritus Sancti » (q. 11, a. 1). Cognoscit igitur tum Deum unum et trinum, tum Incarnationem, tum angelos et animas separatas, tum ea omnia quae in ordine supernaturali faciunt ad adimplenda munera sua Mediatoris, Redemptoris, Capitis, judicis ac Domini. Hinc in specie cognitio futurorum et secretorum cordium, etc. — B) *In ordine naturali,* ea omnia sive existentia, sive possibilia, quorum cognitio convenit Christo : hoc enim est possibile, et requiritur ut ea scientia perfecte cognoscat supernaturalia, siquidem multa sunt supernaturalia quae implicant naturalia, v. gr. Incarnatio, cordium secreta, etc.

324. IV. **Christus habuit scientiam acquisitam naturalem.**

1° **Notiones.** Naturalis scientia dici possit ratione objecti sui, quatenus sit de rebus homini in terris communiter cognoscibilibus : hoc jam sensu Christus dici possit habuisse scientiam naturalem eo ipso quod naturalia etiam cognoverit scientia per se infusa.

Proprie tamen naturalis dicitur ratione modi quo acquiritur vel saltem exercetur, quatenus acquiritur vel saltem exercetur ope principiorum cognoscendi homini naturalium. Prout autem dependet ab experientia sensibili seu a phantasmate quoad exercitium tantum vel etiam quoad acquisitionem, dicitur infusa per accidens vel simpliciter acquisita seu experimentalis.

325. 2° **Status quaestionis.** A) Certum est Christum aliqua saltem v. gr. singularia, aliqua saltem aetate, cognovisse experimentaliter : hoc admittitur ab omnibus nec negari possit nisi ab eis qui velint sensus ac facultates Christi, intellectum agentem in specie, esse frustra et Christum simpliciter simulasse uti potentiis suis cognoscitivis [1].

B) Utrum vero omnem scientiam sensu proprio naturalem, seu omnem habitum scientiae, qui sit ejusdem rationis ac noster, habuerit

(1) Cf. Suarez : *Disp.* 25, s. 2 et *disp.* 30, s. 2, n. 9-12.

ita acquisitum an partialiter econtra per accidens infusum, controversiae diu in schola subjacuit.

a) S. Thomas junior (in 3, *dist.* 14, q. 1, a. 3, *sol.* 2c in fine et *sol.* 5, ad 3[m]), cum plerisque diu scholasticis [1], tenuit eam fuisse ab initio infusam totam, nec proinde dici experimentalem atque crevisse nisi quatenus, evoluto sensu et acquisitis paulatim phantasmatibus, conversio ad ea fiebat et *in exercitio scientia proficiebat*. Sic videbatur melius in tuto poni absoluta et omnimoda perfectio atque independentia totius scientiae in Christo : scientiam etiam proprio sensu naturalem habuerit ab initio perfectam, universalissimam, et ab omni creatura independentem [2].

b) Postea vero (III, q. 9, a. 4 et q. 12, a. 1-2) docuit eam esse simpliciter et ex toto acquisitam, ope scilicet intellectus agentis et consequenter ad cognitionem sensibilem rerum singularium. Quae opinio fit in dies communior et propugnatur propter rationes sequentes.

326. 3° **Probatur.** A) Ex reali activitate sensus et intellectus Christi : nisi uterque sit frustra nec eis usus sit Christus nisi simulando, nulla est ratio denegandi per eos acquiri notiones et conceptus, qui apud ceteros homines ea via acquirerentur.

Obstare forte videatur quod aliis jam scientiis Christus ea noverit quae per illam discat. At, hoc dato, manet tamen perfici objective animam et facultatem, quae naturali suo modo agat et discat ea quae praeternaturali jam via noverit.

B) Ex alio capite nulla est ratio affirmandi infusum ab initio habitum scientiae, qui non possit ad actum procedere nisi consequenter ad cognitionem sensibilem, ex qua potuisset idem habitus acquiri. Scientia enim hujusmodi, quamdiu non exercetur, non potest dici perficere facultatem naturalem aut quidquam conferre ad munera Christi adimplenda.

C) Scientiam realiter acquisitam exigunt dicta in Evangeliis de Christi interrogationibus, admiratione et praesertim profectu in sapientia (*Luc.* 1. 52). Haec enima deo naturaliter et ingenue proferuntur ut obvio suo sensu veram aliquam significent scientiae acquisitionem.

(1) Cf. v. gr. S. Bonaventuram : in 3, dist. 14, a. 3, q. 1 et 2 ; *Breviloquium*, p. 4, cp. 6 ; Suarez ; *Disp.* 30, s. 2, n. 2.

(2) Lugo (*disp.* 21, s. 1, n. 3-6) negat infusionem ab initio, quippe quae non probetur et sit inutilis. Quia tamen putat scientiam illam apud Christum excessisse eam quam potuisset acquirere per cognitionem rerum occurrentium, putat eam infusam esse partialiter et gradatim prout gradatim acquirebantur phantasmata, quorum ope posset exerceri.

Jamvero scientia experimentalis, seu ex sensu orta, sola est quae potuerit in Christo crescere : sola enim pendet ab occursu rerum eique aliquatenus commensurari potest, siquidem aliae duae pendent ab ipsa ejus constitutione eique dantur, non pro occurrentia rerum, sed pro personali sua dignitate ac munere.

D) Haud immerito additur per scientiam illam acquisitam optime explicari modum et formam qua doctrinam suam praedicavit, utendo scilicet verbis, figuris, comparationibus, allusionibus, quae terrae ac gentis suae adeo referunt mores et colores.

327. 4° **De amplitudine illius scientiae.** — Posito illam fuisse ex toto acquisitam, non est cur dicatur illimitata. *Limitata* est enim tum in tempore, tum in spatio, experientia sensibilis ex qua hausta est. Hoc evidens est et agnoscitur ab ipso S. Thoma, ubi fatetur Christum « per hanc scientiam non cognovisse essentias substantiarum separatarum, nec etiam singularia praeterita, praesentia et futura, quae tamen cognovit per scientiam inditam » (q. 12, a, 1 ad 3^{m}).

Crescere proinde potuit illa scientia pro incremento aetatis ac cognitionis sensibilis, ita ut secundum tempus quidem fuerit perfecta semper ; sed arbitrarie diceretur fuisse perfecta simpliciter ab initio aut extensa unquam ad ea omnia quae intellectus humanus naturaliter scire potest (a. 2, ad 2^{m}).

Admitti pariter potest Christum, pro excellentissima vi intellectus ac rationis suae, ex paucarum rerum experientia devenisse in notitiam aliarum multo plurium quam quivis alius eadem experientia fruitus (a. 1, ad 1^{m} et 2^{m}) ; at gratuito asseratur eum ex paucis, quas sensu cognovit, hausisse scientiam simpliciter universalem [1].

(1) Contrarium quidem dicit S. Thomas : « Sicut per scientiam inditam scivit anima Christi omnia illa ad quae intellectus possibilis est quocumque modo in potentia, ita per scientiam acquisitam scivit omnia illa quae possunt sciri per actionem intellectus agentis » (a. 1 c). At Toletus jam fatebatur se in illa « opinione S. Thomae [non] videre necessitatem ullam aut probabilitatem sufficientem. Imprimis nulla necessitas, quia Christus scientia infusa et beata cognoscebat jam omnia, ita ut non posset dici habere ullam ignorantiam ; quantum autem ad modum sciendi, qui videbatur deesse, scilicet per viam acquisitionis, sufficit quod multa per se acquisierit et plura quam ullus alius homo ; quod autem omnia, non est opus... Puto igitur Christum Dominum multa cognovisse per experientiam, quia multa est expertus et multa deduxit ex expertis. Omnia tamen cognovisse non puto necessarium nec probabile multum ; praesertim quod Christus magis intendebat per talem scientiam nobis conformari quam perfectionem acquirere, cum satis esset in aliis scientiis perfectus » (in q. 12, a. 1).

Gratuito a fortiori velit quis eum calluisse linguas, artes aut scientias practicas, quas econtra, cum ad munus suum non facerent quidquam, pro discretione ac sapientia tua, melius censeas eum non curasse [1].

COROLLARIUM : **De profectu Christi,** juxta *Luc.* 2. 52 : « *Proficiebat sapientia et aetate et gratia apud Deum et homines* ». Praenotato formulam eam esse aliquatenus usu biblico receptam de profectu puerorum pie adolescentium, — cf. 1 *Reg.* 2. 26, de Samuel : « *Puer autem proficiebat atque crescebat tam Domino quam hominibus* ». *Prov.* 3. 1 et 4 : « *Fili mi, ne obliviscaris legis meae,... et invenies gratiam et disciplinam bonam coram Deo et hominibus* », — dicendum est hoc loco affirmari profectum, non secundum omnem scientiam simpliciter, sed secundum eam quae realis simul sit et apparens hominibus. Porro hujusmodi erat tantummodo scientia acquisita, secundum quam solam apparenter Christus infans se gerebat. Profectus igitur potest, imo debet, intellegi de illa simpliciter scientia.

SCHOLION

De conscientia Christi humana.

328. I. STATUS QUAESTIONIS. — 1° **Notiones conscientiae et personae.** — Conscientia hic intellegitur facultas vel actus, quo subjectum cognoscens se ipsum apprehendit seu cognitionem sui directam habet. Proprietas ea est personae, quatenus contradistinguitur a mero supposito, nam entis rationalis exclusive proprium est ita se apprehendere, non autem quatenus contradistinguitur a natura sua. Conscientia enim, cum sit actus aut facultas agendi, est formaliter et immediate naturae tanquam principii a quo, nec proinde competit personae nisi ratione naturae. A persona igitur distinguitur, sicut et natura, saltem ratione, nec proinde repugnat multiplicari conscientiam quin eo ipso

(1) De his plura apud VIGUÉ : *Quelques précisions concernant l'objet de la science acquise du Christ,* apud RSR, t. X (1920), p. 1-27 — Quoad a. 3 vero, in quo S. Thomas negat Christum quidquam ab homine didicisse, apte notat L. JANSSENS : « Non urgenda videtur hujus argumentationis vis. Est suasiva potius quam stricte demonstrativa. Aliud quippe est quod, *in ordine missionis suae,* Christus a nemine didicerit, aliud quod, *experimentali* scientia, aliquid ab hominibus quibuscum conversabatur acceperit ; praesertim in his quae, utpote signa non naturalia, ab humana institutione ac disciplina per se pendent. Sed in his non dicendum est Christum simpliciter didicisse, cum hoc modo accepta jam eminentius, idque triplici ex fonte, cognoverit », (*De Christo-homine,* p. 476).

multiplicetur et persona. Conscientia sane non esse potest, quae non sit alicujus personae ; at non eo ipso excluditur conscientiam esse alicujus personae, quae, ratione alius naturae, aliam jam habeat conscientiam.

329. 2° **Quaestio posita.** — A) *Apud catholicos.* Hoc autem praesupposito, ex duplici natura duplicique operatione, quae datur in Christo, omnino sequitur duas etiam in eo dari conscientias, — si modo conscientiam voces cognitionem quam Deus habet sui ipsius. Hinc etiam sequitur duarum illarum conscientiarum *unitatem* non dari nisi *moralem seu psychologicam,* quatenus utriusque formae intellectus alteram formam cognoscat aut videat, et *personalem,* quatenus utraque, sicut et utraque natura, sit unius ejusdemque personae. Ei igitur qui profiteatur dogma catholicum quaestio de conscientia Christi non potest esse nisi de modo quo obtineatur unitas illa psychologica Christi, seu utrum et quo modo Christus se suo intellectu humano cognoverit esse Deum.

B) *Apud acatholicos.* Aliam longe quaestionem movent ii omnes qui, abjecto dogmate catholico et conscientia identificata cum persona, inquirunt de processu ac modo quo Christus devenerit in cognitionem, seu acquisierit conscientiam, divinitatis vel, ut libentius dicunt, divinae filiationis suae. Eis enim quaestio de conscientia Christi quaestio imprimis est de toto mysterio constitutionis ejus : quid et quis sit ; quid de se senserit et sentiri voluerit.

Solutionem propterea alii aliam dant pro sua doctrina de unitate ontologica Christi.

Qui duas aliquo modo discerni volunt in eo naturas proindeque personas, ii duas etiam admittunt conscientias, ex quarum cognitione mutua oriatur unitas psychologica, quam solam dari putant in Christo. Ita olim Güntherus necnon forte recentius adhuc Sanday [1].

Alii, cum Christum habeant ut hominem qui, quamvis pius, sincerus eximioque donatus divini sensu, tamen merus homo sit, quaestionem de conscientia divinitatis suae vel praecludi velint, — cum, ut putant, ne messia-

(1) Anglicanus ille doctor est, cujus doctrinam de Christo videre possis expositam a de Grandmaison apud DAFC in *art. Jésus Christ,* n. 195-196, vel apud RSR, XI (1911), p. 190 sqq. Ex eo, unio Dei et hominis in Christo non fuerit nisi quoad partem humanitatis subconsciam, ita ut Christus non habuerit unquam deitatis suae conscientiam claram nec nisi identidem perceperit in regione sui conscia aliquos influxus deitatis partem suam inconsciam possidentis. — Cui haud immerito objecit W. L. Walker sat mirum esse humanitatem a divinitate contingi non in superiori sed in inferiori sui parte (*Expositor* 1912, p. 122).

nicae quidem dignitatis suae conscientiam habuerit (D-B. 2035 ; C. 777), vel ita solvunt ut in antiquum adoptianismum aut apollinarismum relabantur.

Plerumque enim explicant illum suum Christum factum esse conscium divinitatis suae, quatenus conscius fuerit se pati divina, se esse instrumentum eximium Dei, qui mirabilia multa in se revelaret et operaretur. Nonnulli vero, quibus manifestum nimis est Christum haud minus divinitus quam humanitus processisse, aperte profitentur eum esse ens aliquod singulare, homine Deoque compositum, cujus conscientia, proindeque personalitas et natura divino-humana, maneat interim prorsus investigabilis [1].

330. 3° **Processus solutionis.** Quaestio sic posita et exagitata de conscientia Christi jam apud nos praeoccupata manet, sive in tractatu de divina Christi legatione, sive in superioribus hujus nostri tractatus. Probatum in specie manet hominem illum, qui dicitur Christus, ita se significasse Filium Dei naturalem ut unius ejusdemque personae agnoscenda sit duplex natura, duplex operatio proindeque et actus cognoscendi duplex.

Jam igitur quaeri non potest nisi utrum et quomodo intellectu suo humano illa persona se cognoverit esse Deum. Quaestio proinde est tum de ipso facto cognitionis tum de explicatione facti. Qua soluta, inquiri possit utrum et quo jure cognitio hujusmodi dici possit conscientia Christi humana.

N. B. tamen processum solutionis esse theologicum et non mere apologeticum aut historicum. Immerito enim velit quis quaestionem illam solvi totam ex solis evangeliis historice tantummodo consideratis. Jam ab initio praemisimus quid Christus de se significaverit aut sentiri voluerit non constare tantum ex ejus dictis et gestis, qualia in evangeliis referuntur. Jure igitur et necessario quaestio de conscientia divinitatis apud Christum postponitur quaestioni de constitutivis ejus.

Haud ita quaestio de messianici muneris conscientia. Ea sane tractari et solvi debet historice, nec jam ad nos pertinet nisi negative, quatenus constet aut constare videatur legato illi divino adfuisse, aliquando saltem, eam suae missionis ignorantiam, quae incompossibilis esset cum cognitione suae divinitatis, qualem dicimus illum ab initio habuisse. De quo tamen specialius in thesi sequenti.

331. II. Solutio quaestionis. 1° **Factum cognitionis.** Christum intellectu suo humano cognovisse se esse Deum, *theologice certum*

(1) Cf. v. gr. *art. Jesus-Christus* apud Hastings : *Encyclop. of Religion and Ethics, vol.* 7, p. 506-507 et 548-550.

est, quatenus necessario fluens ex humano modo quo se revelavit esse Deum. Nam :

A) De fide est Christum esse verum hominem, cujus activitas humana non sit mere mechanica seu apparens aut absorpta in activitate Dei. Humani proinde vere erant actus, quibus se revelavit esse Deum. Et, re vera, doctrinam suam profert loquela, formulis et figuris propriis ingenio gentis et loci ; attemperat modum docendi dispositionibus auditorum ; procedit interrogando, suggerendo, arguendo : quae omnia sunt hominis humanis facultatibus modo vere humano utentis. Jamvero non humano modo doceret qui quod loquela sua proferret intellectu suo nesciret ; tunc enim loqueretur ad modum instrumenti inertis nec nisi apparenter humani. Ergo, quam loquela humana docuit, divinitatem suam Christus intellectu etiam humano cognovit.

B) *Brevius :* Modus quo Christus docet divinitatem suam arguit vel hominem ore proferentem quod mente capit, vel Deum homine utentem tanquam puro et inani instrumento, cujus ope simulet humanum magisterium. Atqui non ultimum, nam unio ejusmodi esset mere moralis nec Christus esset vere homo. Ergo primum [1].

2° **Explicatio facti.** Factum statutum est independenter et praescindendo ab omni doctrina de fontibus scientiae humanae in Christo. Nunc autem patet eam suae divinitatis cognitionem repeti non posse nisi ex speciali omnino illuminatione. Sola enim deductione naturali, arguendo ex eo quod se videret ceteros homines transcendere et prophetias messianicas adimplere, non potuit concludere suam unionem hypostaticam, nam haec, natura sua, excedit captum intellectus humani. Restat ergo eam fuisse illi manifestatam scientia per se infusa. Imo neque haec scientia sufficere videtur, ideoque explicatio ultima repetenda est ex visione beatifica, qua videbat Verbum humanitati et humanitatem Verbo hypostatice conjunctam.

(1) **Objicias** forte prophetas et mysticos multa, Deo movente, docere quae non intellegant. A pari potuerit Filius Dei sua humanitate docere quod sua humanitate non intellexerit. Quo referi possit hypothesis Sanday, de qua supra p. 280, nota 1. — **At** negatur suppositum, scilicet sive prophetam quidquam docere quod non habuerit suo intellectu apprehensum, sive Deum id jam docere quod adhuc ne propheta quidem intellexit. — Accidere sane potest prophetas non apprehendere plenum sensum eorum quae Deus eis in ore ponit ; at etiam tunc habent in intellectu aliquem illorum sensum ; pleniorem Deus tunc tantum explicite docebit cum, posteriori revelatione, manifestabit profundiora in priori jam ab ipso intenta. Cf. supra n° 159.

332. III. **Quaestio de nomine :** Potestne cognitio hujusmodi dici conscientia Verbi humana ? — (Cf. STENTRUP : *Christologia* I, thes. 28, p. 504 sqq ; CHOLLET : *La psychologie du Christ*, t. II, ch. 6).

A) Non proprie quidem, quia : a) Conscientia intellegitur proprie actus, quo persona se apprehendit in actione naturae, qua ipsa constituitur ; humana porro natura, cujus est actus cognitio hujusmodi, non constitutiva est personae Verbi. — b) Conscientia non percipit proprie nisi operationes et substantiam in operationibus ; ad eam non pertinet cognoscere naturam intimam seu τό quid sit sive actuum sive substantiae. Unio porro hypostatica est aliquid staticum, cujus effectus ad summum conscientia apprehendere possit, quin de ejus natura possit proferre ullum judicium.

B) Attamen : a) Natura etiam humana vere est personae Verbi, et Verbum est subjectum, quod se humana visione videt. — b) Intellectus humanus Christi apprehendit factum hujus suae visionis, quod haud minus testatur ac intellectus noster factum cujuslibet intellectionis nostrae.

C) Jam igitur, si conscientia dicitur cognitio directa quam sui et actionum suarum persona habet, patet Verbo adesse conscientiam sui humanam et quidem perfectissimam. Nulla enim est persona humana, quae se et essentiam suam ita intueatur : suorum tantummodo actuum directe conscia est, ex quibus, reflexionis et analysis ope, suam naturam dignoscere laborat.. Verbum autem se, ut in se est, intellectu suo humano intuetur.

Hoc sane non intellegitur possibile nisi praesuppośita utriusque naturae unione personali. At, ea posita, hinc apparet quanta sit **unitas Christi psychologica.** Utraque conscientia testatur unionem, at utraque suo modo cognitam. Duae proinde se mutuo compenetrant, quatenus utraque est alteri visa. Hinc etiam apparet quam vere Christus, « *qui est in sinu Patris* », potuerit « *Deum, quem videt, enarrare* » : Christo enim Deum enarrare est seipsum enarrare.

§ 2 DE PERFECTIONE ILLIUS SCIENTIAE

seu

DE IMMUNITATE AB ERRORE ET IGNORANTIA

333. I. **Undenam quaestio ?** — Scientia humana, qualis ex sensu praesertim Ecclesiae demonstrata est exstitisse in Christo, hujusmodi erat ut posset, imo, ex mente Ecclesiae, deberet extendi ad omnia praeterita, praesentia et futura. Limitata igitur deberet eatenus tantum admitti quatenus Scriptura aut traditione constaret Christum suo humano intellectu in aliquo errasse aut aliquid positive ignorasse.

Ea quidem est indefessa criticorum acatholicorum affirmatio. Tenent « conciliari [non posse] sensum naturalem textuum evangelicorum cum eo quod nostri theologi docent de conscientia et scientia infallibili Christi. — Evidens esse cuique, qui praeconceptis non ducitur opinionibus, Jesum aut errorem de proximo messianico adventu fuisse professum, aut majorem partem ipsius doctrinae in Evangeliis synopticis contentae authenticitate carere. — Criticum [non posse] asserere Christo scientiam nullo circumscriptam limite nisi facta hypothesi, quae historice haud concipi potest quaeque sensui morali repugnat, nempe Christum, uti hominem, habuisse scientiam Dei et nihilominus noluisse notitiam tot rerum communicare cum discipulis et posteritate ».

Opinionem vero illorum damnavit Pius X decreto *Lamentabili* (D-B. 2032-2034 ; C. 777). Congregatio pariter S. Officii, die 7 junii 1918, decrevit « non posse tuto doceri... certam non posse dici sententiam, quae statuit animam Christi nihil ignoravisse », aut « placitum quorumdem recentiorum de scientia animae Christi limitata, non esse minus recipiendum in scholis catholicis quam veterum sententiam de scientia universali » (C.778).

334. Qua methodo solvenda ? — Jam igitur inquirendum est de illis evangeliorum locis, quae limitatam Christi scientiam supponere videntur. In quo critice sane seu exegetice aut historice procededendum est, siquidem sensus eorum statuendus est quis sit litteralis, at non ita exclusive quasi, non habita ratione doctrinae aliunde haustae, ex illorum tantummodo tenore demetienda sit extensio totius humanae scientiae Christi. De hoc enim quaestio nobis jam non est nisi negativa, et nostra aut Ecclesiae mens omnino non est ut critico aut historico per ipsa evangelia positive probanda sit omnimoda illa scientia, quae Christo, ratione visionis beatificae, vindicatur. Satis est probari eam non excludi

Illegitime tamen velit criticus paucissimis illis textibus ita haereri ut propter eos solos negetur divinitas aut imo divina Christi legatio : jam enim diximus omniscientiam humanam Christi non esse consequentiam de se absolute necessariam unionis hypostaticae [1], nec proinde critico evidens est a priori hominem, cujus scientia limitetur, non esse Deo personaliter unitum.

Posita porro ulterius certitudine tum illius divinitatis, tum omnimodae illius scientiae, critico jam quaerendum est utrum textus

(1) Cf. Tolet. III, q. 9, a. 2, 2[a] concl. ; Stentrup : *Christol. thes.* 69, 2[a] pars, p. 1069 ; Janssens : *De Deo-homine* I. 419.

evangelii scientiae hujusmodi adeo absolute contradicant. Attendere propterea debet: a) num error quem prodere videntur sit adeo evidens, aut tantum locum habeat in doctrina Christi, ut tota exinde interpretanda sit ; — num illa « hypothesis », cujus solius ope existimat illimitatam scientiam posse de Christo asseri, sit sola via solvendi contradictionem apparentem, aut adeo repugnet tum « sensui morali » tum « historiae » Christi. Quod si, per ipsa evangelia, constet Christum ita procedere solitum esse ut sibi denegaret ex aliquo capite id quod re vera tamen haberet, critico jam deponendus erit sensus suus et standum erit affirmationibus auctoritatis majoris.

De his igitur omnibus statuenda venit thesis sequens.

THESIS XXIV - Scientia Christi humana adeo perfecta erat ut non tantum ab omni errore sed etiam ab omni ignorantia positiva immunis esset.

PRIMA PARS. **Immunitas ab errore.**

335. I. **Exponitur difficultas.** — Errat qui, cum aliquid nesciat, hoc judicat et affirmat. Jamvero error dicitur apud Christum deprehendi, quatenus consummationem saeculi seu « parousiam » Filii hominis, cujus, ipso fatente, diem et horam ignoraverit, tamen putaverit et docuerit fore mox, scilicet ante finem generationis praesentis.

Hoc enim expresse docuerit : 1° In affirmatione speciali de venturo regno Dei [1]. Ibi enim « regnum » illud, quod astantium aliqui visuri dicuntur, identificari clare videtur cum glorioso adventu Filii hominis in fine saeculorum. — 2° In responsione ad Caïpham, quando judicibus suis ait : « *Videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei et venientem cum nubibus caeli* » (*Mc.* 14. 62 et *Mt.* 26. 64 ;

(1) *Mt.* 16. 27-28.

Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis ; et tunc reddet unicuique secundum opera ejus.

Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo.

Marc. 8. 38 — 9. 1.

Et filius hominis confundetur eum, cum venerit in gloria patris sui cum angelis sanctis.

Et dicebat illis : Amen dico vobis, quia sunt de hic stantibus qui non gustabunt mortem donec videant regnum Dei veniens in virtute.

Luc. 9. 26-27.

...hunc filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua, et Patris et sanctorum angelorum.

Dico autem vobis vere : sunt aliqui hic stantes, qui non gustabunt mortem donec videant regnum Dei.

cf. *Luc.* 22. 69). — 3° In oratione, quae dicitur eschatologica, quatenus de consummatione saeculi sermonem habens simul ac de futuro excidio Jerusalem, asserit : « *Amen dico vobis quoniam non transibit generatio haec, donec* OMNIA ISTA *fiant* » (*Mc.* 13. 30 ; *Mt.* 24. 34 ; *Luc.* 21. 32). Diem tantummodo et horam utriusque illius mox futuri eventus ipse nesciverit (*Mc.* 32 ; *Mt.* 36).

336. II. **Solvitur difficultas.** — 1° **In genere, observandum** est : A) Asserta praemissa non esse talia ut ad ea sola componi aut imo reduci possit atque debeat tota historia Christi. Fatentibus enim omnibus, obscura ea sunt et pauca, dum econtra multa et clara sunt quae excludunt Christum putasse consummationem saeculi imminere.

B) Christum, si vera esset hypothesis erroris, docuisse imminentiam instaurationis regni messianici firmiter simul et tamen mere conjecturaliter, siquidem, ut admittitur, diem et horam illius nesciverit. Jamvero annuntiatio hujusmodi, apud eum cui attribuitur, est prorsus inverosimilis, non tantum theologice et dogmatice, quatenus dedeceret tum missionem fundatoris Ecclesiae tum dignitatem personae divinae, sed etiam critice et historice, quatenus contradiceret modo docendi, qualem historice constat fuisse Christi : omnino enim contra morem ejus erat loqui conjecturaliter aut dubitanter atque asserere quod nesciret [1].

C) Apud Synopticos ipsos, et quidem in pericopis aut parabolis quae agnoscuntur primigenium colorem quam maxime servare, multa a Christo dici quibus significet se praevidere non adeo brevem mundi consummationem : ea v. gr. quibus significat novam oeconomiam religiosam seu Ecclesiam ad omnes gentes perventuram antequam veniat finis : cf. v. gr. parabolas sagenae missae in mare, vinicolarum, domini moram facientis, grani sinapis quod crescit in magnam arborem ; item verba de evangelio praedicando ubique, de gentilibus ab Oriente et Occidente et Aquilone et Austro venientibus atque accumbentibus in regno Dei, de evangelio praedicando in toto mundo [2].

337. 2° **In specie, de adventu,** quem praenunciaverit futurum **in generatione praesenti.** — Principium solutionis est in distinctione duplicis stadii regni Dei duplicisque instaurationis seu manifestationis ejus. Regnum Dei enim, aetate evangelica et apostolica, intellegi-

(1) Hoc adeo constat ut critici radicales propterea negent authenticitatem aut historicitatem verbi, quo, apud Marcum, « Filius » dicit se nescire diem et horam. Videas testimonia recitata apud LAGRANGE : *Évang. selon S. Marc,* p. 326.

(2) Latius haec exponuntur in tractatu de *Legato divino.* Critice quaestio tractatur apud LAGRANGE : *Évang. selon S. Mathieu,* p. CLXIII.

tur modo in terris instauratum, modo postea in caelis consequendum.

De priori stadio regni. — **a)** Finem faciet antiquae oeconomiae religiosae, quando regnum auferetur a Judaïco populo et dabitur genti facienti fructus ejus : parabola vinicolarum, *Mt.* 21. 43. — **b)** Regnum illud erit Christi, cui potestas data est in caelo et in terra atque ad omnes gentes (*Mt.* 28. 18-19). — **c)** Illud regnum, quod non tantum a S. Joanne Baptista (*Mt.* 3. 2) sed etiam a Christo (4. 17) et a discipulis ejus (10. 7) dicitur appropinquare, tamen ab ipso Christo significatur aliquo sensu jam adesse (*Mt.* 11. 12 ; 12. 18) et ab Apostolo notatur jam manifestari « *in virtute* » : ἐν δυνάμει (*Rom.* 15. 19 ; 1 *Cor.* 4. 19-20) ; Christus jam « *non infirmatur sed potens est* » : δυνατεῖ (2 *Cor.* 13. 3). Ex quo scilicet, per resurrectionem, Filius Dei constitutus est « *in virtute* » (*Rom.* 1. 4), seu in gloria et potestate, jam exaltatus constitutus est Κύριος (*Philipp.* 2. 9-11 et *Act.* 2. 33-36), ita ut « *in nomine ejus omne genu flectatur caelestium, terrestrium et infernorum* ». Hoc igitur sensu, Christo per passionem « *intrare in gloriam suam* » (*Lc.* 23. 26) fuit regnum instaurare et quidem « *regnum in virtute* » [1]. — **d)** In illo regno, usque ad consummationem saeculi, boni et mali erunt, qui interim non discernentur, (parabola zizaniorum : *Mt.* 13. 24-30 et 38-41), sed Christus tamen jam tunc suis aderit (*Mt.* 18. 20 et 28. 20). — **e)** Illud regnum suum Christus non tradet Patri nisi quando « *evacuaverit omnem principatum et potestatem et virtutem* » et omnia ei subjecta erunt (1 *Cor.* 15. 24-27).

De posteriori stadio. — Instaurabitur, quando Filius hominis veniet in gloria Dei Patris judicare vivos et mortuos (*Mt.* 16. 27 et 25. 31 sqq) et electi ejus, — qui sane aliquo saltem sensu regni jam participes erant, — possidebunt regnum eis a constitutione mundi praeparatum (25. 34).

Jamvero, duplici illi stadio regni, quod, simul ac jam adest, futurum tamen dicitur, ex natura rei est correspondere duplicem adventum Christi, quo utrumque instauretur : *priorem adventum,* quo Christus, gloriam jam adeptus et « in virtute » jam regnans, finem faciet antiquae oeconomiae et instaurabit regnum suum in terra, — per oppositionem ad passionem et mortem, — jam aliquo vero sensu gloriosum ; *posteriorem adventum,* quo judicabit omnes gentes et instaurabit regnum Dei Patris consummatum.

Porro duo illi adventus possunt eodem fere colore litterario depin-

(1) Quotuplici sensu et stadio Christus glorificari intellegatur, cf. *Jo.* 13. 31 et 17. 1. Eum vero S. Paulus habet ut jam pleno sensu glorificatum. (1 *Tim.* 3. 16 ; cf. Prat : *Théol. de S. Paul* II[6], p. 517 ; item de Grandmaison, art. *Jésus-Christ,* n° 273, in DAFC, II, 1437-1438.

gi, eoque facilius in documentis conjungi quo magis noluit Christus de ultimo suo adventu docere quidquam certi.

338. 3° **Singulis locis supra citatis applicatur principium solutionis.**

A) De *Mc.* 8. 38 — 9. 1 et *parall.* Regnum, quod, in secundo versiculo, aliqui auditores Christi dicuntur visuri, dicitur apud *Mc.* 9. 1 « regnum veniens — [aut potius, quod jam advenerit et vigeat] — in virtute : τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ ἐληλυθυῖαν ἐν δυνάμει ». Videtur propterea intellegendum, non de regno instaurando in die judicii universalis, de quo praecedens versiculus, sed de eo regno « in virtute », quod S. Paulus, ut dictum est, praedicabit jam adesse et vigere [1].

Juxtapositio autem duorum versiculorum, qua nitebatur objectio, potest, imo apud evangelistas innuitur, esse potius mere redactionalis. Secundus enim : a) Introducitur formula, qua disjungitur potius quam connectitur cum praecedente : « Καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς· ἀμὴν λέγω ὑμῖν » *(Mc.)*. « Ἀμὴν λέγω ὑμῖν » *(Mt.)*. « Λέγω δὲ ὑμῖν » *(Lc.)* [2]. Dicas aliud Domini dictum, quod S. Marcus, et alii post eum, hoc loco simpliciter apposuerint. — b) Logicam re vera non habet connexionem cum praecedente. Praecedens enim seipso plene concludit thema de abnegatione, quae, ad sequendum Christum, sit necessaria *omnibus*. Ad hoc vero inculcandum minime confert quod *aliquibus* spes sit videndi regnum Dei in virtute. Thema praeterea hujusmodi supponit Christum praenunciasse suam in cruce passionem, et excludit proinde, quod volunt critici, eum non prospexisse nisi messiam, cujus docuerit adventum instare gloriosum.

339. B) **De responsione ad Caïpham.** Christus ibi, allusione facta tum ad *Danielem* (7. 9 et 13-14) de filio hominis cum nubibus veniente et accipiente potestatem atque regnum, tum ad *Ps.* 109, de Domino a dextris Domini sedente, affirmat tantummodo se aliquando agnoscendum id quod est, regem scilicet et judicem a prophetis praenunciatum atque Dei Filium. De tempore quo id fiet nihil affirmat, neque vim facit in hoc quod judices sui ipsi ante mortem videbunt suum adventum in nubibus caeli : vox « videre », in hujusmodi sententiis,

(1) Ratione parallelismi et dependentiae forte litterariae, eodem sensu intellegi possunt verba SS. Matthaei et Lucae. De quibus singulis videas commentatores, in specie LAGRANGE, quem in his sequimur.

(2) « Λέγω δέ marque une opposition avec ce qui précède. Au v. 26, il envisageait la venue glorieuse du Fils de l'homme. Maintenant, il s'agit simplement du règne de Dieu » (LAGRANGE : *Evang. selon saint Luc* et cf. *Evang.* selon S. Marc, p. 214-215).

ponitur ad significandum, non praecise visionem ocularem personalem, sed in genere id quod futurum est: cf. v. gr.: « non *videbit* mortem », « non videbit interitum » (*ps* 88. 49 et 48. 11); « *videbunt* omnes populi quod nomen Domini invocatum sit super te » (*Deut.* 28. 10)[1].

340. C) **De oratione eschatologica.**

a) *Solutio indicatur.* Solutio est sermonem ibi haberi simul de duobus eventibus, quorum unus, excidium Jerusalem, ex certis signis praevideri et per fugam aliquatenus vitari possit, alter vero, parousia Filii hominis, impraevisus omnino et inevitabilis futurus sit. « Ea » porro « omnia », quae dicuntur « futura priusquam transierit actualis generatio », esse signa, ex quibus prior eventus dignosci possit imminere.

Partes autem seu versiculi, quibus de utroque illo eventu respective agatur, non adeo facile est assignare omnes. Attamen, si excipiantur *Mc.* 13. 19-23 et *Mt.* 24. 21-25, quibus incertum est utrum adhuc de priori an jam de posteriori agatur, consensus fit communiter de sequenti orationis divisione :

De excidio.		*De parousia.*	
Factum ipsum	*Mc.* 13. 6-18 *Mt.* 24. 5-20 *Lc.* 21. 8-24	Factum ipsum	*Mc.* 13. 24-27 *Mt.* 24. 26-31 *Lc.* 21. 25-27
Signa et tempus	*Mc.* 13. 28-31 *Mt.* 24. 32-35 *Lc.* 21. 28-33	Incertitudo	*Mc.* 13. 32-37 *Mt.* 24. 36-cp. 25 *Lc.* 21. 34-36

b) *Solutio justificatur :*

α) Duo eventus distingui debent, nam : z) De duobus quaestio ponitur explicite apud *Mt.* 24. 3[2]. — y) Aliquod factum praedicitur, cui discipuli monentur per fugam se subducere[3], quod ex certis signis, haud minus ac

(1) N. B. variam formam apud synopticos. *Mc.* habet simpliciter : καὶ ὄψεσθε ; *Mt.* : ἀπ' ἄρτι ὄψεσθε ; *Lc.* ἀπὸ τοῦ νῦν ἔσται. Qui velit ad litteram singulas voces intellegere, nulla habita ratione modi loquendi mutuati ex prophetis, debeat intellegere *Mt.* (ἀπ' ἄρτι) de visione hic et nunc habita.

(2) « Εἰπὲ ἡμῖν πότε ταῦτα ἔσται — excidium urbis — καὶ τί τὸ σημεῖον τῆς σῆς παρουσίας, καὶ συντελείας τοῦ αἰῶνος ; Implicite forte etiam apud *Mc.* 13. 4 « Εἰπὸν ἡμῖν πότε ταῦτα ἔσται, καὶ τί τὸ σημεῖον ὅταν μέλλῃ ταῦτα συντελεῖσθαι πάντα ; » et apud *Lc.* 21. 7 : « Πότε οὖν ταῦτα ἔσται, καὶ τί τὸ σημεῖον ὅταν μέλλῃ ταῦτα γίνεσθαι ; »

(3) « Tunc qui in Judaea sunt, fugiant ad montes... Orate ut non fiat fuga vestra in hieme vel sabbato » (*Mt.* 24. 16-20 et parall.).

aestas ex foliis fici, dignoscetur appropinquare [1]. Aliud vero, adventus Filii hominis, dicitur fore omnino inexpectatus [2], repentinus et superveniens in omnes tanquam laqueus [3] aut fulgur [4], incerto tempore [5], etsi forte tardius [6], cui propterea omnes monentur ut vigilando se habeant semper paratos [7].

β) « Ea omnia » (πάντα ταῦτα), quae Christus asseverat fore in generatione actuali (*Mt.* 24. 34 et parall.), non possunt esse ea de quibus « nemo scit » et tempus manet omnino incertum, bene vero « ea omnia » quae versiculo praecedenti (*Mt.* 24. 33 et parall.) dicuntur fore in signum eventus qui praecognosci potest [8].

γ) « Dies illa » pariter (ἡ ἡμέρα ἐκείνη), « de qua nemo scit » (*Mc.* et *Mt*), quae « in omnes super faciem terrae superventura est repentina tanquam laqueus » (*Lc.* 21. 34-35), non potest identificari cum illo eventu de quo dicuntur fore signa unde dignoscatur appropinquare (*Mt.* 24. 33 et parall.). Haud magis intellegi potest de die incerto quo, durante actuali generatione, « ea omnia » futura sint, nam, in ea hypothesi, ratio non erat cur diceretur dies ἐκείνη : nihil enim est in versiculo de generatione ad quod vox illa referatur (LAGRANGE *in h. l.*). Praeterea, « dies illa » opponitur a Christo, non « generationi », sed « eis omnibus », tanquam id de quo nemo scit ad id de quo absolute pronunciat. Optime econtra intellegitur de die quo repentine, ut supra dictum est, parebit Filius hominis, seu de

(1) « Cum videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto... Ab arbore autem fici discite parabolam.... ita et vos, cum videritis haec omnia, scitote quia prope est in januis » (*Mt.* 24. 15 et 32-33 atque parall.)

(2) « Sicut in diebus Noe, ita erit et adventus Filii hominis... Erant comedentes et bibentes... et non cognoverunt donec venit diluvium, et tulit omnes, ita erit et adventus Filii hominis » (*Mt.* 24. 37-39).

(3) *Lc.* 21. 34-35. — (4) *Mt.* 24. 27 et cf. *Lc.* 17. 24.

(5) « Nemo scit » (*Mt.* 24. 36 et *Mc.* 13. 32). « Οὐκ οἴδατε πότε ὁ καιρός ἐστιν » (*Mc.* 13. 33).

(6) « Nescitis quando dominus domus veniat : sero, an media nocte, an galli cantu, an mane » (*Mc.* 13. 35 ; *Mt.* 24. 42 ; *Lc.* 12. 38).

(7) *Mc.* 13. 33-36 ; *Mt.* 24. 42 *cp.* 25 ; *Lc.* 21. 34.

(8) N. B. enim « ταῦτα πάντα » (*Mt.* 24. 33 et parall.) non posse esse ea omnia, adventu Filii hominis incluso, de quibus oratio habita est, siquidem adventus ille erit ipse finis ultimus, « ea omnia » vero dicuntur fore in signum eventus alicujus appropinquantis. Eventus autem ille quis sit determinari debet ex eo quod praevideri possit : est igitur excidium urbis, quod non mireris dici a *Lc.* « regnum Dei », nam ruina Jerusalem manifestabit quam maxime advenisse regnum Dei a Christo praedicatum. Supra, n. 337. Ex eo quod versiculus de generatione actuali habet eadem materialiter verba ac interrogatio initio orationis posita de excidio urbis, — ταῦτα, ταῦτα πάντα — haud scio an argumentum duci possit quod idem simpliciter utroque loco intellegi debeat... Tam multa alia interim dicta sunt.

die judicii ultimi : nam ea formula est qua, ea aetate, designari solet dies ille Domini : cf. v. gr. praeter *Lc.* 21. 34, *Mt.* 7. 22 ; 2 *Thess.* 1. 10 ; 2 *Tim.* 1. 12 et 18 ; 4. 8.

D) *Solvuntur objectiones.* Non obstat quod, in illa oratione, omnia praenunciari videntur per modum unius et connectuntur formulis — τότε (*Mt.* 24. 9 ; 10 ; 16 ; 21 ; 23 ; 40) ; εὐθέως μετὰ τὴν θλῖψιν τῶν ἡμερῶν ἐκείνων (*Mt.* 24. 29) ; — quae suggerant continuam et immediatam successionem, proindeque arbitraria sit illa distinctio duorum eventuum distantium.

Etenim, ad rectam orationis interpretationem, ratio habenda est tum generis prophetici aut potius apocalyptici quo habita et scripta est, tum processus quo singulae ejus partes apud synopticos contextae sunt. Utraque vero consideratio suadet ne consecutioni dictorum aut factorum agnoscatur sensus aut vis adeo chronologica.

Generis enim apocalytici est tum eventus depingere figuris illis et signis vividissimis, quae apud prophetas occurunt, quoties praenunciatur Dei judicium de aliquo populo aut gente [1], tum formulis, quarum ope juxtaponuntur, non ascribere vim nisi qualiscumque transitionis [2]. Evangelistas autem notum est ordinem chronologicum non adeo curasse in referendis orationibus Christi, et formulas illas transitionis καὶ, δὲ, τότε, ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ, etc, usurpare sensu adeo lato ut ratione sui non significent apud eos sucessionem chronologicam vere immediatam : cf. v. gr. pro τότε apud *Mt.* 3. 13 ; 4. 1 et 5 ; 27. 38.

Eosdem, in hac oratione, manifestum est congessisse et connexuisse verba aut fragmenta orationum Christi, quae constat alio tempore aut occasione habita esse. Sic, v. gr., quae habentur apud *Mc.* 13. 9-12 et *Lc.* 21. 12[b]-16[b], ea apud *Mt.* omittuntur hoc loco et leguntur 10. 17-21 ; item *Mt.* 24. 26-28 habet solus inserta hoc loco ea quae *Lc.* habet 17. 23-24 et 37.

Successio igitur chronologica, qualis primo intuitu apparet in illa oratione [3], non adeo urgenda est ut excludat distinctionem eventu-

(1) Cf. DE GRANDMAISON : *art. cit.*, n° 268 ; LAGRANGE : *Le messianisme chez les Juifs*, p. 48-50. Quoad locum nostrum, cf. v. gr. *Mc.* 13. 8 cum 2 *Paral.* 15. 6 et *Is.* 19. 2 ; *Mc.* 13. 19 cum *Daniel* 12. 1 et *Joel* 2. 2 ; *Mc.* 13. 24 cum *Joel* 2. 10 et *Is.* 13. 10 atque 34. 4 vel *Apoc.* 6. 12-17 aut 4 Esdr. 5. 4-9.

(2) Cf. LAGRANGE in *Mt.* 24. 21 et 29.

(3) Notandum est consecutionem factorum apparere imprimis immediatam apud *Mt.*, quem notum est curasse minus ordinem chronologicum. Apud *Lc.* autem, oratio possit intellegi fere tota de solo excidio urbis.

um distantium, quam praemissae considerationes exegeticae suadent aut potius imponunt [1].

SECUNDA PARS : **Immunitas ab ignorantia.**

341. I. **Sensus theseos.** Distinctione facta ignorantiae *negativae*, qua quis simpliciter caret scientia alii competente, et *positivae*, seu *privativae*, qua quis caret scientia debita, in eis scilicet quae ad se aut ad sua munera pertinent, jam, ex praemissis de objecto scientiae beatae, patet non negari in Christo ignorantiam negativam : dictum est eum non cognoscere omnia quae sint Deo possibilia. Negatur tantummodo ignorantia positiva, et quidem eo tantum sensu quo dictum est eum scientia sua beata cognoscere omnia praeterita, praesentia et futura ; non excluditur proinde eum ignorasse aliquid aliqua sua scientia humana, scientia v. gr. infusa et praesertim naturali acquisita.

342. II. **Difficultas unde oriatur.** Hinc statim apparet non facere contra thesim interrogationes a Christo motas aut progressum ejus in sapientia : jam enim dictum est ea rationem sui habere in scientia ejus naturali acquisita.

Sed aperte contra thesim facere videtur dictum ejus de nescita « die illa » : « *De die autem illo, vel hora, nemo scit, neque angeli in caelo,* NEQUE FILIUS, *nisi Pater* » [2]. Dies enim, qua Filius hominis venturus est judicare saeculum, manifeste pertinet ad munera Christi, proindeque, ex dictis, ab eo videri debuit in Verbo. Hinc quaestio oritur de modo hunc locum intellegendi et conciliandi cum doctrina supra exposita de illimitata Christi scientia beata.

343. III. **Quae fuerint olim solutiones.** Multiplices excogitatae sunt, prout in Christo admissum aut negatum est dari veram reapse ignorantiam.

1° *Ignorantiam in ipso Verbo* admisere Ariani, qui ex hoc in specie

(1) Quam parum fictitia sit distinctio hujusmodi et quam parum ex praejudicio dogmatico inducta, confirmari possit, ad hominem, ex eo quod critici radicales orationem discerpere soleant in partes, quarum velint aliam esse apocalypsim quamdam judaïcam, aliam quoddam Christi verbum, aliam tandem additamentum aetatis subapostolicae. Cf. LAGRANGE : *Ev. s. S. Marc*, p. 312.

(2) *Mc.* 13. 32. — *Lc.* omittit totum illum versiculum. *Mt.* vero, juxta multos codices et Vulgatam, omittit voces « neque Filius », quas tamen implicite resumit dicendo : « nisi *solus* Pater » (24. 36). De cujus textus variis lectionibus videas LEBRETON : *Les origines du d. de la Trinité*, 4e *éd.*, *note* C, p. 513.

loco probari volebant « Filium » non esse Deo consubstantialem [1].

2° *Ignorantiam in humanitate admisere :*

A) **Haeretici :** a) Nestoriani, qui pro, sua doctrina unionis mere moralis, absque ulla difficultate admittebant Christum, qui, in omni scientia, sicut in gratia et sanctitate, profecerit. — b) Monophysitae, qui dicuntur Agnoetae, saeculo 6°. Hi enim, etsi unicam post unionem volebant dici naturam, tamen, cum Severo Antiocheno, admittebant proprietates utriusque naturae manere distinctas. Propterea, sicut contra Aphthartodocetas admittebant assumptum esse corpus passibile, ita docebant assumptam esse animam quae ignoraret : secus enim, aiebant, humanitas Christi non fuisset nobis consubstantialis, siquidem ignorantia est proprietas naturae nostrae, quae, cum non habeat rationem peccati, debuit a Verbo assumi.

B) **Catholici :** a) Non pauci diu Patres contra Arianos et Apollinaristas. Arianis enim arguentibus contra divinitatem « Filii » ex progressu in sapientia et ex ignorantia « dici » respondebant ignorantiam eam, si qua fuerit, pertinuisse ad humanam, non ad divinam, scientiam [2]. Contra Apollinaristas autem eadem ignorantia argumento eis erat pro assumpta etiam anima rationali [3]. — b) In controversia nestoriana, utrinque admittebatur

(1) S. Irenaeus, nulla distinctione facta duplicis Christi scientiae, Verbo etiam applicasse videtur hunc locum, at hoc tantum sensu quod « Filio », etsi habet omnia communicata a Patre, tamen complacuit « scientiam diei illius referre ad Patrem », ut nos exinde discamus « quae sunt in quaestionibus majora reservare Deo » atque « super omnia esse Patrem » (*Haer.* 2. 18, 6 et 8 PG. 7. 808 C-809 A et 811 A). Eodem fere sensu alii postea probavere interpretationem, ex qua Pater dictus fuerit scire solus, quia ipse est etiam Filio sciendi principium : cf. v. gr. S. Basilius : *epist.* 2. 36 (PG. 32. 877 D et 880 A-B) ; Greg. Naz. *Or.* 30. 16 (PG. 36. 124 C).

(2) Ita v. gr. S. Athanas. : *cont. Ar.* III. 43 et 45 ; *ad Serap.* 9 (PG. 26. 413 ; 417 ; 621-624) ; S. Gregor. Naz. *Or.* 30. 15 (PG. 36. 124) ; item « plerique » illi quos S. *Ambros.* commemorat in suo *De fide* V. 18. 221 (PL. 16. 694 B-C). Eos ille hoc loco, quin improbet, non sequitur ; at alibi cum eis omnino sentit, etiam in hoc eodem opere, nam sicut dicit Christum, « ut homo, turbatum esse » (II. 7, 56), « per naturam hominis dubitasse, et taeduisse et resurrexisse » (II. 8, 59), et « obedivisse » (II. 10, 84), « pro nobis suscepisse nostras infirmitates, nostri corporis subiisse passiones », ita docet eum « pro nobis diem judicii ignorasse, pro nobis nescivisse diem et horam » (II. 11, 93). Quod confirmat tum in *De Incarnatione* 7. 72, ubi explicat in Jesu fuisse profectum « sapientiae humanae, sensus humani » (PL. 16. 837 A), tum in *Exposit. evang. sec. Lc.* (VIII. 34), ubi explicat Christum « temporum finem novisse per naturam Dei, non per naturam hominis » (PL. 15. 1775 A).

(3) Ita v. gr. S. Epiphanius : *Haer.* 77. 26 (PG. 42. 677) ; S. Gregor. Nyss. : *cont. Apoll.* 24 (PG. 45. 1173-1176) ; S. Ambros. : *De Incarn.* 7. 71-74 (PL. 16. 836-837) ; Vigilius Thaps. : *cont. Eutych.* 5. 13 (PL. 62. 143) ; S. Fulgentius : *ad Thrasamundum* I. 8 (PL. 65. 231).

ignorantia in humanitate [1]. Ita enim sentiebat, non tantum Theodoretus [2] et Proclus [3] sed etiam S. Cyrillus Alexandrinus : is in specie, etsi, pro suo modo concipiendi et asserendi unitatem Christi personalem, nolebat Christum dici simpliciter ignorasse unquam, tamen aperte ac semper professus est Verbum sibi assumpsisse, sicut ceteras carnis infirmitates, ita etiam ignorantiam [4] nec apud Orientales impugnavit nisi hoc quod eam viderentur ascribere « formae servi » tanquam alteri personae seorsim subsistenti [5].

344. 3° *Negaverunt econtra omnem ignorantiam in Christo :*

A) Haeretici : Monophysitae in genere, quatenus Agnoetas et ipsi impugnaverunt quasi, posita una tantum in Christo natura, Deo ipsi ignorantiam inferrent [6].

B) Catholici :

a) **Implicite** fere omnes, quatenus personam Filii, etiam in humanitate consideratam, nolunt dici ignorasse quidquam.

Sensus hujusmodi jam apud eos etiam apparet quos diximus humanitati formaliter ascribere scientiam increatam : hinc enim est cur, non obstante sua doctrina, vel alias sibi quaerant explicationes de profectu in sapientia ac de verbo circa diem et horam judicii, vel, ut S. Cyrillus, detractent confiteri Christum simpliciter ignorasse [7].

Manifestatur autem imprimis apud eos qui, omissa distinctione operationum et scientiarum in Christo, illum simpliciter negant potuisse ignorare.

Ita omnes illi qui Christum ideo dicunt non potuisse nescire diem et horam sive quia Filius est, in sinu Patris, et qui Patrem tam clare novit quam Filium Pater, sive quia creator est saeculorum nec proinde tempora nescire potest : Didymus Alexandrinus [8], S. Joannes Chrysostomus [9],

(1) Hoc fatetur auctor catholicus libri *De sectis*, saec. 6° ineunte, ubi concedit Agnoetis plerosque Patres, aetate concilii Chalcedonensis, admisisse Christum juxta evangelii dicta, aliquid aliquando ignorasse (PG. 86[1]. 1264 A).

(2) *Cont. anathem.* 4 et *Eranistes.* 2 (PG. 76. 409-412 ; 83. 149-152).

(3) *Epist.* 2. 14 (PG. 65. 869).

(4) Demonstrationem dat Lebreton : *Origines du dogme de la Trinité*, 4e éd., note C, p. 521-530, quem plerumque in his sequimur.

(5) *Apologet. cont. Theodor.* 4 *cont. Orientales* 4 (PG. 76. 416 ; 340 D-341 A).

(6) Cf. Tixeront : *Hist. des dogmes*, III. p. 127-128 ; Lebreton, *loc. cit.* p. 535.

(7) *Ibid.* p. 516-518 ; 525.

(8) *De Trinit.* 3. 22 (PG 39. 916-921) ; item, si forte sit ejus opus, ps. Basil. : *contra Eunomium* IV. 3 (PG 29. 696-697).

(9) *In Matth. hom.* 77. 1,2 (PG. 58. 702-703).

S. Hieronymus [1]. Patet quidem omniscientiam apud eos ascribi formaliter naturae divinae, ita ut testimonium frustra quaeratur hic explicitum de omniscientia humana ; attamen in ea ipsa cura, qua detrectant ignorantiam praedicari de supposito divino, se prodit sensus summae indecentiae quae esset in hujusmodi praedicatione [2].

Ita etiam S. Gregorius Magnus, ubi contra Agnoïtas pronuntiat : « Res valde manifesta est quia quisquis Nestorianus non est, Agnoïta esse nullatenus potest ». (*Epist.* X. 39 PL 77. 1098 A). Quo vìderi quidem possit explicite ignorantiam in humanitate excludere, at re vera non excludit ignorantiam nisi ratione divinae naturae.

Contextus enim docet errorem Agnoïtarum, — etsi re vera sectae monophysitarum erat, — ideo Nestorianismum ei sapuisse quia, ratione non habita omniscientiae divinae, Christum non jam Deum sed merum hominem faciebat : quam notum est fuisse communem et vulgatam criminationem contra Nestorium motam [3]. S. Gregorius autem, in hac suae epistolae parte, thesim ipse ponit et probat Filium Dei ideo praecise, etiam in natura humanitatis, omnia scivisse, quia etiam in carne erat ipsa Dei Sapientia et, sicut potestatem faciendi miracula, ita etiam omniscientiam habet cum Patre communem [4]. Quod sane ignorantiam de Christo, etiam ut homine, negat at ratione tantum suppositi, proindeque non potest transferri ad ipsam formaliter humanitatem nisi ratione summae convenientiae, ex qua repugnet unam naturam ignorare quod alia cognitum habeat.

(1) *In Matth.* 24. 36 (PL 26. 181).

(2) Sensus hujusmodi exemplum clarum videas apud S. Ambrosium, ubi timet sequi eos qui concedunt Christum potuisse ignorare secundum humanitatem (*De fide,* V. 18, 221-222).

(3) Patet enim Nestorianum non esse eum qui dicat simpliciter naturae humanae in Verbo subsistenti aliquid manere ignotum : hoc enim et ipsi dicimus, ubi negamus Christum visione beatifica nosse omnia possibilia, quae Verbum tamen etiam in carne novit. Cf. supra, n. 319 C a.

(4) Incarnatus Unigenitus... *in natura quidem humanitatis,* novit diem et horam judicii, sed tamen hunc *non ex natura humanitatis* novit, quia Deus homo factus diem et horam judicii, *per deitatis suae potentiam,* novit, sicut et in nuptiis,.. *ex natura patris,* miracula faciebat... Itaque scientiam, quam *ex humanitatis natura non habuit,* ex qua, cum angelis, creatura fuit, hanc se cum angelis, qui creaturae sunt, habere denegavit. Diem ergo et horam judicii scit Deus et homo, sed *ideo quia Deus est homo.* Res autem valde manifesta est, quia quisquis Nestorianus non est Agnoïta esse nullatenus potest. *Nam* qui ipsam Dei Sapientiam fatetur incarnatam, qua mente valet dicere esse *aliquid quod Dei Sapientia ignoret ?* Scriptum est : *In principio erat Verbum ; omnia per ipsum facta sunt.* Si omnia, procul dubio etiam dies judicii et hora. Quis ergo ita desipiat ut dicere praesumat quia *Verbum Patris fecit quod ignorat ?* » (*loc. cit.* et D-B 248 ; C. 774).

345. b) **Explicite** S. Augustinus, qui non tantum ignorantiam ab humanitate Christi saepissime exclusit [1], sed etiam, affirmata de illa, ut supra dictum est (nº 317), visione beatifica, rationem assignavit cur posset omnia scire.

Item, S. Augustino agente, Leporius in suo *Libello emendationis* [2]

Item, contra Agnoëtas, Eulogius Alexandrinus, quatenus, teste Photio, « contendit Christum, neque secundum humanitatem quidem, multo minus vero secundum divinitatem, ignorasse sepulcrum Lazari neque etiam illum ultimum diem » [3].

Item, postquam explicita magis facta est distinctio operationum et scientiarum in Christo, plerique cum S. Joanne Damasceno excludunt ignorantiam ab infirmitatibus humanis quas assumpsit Verbum incarnatum [4].

346. IV. **Conclusio:** 1º *De facto omniscientiae in humanitate Christi* doctrina ergo facta est communis in Ecclesia eadem via eodemque processu quo doctrina de scientia illius beata. Utraque nititur imprimis illo sensu quo fideles et pastores abhorruere semper, tanquam ab aliqua indecentia, ab admittenda ignorantia ullius creaturae apud eum qui, etiam ut homo formaliter, dux et caput est a quo omnia creata pendent et ad cujus etiam humanitatem omnia ab initio aliquatenus ordinantur. Sensus autem ille manifestatur praecipue in conatu quo, non obstante sensu primo intuitu obvio dictorum evangelicorum, doctores, probante Ecclesia, nisi sunt de dictis illis rimari interpretationes, quae cum omniscientia Christi conciliari possent.

(1) Demonstrationem videas apud *Lebreton, loc. cit.* p. 530-532, ubi tamen nimis urgeri videtur consideratio ignorantiae ut ad peccatum consecutae. Ignorantia enim, etiam in natura integra, proprietas est naturae creatae ; nec Adamus, ante peccatum, ignorantia carebat. Hoc autem sensu ignorantia apud alios Patres datur ut naturalis hominum infirmitas. — (2) 10 (PL 31. 1229).

(3) Apud Photium : *Biblioth. cod.* 230 (PG 103. 1082 A). Additur temeritatis immunem non videri eum qui ignorantiam de Christo affirmet sive quoad humanitatem : « Οὔτε γὰρ κατὰ τὴν θεότητα, οὔτε κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα τὴν ἄγνοιαν λέγειν ἐπ' αὐτοῦ θράσους ἐπισφαλοῦς ἠλευθέρωται » (1084 B). — Nisi ea forte sit ab ipso Photio inserta parenthesis ?... — Eulogius non diffitetur antiquos Patres aliter solvisse difficultatem, ita ut aliqui humanitati ignorantiam ascriberent. At notat eos non hoc protulisse ut dogma sed per modum argumenti contra Arianos (1084 C). Id ipse imprimis sartum textum vult, ignorantiam non ascribi Sapientiae Dei : « dummodo non doceat Patris sapientiam ignorasse : οὐ μὴν ἀγνοοῦντα τὴν τοῦ Πατρὸς σοφίαν δοξάσειεν » (1081 C).

(4) Auctoritates apud *Lebreton, loc. cit.* p. 539 sqq.

347. 2° *De sensu quo Christus dixit se nescire diem et horam.*

A) *Solutio communis inter catholicos* jam est Christum ideo dixisse se nescire, quia suae missionis non est diem et horam manifestare.

Quae ut recte intellegatur, observandum est solutionem eam non esse simpliciter, quae dici solet, ignorantiae *per tacendi dispositionem*, quasi Christus dixerit se nescire simpliciter *quia tacere opportunum judicabat.* Explicatio enim hujusmodi arbitraria in se videtur, ideoque a S. Bernardo abjecta est ut quae Christo ascriberet mendacium [1]. Praeterea, ut notabat Maldonatus, dato sensu hujusmodi, jam non intellegitur cur Pater solus scire dicatur, siquidem et ipse tacere dispositus est. (*In Math.* 24. 36).

B) *Aliter autem procedit solutio proposita.* Nititur facto alias in evangelio patenti, quo constat Christum de se denegasse quidquid non est actualis missionis suae facere aut manifestare.

Sic, etsi « *Pater non judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio* » (*Jo.* 5. 22), tamen dicit : « *Si quis audierit verba mea et non custodierit, ego non judico eum* : *non* ENIM VENI *ut judicem mundum* » (12. 47)[2]. Ex eadem ratione negat « *suum esse dare* » ut quis sibi « *sedeat ad dexteram vel sinistram* » (Mt. 20. 23), etsi tamen, in die judicii, Filii hominis futurum sit oves statuere sibi a dextris (25. 33 sqq). Profitetur praeterea « *suam doctrinam non esse suam sed ejus qui se misit* » (*Jo.* 7. 16), se non loqui nisi quatenus et pro quanto ad loquendum missus est : « *Ego quae audivi ab eo, haec loquor in mundo... A me ipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, haec loquor* » (*Jo.* 8. 26 et 28). « *Verba quae loquor vobis, a me ipso non loquor* » (14. 10). « *Ex me ipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam et quid loquar... Quae ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater sic loquor* » (12. 49-50).

His enim prae mente habitis, jam non adeo arbitrarium est putare discipulos, qui professiones hujusmodi saepe audivissent, potuisse intelligere quo sensu Christus diceret Filium nescire : significabat simpliciter se non esse a Patre missum ut diem et horam manifestaret. Sicut non ejus est dare sedere ad dexteram vel ad sinistram, ita ejus non est docere « *tempora vel momenta quae Pater posuit in*

(1) « Numquid forte mendaciter eos voluit celare, quod utiliter non valuit innotescere ? Absit. Sicut nil ignorare poterat, cum sapientia sit, sic nec mentiri, cum veritas sit » (*Tract. de grad. humilitatis.* 3, 10 PL 182. 947 A). Ipse putat eum dixisse se nescire, quia nondum « ullis carnis suae sensibus experiendo agnoverat » (*Ibid*).

(2) Legas de his et similibus quae habet S. AUGUSTINUS : *De Trinit.* I. 12-13. (PL. 42. 836-842).

sua potestate » (*Act.* 1. 7). Quae non habet docenda, ea, data missione sua, dicit esse sibi nescita [1].

N. B. Solutio valet [2], quocumque sensu « Filius » intellegatur apud *Mc.* 13. 32, id est, sive qua Deus, sive qua homo est. Utroque enim sensu dici potest a Patre missus, proindeque mandatum habere ut alia doceat et alia taceat. Potius tamen intellegitur de Filio, qua homo est, nam hoc praecise sensu Dei legatus est [3].

ARTICULUS III

DE CHRISTI IMPECCABILITATE

Tres quaestiones : 1° de impeccantia, utrum de facto Christus ullo modo ipse peccaverit ; 2° de impeccabilitate, utrum, quo sensu et cur repugnet a priori Christum unquam peccasse ; 3° de immunitate a fomite, utrum adfuerit Christo incitamentum intrinsecum ad peccatum.

THESIS XXV. — Christus non tantum non peccavit, sed etiam, ratione unionis hypostaticae, absolute impeccabilis erat ; imo fomitem peccati, ne in actu quidem primo, habuit.

348. I. **Impeccantia** (III, q. 15, a. 1).

1° Christum non peccasse unquam *de fide catholica est*, ut constat tum florentino *decreto pro Jacobitis* (D-B. 711 ; C. 789) tum *professione fidei concilii Toletani* undecimi (D-B. 286 ; C. 733), et ut

(1) Solet apud Patres hoc loco conferri dictum S. Pauli : « *Non judicavi me scire aliquid inter vos nisi Jesum Christum* » (1 *Cor.* 2. 2).

(2) Solutio ea est quam, inter alias, proposuit S. Augustinus : « Quia D. n. J. C. magister nobis missus est, etiam Filium hominis dixit nescire illum diem, quia in magisterio ejus non erat ut per eum sciretur a nobis » (*In ps.* 36.1 PL. 36. 355). Propugnatur, inter alios, a Maldonat, Lagrange : *Évang. selon saint Marc*, p. 327 ; Lebreton, *loc. cit.* p. 544 ; Huby : *Évang. selon S. Marc*, p. 316.

(3) De la Taille (*Myst. fidei, eluc.* 14, s. 2, p. 171 et *elucid.* 41, p. 519) suggerit Christum, qua hominem, ignorasse quatenus diem judicii, etsi scientia beata noverat, tamen nesciebat scientia conceptuali, v. gr. infusa, cujus solius ope potuisset illum manifestare hominibus. At suggestio difficultatem linquit intactam, qui et quare Christus, etsi scientia sua conceptuali tam multa, etiam de futuro judicio, noverit, quae manifestavit hominibus, ejusdem tamen judicii eadem illa scientia nesciverit diem et horam.

implicat tum definitio concilii oecumenici VI de constanti subjectione voluntatis humanae ad divinam (D-B. 291 ; C. 743), tum S. Cyrilli anathematismus 10[us] de non offerendo sacrificio pro seipso, cum peccatum ipse nesciverit (D-B. 122).

2° *Scriptura* idem aperte testatur : « *Quis ex vobis arguet me de peccato... Venit princeps hujus mundi, et in me non habet quidquam* » (*Jo.* 8.46 et 14.30). « *Talis decebat ut nobis esset pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus* »... (*Hebr.* 7. 26).

3° *Traditio de hoc absolute unanimis est.* Patres enim uno ore affirmant eum fuisse omni peccato extraneum, tum quia Deus est, tum quia a peccato liberare venit [1]. Nec dissensere unquam ulli haeretici [2]. Hodierni imo acatholici perfectionem Christi moralem habent ut qua quam maxime transcendat omnem humanam et creatam naturam.

4° *Ratio* non erat ulla Christo assumendi peccatum, nam : a) peccatum « nihil operatur ad satisfactionem ; quinimo virtutem satisfactionis impedit » ; b) non ex peccato « demonstratur veritas humanae naturae, quia peccatum non pertinet ad humanam naturam » ; c) « peccatum » contra « contrariatum » esset tum virtutis exemplis ab ipso dandis, tum muneri suo judicandi peccatores. — Peccatum praeterea originale non erat cur Christus contraxisset, cum humanam naturam non accepisset active et in Adam fuisset tantummodo secundum materiam ex qua, agente Spiritu Sancto, acceptum est corpus ejus. — Ceterae rationes convenientiae exponentur in secunda thesis parte.

5° *Nec obstat* quod « *cum, qui non noverat peccatum,* |*Deus*| *pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso* » (2. *Cor.* 5. 21), nam : — A) Non ex propria voluntate sed ex Dei consilio Christus dicitur esse factus « peccatum » : ergo non agitur ibi de personali peccato. — B) Parallelismus inter duo sententiae membra ostendit unionem seu solidaritatem Christi nobiscum esse rationem cur dicatur factus peccatum : nam nostra cum eo unio ratio est cur dicamur effecti justitia Dei. — C) Quo vero sensu intellegatur hoc loco « peccatum » controvertitur : — a) Repugnat intellegi « peccatorem », nam hoc excluditur scopo intento. — b) Multi, post S. Augustinum, intellexere de « sacrificio pro peccato » : ita v. gr. conci-

(1) Cf. v. gr. S. Hilar. : *de Trinitate,* 10.25 ; S. Augusi. : *cont. serm. Arian.* 7 (P.L. 10.365 et 42.688) ; S. Cyrill. Alex. : *cont. Antropomorph.* 23 (P.G. 76. 1120.

(2) Nestorius, contra quod saepe asseritur, non affirmavit de Christo, sicut et Mopsuestanus, nisi fomitem et profectum in virtutibus (Cf. Jugie : *La controverse nestorienne,* p. 105-106). Calvinus peccato illum dixit indutum esse non personali sed nostro, quod adeo fecerit suum ut damnatorum poenam in se luerit atque se a Deo derelictum et maledictum persenserit (*Instit. chrét. l.* II, *ch.* 16, nn. 16 ; 10-11, et 13 ; éd. Baumgartner, p. 234 ; 236-238).

lium Toletanum XI (D-B. 286) : sed hoc excluditur oppositione instituta inter voces « peccatum » et « justitia ». — c) Propterea placet altera interpretatio S. Thomae (ad 4^m) et recentioribus in genere probata : fecit eum unum ex peccatoribus, seu habentem similitudinem carnis peccati, juxta *Rom.* 8. 3, ut nos efficeremur habentes justitiam (Cf. PRAT, II[6], p. 244-245).

II. Impeccabilitas absoluta, ratione unionis hypostaticae.

349. PRAENOTANDA. Duo sunt in hac parte consideranda : factum et ratio facti.

A) **Quoad factum,** vix est ullus inter catholicos dissensus. Güntherus quidem impeccabilitatem proprie dictam non admisit sed tantummodo impeccantiam, ita ut impeccabilitas affirmari de Christo non potuisset nisi *consequens :* Christus ideo tantum dici potuisset impeccabilis, quia praevidebatur a Deo non peccaturus. Impeccabilitatem econtra *antecedentem* admittunt omnes catholici, hoc sensu quod Christi is erat *status* ut, antecedenter ad exercitium libertatis ejus, excluderetur eum peccaturum esse.

Et haec pars assertionis habetur ut *theologice certa,* imo forte ut fidei proxima, propter argumentationem concilii oecumenici VI[1] contra Monotheletas.

B) **Quoad rationem facti,** dissensus est inter scholam scotisticam et alias.

a) *Scotistae* enim repetunt impeccabilitatem Christi ex sola Providentia extrinseca, qua Deus tuetur omnes eos qui visione beatifica fruuntur. Radix proinde impeccabilitatis non sit Christo intrinseca, non sit unio hypostatica ratione sui, sed visio beatifica, imo neque illa visio ex sua intrinseca natura, sed potius status beatificus, in quo Deus « praevenit voluntatem ut semper continuet actum fruendi, et ita nunquam possit potentiam suam remotam non fruendi vel peccandi reducere ad actum » [1].

b) *Communiter* econtra ceteri theologi tenent rationem ultimam seu radicalem impeccabilitatis esse unionem ipsam hypostaticam, quatenus absolute repugnat naturam unitam Verbo infici ulla peccati labe. Non eo ipso affirmant eam seipsa formaliter et immediate praecludere

(1) SCOTUS : *in* 4, *dist.* 49, q. 6, n° 11. Quae habet ibi de beatis in genere, eadem vult intellegi de Christo, *in* 3, *dist.* 2, q. 1, n° 12 et *dist.* 12, q. *un.*, n° 3, ad 2^m. Cf. de MONTEFORTINO : *Scoti summa theol.* III, q. 15, post *art.* 1 ; KRISPER : *Tract.* 5, *dist.* 2, q. 4, n° 9 et *tract.* 8, *dist.* 6, q. 2, n° 10. — Haec doctrina, cum sit Scoti, ex declaratione S. Congr. jussu Pauli V edita, non potest notari censura theologica (Cf. VIVA : *de Trinitate, disp.* 5, q. 6, n° 6).

peccato accessum : admittunt econtra impeccantiam procurari immediate vel visione beatifica vel plenitudine gratiae quae fuit in Christo ; at tenent unionem absolute et ratione sui exigere ut his aut aliis donis natura assumpta servetur immunis a peccato. — Quo sensu thesis propugnatur ut *certa*.

350. Probatur. — 1° **Traditione.** Christus adeo censetur esse, ratione unionis, nulli peccato obnoxius ut, contra quod putabant Apollinaristae et Monothelitae, nullum adsit duarum voluntatum oppositionis peccaminosae periculum. Ita, in specie, concilium oecum. VI^m^ argumentatur. Ideo duae voluntates non sunt contrariae et humana sequitur non resistens aut reluctans sed potius subjecta divinae, quia « oportebat carnis voluntatem moveri, subici vero voluntati divinae ». Ratio vero cur hoc « oportebat » ducitur tota ex eo quod « naturalis carnis voluntas propria Dei Verbi dicitur et est » (D-B. 291 ; C. 743).

351. 2° **Ratione.** Quia, si peccatum humanitas assumpta contraheret : — A) *Verbum ipsum,* ratione communicationis idiomatum, dici deberet peccasse, esse peccator : quod et offendit aures et praeterea conferret ipsi peccato dignitatem personae divinae ; approbatio proinde et dignificatio illius hoc esset. — B) Imo *ipsa natura divina Verbi* peccaret, cum, etsi posset ac deberet, non contineret in officio voluntatem naturae assumptae, quam habet sibi unitam et plene subordinatam. Quo magis enim una persona aliquem appetitum habet suum et sibi subordinatum, eo magis ad ipsam pertinet appetitum hujusmodi, pro posse, conservare ordinatum. Jamvero appetitum rationalem humanae naturae Verbum, habet plene suum et eum sua divina voluntate et omnipotentia plene regere potest. Ergo Verbum, si permitteret suam voluntatem humanam ullatenus deflectere a bono, eo ipso deprehenderetur sua divina voluntate et omnipotentia indulgere peccato (Cf. Suarez : *Disp.* 33, s. 2).

Nec dicas argumentum nimis probare, quasi ex eo sequatur Deum peccare quoties homines, cum possit, non impedit peccare, nam disparitas est maxima : homines enim cum Deo non sunt una persona ; hominum Deus est gubernator universalis, at singulas eorum voluntates non habet suas sed econtra sibi alienas. Verbum autem voluntatem naturae assumptae haud minus habet suam quam singuli homines utrumque suum appetitum, rationabilem et sensibilem. Verbum igitur, si voluntatem suam humanam permitteret peccare, haud minus formaliter peccaret ac homo qui appetitum suum sensibilem, cum cohibere possit, permittat concupiscere inordinate.

C) *Humana natura,* quae, ratione unionis, est subtantialiter sancta proindeque Deo necessario amabilis, fieret tamen simul, ratione peccati, Deo odibilis : quod intrinsece repugnat.

DICES : Naturam divinam non afficit mors et passio naturae humanae ; eam igitur haud magis afficiat peccatum ejusdem naturae ; haud magis enim repugnat dicere : Verbum peccat, quam dicere : Verbum patitur aut moritur.

RESPONDEO. Actus peccaminosus sane, *entitate sua physica,* haud magis afficiat naturam divinam quam ipsa mors et passio. At disparitas est in utriusque *entitate morali.* Mors enim, ut est actus humanus, id est a voluntate humana acceptata, potest esse moraliter bona, proindeque naturam divinam, qua talis, non dedecere, quippe quae ab ea intendatur ut ordinata ad finem bonum, in casu, ad salutem generis humani. Peccatum vero, ratione sui, est moraliter malum, proindeque repugnat intendi a natura divina ut medium ullius boni assequendi.

Ceterum disparitas est etiam in hoc quod mors et passio utiles esse poterant ad salutem generis humani ; econtra vero peccatum, proindeque absque ulla ratione assumeretur a Verbo incarnato.

352. COROLLARIA. — 1° Ex dictis, unio est vera et ultima radix impeccabilitatis, quatenus formaliter sanctificat naturam assumptam : eo enim ipso formaliter et ex se excludit *praesentiam maculae* moralis, quacum est incompossibilis. *Actum* vero *peccaminosum* non excludit *executive* per se ipsam, quippe quae non sit ipsa principium operandi, bene vero *exigitive,* quatenus exigit visionem aut gratias, quibus efficaciter praecludatur peccatum. — 2° Solus Christus est ab *intrinseco* et *constitutive* impeccabilis. Constitutio ejus physica exigit excludi peccatum, eoque sensu impeccabilitas ejus dici potest *physica* ; bene vero dicatur etiam *moralis,* quatenus ex hac constitutione est necessitas moralis ut non permittatur in Christo peccatum. — 3° Nulla etiam admitti potest in Christo *imperfectio positiva,* quia dedecet personam, quae possit eam impedire, et cui suppetant semper gratiae efficaces ad procurandam continuam suae humanae voluntatis cum divina conformitatem.

III. **Immunitas a fomite peccati** (q. 15, a. 2).

353. PRAENOTANDA. — 1° **Fomes peccati** in genere dici posset appetitus sensibilis, quatenus ex eo oriuntur motus inordinati seu qui praeveniant et pervertant ordinem rationalem proindeque incitent ad peccandum ; hoc sensu fomes diceretur adesse homini in statu etiam naturae purae. *In lingua tamen theologica,* fomes peccati significat appetitum sensibilem et motus ejus, non simpliciter qua sunt inordina-

ti, sed *praecise et formaliter quatenus inordinati sunt consequenter ad peccatum primi parentis*. Inordinatio enim hujusmodi apud Adamum praepediebatur donis praeternaturalibus, quibus jam natura humana privata est. Historice igitur a peccato est quod appetitus sensibilis inordinate moveatur et inducat ad peccandum, ideoque deordinatio hujusmodi jam non est homini simpliciter naturalis, sed tum in tendentia tum in origine sua peccaminosa est [1].

2° **Fomes in actu 1°** est ipse appetitus sensibilis expeditus et quasi proxime dispositus ad habendum motum rationi difformem. — **Fomes in actu 2°** est ipse motus actu inordinatus.

Qua occasione, n. b. non omnem motum appetitus sensibilis esse inordinatum; multi econtra sunt de se rationi conformes nec ulli evadunt inordinati nisi quatenus voluntati contradicunt aut impedimento sunt in exequendo ordine rationali. Quotquot igitur motus oriuntur sub et cum approbatione aut imperio legitimo voluntatis, ii jam non sunt inordinati nec proinde fomitem arguunt. — Quod tibi non excidat memoria, ubi de passionibus animi apud Christum agatur.

3° **Fomitem ligari est sopiri :** per Providentiam scilicet externam procuratur ne in appetitu sensibili exsurgant motus rationi difformes, sive removendo objecta incentiva, sive conferendo auxilia transeuntia.

Fomitem extingui est extingui eam inclinationem, qua est a peccato et ad peccatum, seu appetitum sensitivum et in genere vires animae ita habitualiter instructas et dispositas esse ut, ne praesente quidem objecto incentivo, vires inferiores moveantur sine arbitrio rationis [2].

4° Hinc apparet **quid sit dicere Christum immunem a fomite.**

A) Non est dicere eum caruisse appetitu sensitivo : — haud magis eo carebat Adamus aut carent beati ; — aut eum appetitum non elicuisse eos actus sibi connaturales, quos Christi voluntas rationalis vel actu permittebat, vel semel pro semper ut rationi conformes permiserat.

(1) Cf. Suarez : *disp.* 34, s. 2 ; *de myst. vitae Chr., disp.* 4, s. 5 ; Gonet : *disp.* 20, a. 2, § 1.

(2) Hoc modo S. Thomas admisit fomitem *sublatum* esse in Maria inde a conceptione Filii sui (III, q. 27, a. 3 c et a. 4, ad 1^m) : quod dicit fuisse in ea consummatam gratiam, qua confirmata sit in bono (*ibid.*, a. 5, ad 2^m) et « praestitum sit ut nullus motus posset esse in sensualitate ejus nisi ratione praeventus » (a. 4, ad 1^m), seu « praestitum [ei fuerit], ex abundantia gratiae descendentis in ipsam, ut talis esset dispositio virium animae in ipsa quod inferiores vires nunquam moverentur sine arbitrio rationis » (a. 3 c). Antea non fuerit nisi *ligatus*. *(Ibid.)*

B) Sed hoc est dicere : a) **in actu** 2°, eum de facto non expertum esse unquam, voluntate sua nolente, motiones ullas actuales contra ordinem sibi servandum ; eas proinde motiones, quae objective erant contra voluntatem Dei, v. gr. praecipientis mortem, non fuisse in eo nisi quia ipse voluit eas experiri tum ad poenam, tum quia naturales homini ; — b) **in actu** 1°, eum ita intrinsece constitutum esse, seu ea plenitudine gratiae et donorum habitualiter ornatum esse, ut appetitus ejus sensitivus non posset unquam praevertere rationis arbitrium. Aliis verbis, eum vi constitutionis suae instructum esse iis saltem donis praeternaturalibus, quibus apud Adamum praecavebatur habitualiter inordinatio appetitus sensibilis.

5° **Nota theseos :** A) Immunitas *in actu 2°*, seu fomitem esse saltem in Christo ligatum, *de fide* catholica est, ex concilio Cpl^ano II° (œcum. v.) contra Theodorum Mopsuestanum et Nestorium, qui admisere « Christum a passionibus animae et desideriis carnis molestias patientem » (D-B. 224 ; C 716) [1].

B) Immunitas *in actu 1°*, seu fomitem esse extinctum, est saltem *certum*.

354. Probatur. — 1° **Immunitas in actu 2°.**

A) *Traditio* factum adstruit, ut constat tum praefata concilii definitione, tum dictis Patrum, v. gr. S. Basilii : « Liquet Dominum naturales quidem affectus suscepisse ad confirmationem verae nec phantasticae incarnationis, vitiosos vero affectus, qui nostrae vitae puritatem coinquinant, ut intaminata divinitate indignos, rejecisse. Eam ob causam dictum est factum eum fuisse *in similitudine carnis peccati ;* non utique in similitudine carnis, sed in similitudine carnis peccati. Quare carnem nostram una cum naturalibus ipsius affectibus assumpsit, *peccatum* vero *non fecit* »[2].

S. Gregorii Nysseni : « Non erubescit Scriptura omnia de eo narrare quae sunt naturae nostrae propria, esum, potum... omnia per quae naturae nostrae character exprimitur, excepta propensione ad peccatum (πλὴν τῆς καθ' ἁμαρτίαν ὁρμῆς). Peccatum enim aberratio a natura est, non ejus proprietas... Is igitur... debilitatem voluntati ex peccato inhaerentem non suscepit... Hoc autem... extemplo cum conceptus est homo... Id quod ea ratione compactum est tabernaculum humanae conceptionis nihil attraxit, sed sicut erat in prima constitutione » [3].

(1) De Nestorio, cf. opus ejus posthumum : *Le livre d'Héraclide, ed.* Nau p. 59-60.
(2) *Epist.* 261. 3 (PG 32. 972 B)
(3) *Epist.* 3 (PG 46. 1022 A-C).

3° Distingui solet libertas, quae dicitur — a) *contradictionis,* id est, qua eligi possit inter actum et non actum, v. gr. inter amare et non amare ; — b) *specificationis,* qua eligi possit inter actus specie diversos, v. gr. inter legere et scribere ; — c) *contrarietatis,* qua eligi possit inter actus contrarie oppositos, v. gr. inter bonum et malum, inter praecepto obedire vel non obedire.

In hac thesi, non agitur de triplici hac libertate ; Christo non vindicatur interim nisi libertas tum contradictionis tum specificationis, qua possit eligere inter bona aequalis bonitatis objectivae.

4° Omnes, qui admittunt humanam Christi voluntatem, fatentur etiam libertatem a coactione ; sed non minus certa est libertas a necessitate, contra Jansenistas. Isti enim, cum putarent « ad merendum et demerendum, [saltem] in statu naturae lapsae, non requiri in homine libertatem a necessitate, sed sufficere libertatem a coactione » (*Prop.* 3ª Jansenii, D-B. 1094), jam poterant negare in Christo libertatem a necessitate. Utraque est *de fide,* ex evidenti doctrina Scripturae et traditionis.

360. Probatur : 1°. **Scriptura,** nam Christus dicitur sponte egisse, elegisse unum, cum posset aliud eligere ; egisse aut passus esse cum potuisset abstinere ab hujusmodi actione aut passione : « *ambulabat Jesus in Galilaeam ; non enim volebat in Judaeam ambulare, quia quaerebant eum Judaei interficere* » (*Joan.* 7. 1). « *Volo, mundare* », ait leproso (*Mt.* 8. 3). « *Cum gustasset* [*acetum*], *noluit bibere* » *Mt.* 27. 34). « *Ego,* ait apud *Jo.* 10. 17-18, *ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me ; sed ego pono eam a meipso, et potestatem habeo ponendi eam,* et *potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi a Patre meo* » : quo affirmat se esse liberum circa ipsam mortem etiam in sensu composito praecepti a Patre accepti. Pariter : « *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones angelorum ?* » (*Mt.* 26. 53).

361. 2°. **Traditione.** Pro Patribus omnibus sit S. Joannes Damascenus : In suo *De fide orthodoxa,* l. III, capp. XIII et XIV integra habet « de Domini nostri Jesu Christi voluntatibus et libertatibus ».

Posito principio Christum esse, sicut perfecte Deum, ita et perfecte hominem, affirmat eum habere « duas voluntates naturales..., duas operationes naturales..., duas libertates naturales, divinam et humanam » (cp. XIII. PG 94. 1034 A). Postea probat Christo inesse libertatem et voluntatem ex eo quod habeat vitam intellectivam. « Nam praeter divinam, tres sunt vitae

species, vegetans, senticns, ac intelligens. Vegetantis vero peculiaris est motus ille nutriendi, augescendi et generandi ; sentientis motus impulsionis (ἡ καθ'ὁρμὴν κίνησις), rationis et intelligentis motus liber (ἡ αὐτεξούσιος)... Naturaliter proinde rationali et intelligenti [vitae] adest motus liberi arbitrii (ἡ αὐτεξούσιος [κίνησις]). Arbitrii porro libertas (αὐτεξουσιότης) nihil aliud est quam voluntas. Unde cum Verbum caro animata et intelligentia arbitriique libertate praedita factum sit, volendi quoque facultate instructum existit » (1038 B).

Ex eo etiam quod factus est obediens probat Christum habuisse voluntatem (θέλημα), qua homo, nam « Patri factus est obediens, non quatenus Deus, sed quatenus homo ». Porro voluntatem, quam sic ei vindicat, pronuntiat esse liberam : « Cum voluntatem naturalem pronuntiamus, non eam necessitate obstrictam, sed liberam dicimus. Nam, quia rationem comitatur, utique et libera est » (Φυσικὸν δὲ τὸ θέλημα λέγοντες, οὐκ ἀναγκασμένον τοῦτό φαμεν, ἀλλ' αὐτεξούσιον· εἰ γὰρ λογικόν, πάντως καὶ αὐτεξούσιον. (1042 B). Ideo tandem dicit eam fuisse Verbo assumendam, quia secus visus esset eam nolle sanare : « Si naturae libertatem (ἡ αὐτεξούσιος τῆς φύσεως δύναμις) ipse condidit, hanc autem non assumpsit, aut igitur opificium suum velut non bonum reprobavit, aut ejus sanationem nobis invidit, sicque nos plena perfectaque curatione privavit » (1042 D-1044 A) [1].

362. 3°. **Ratione** : A) **Probatur factum** ex eo quod Christus meruit. *De fide* est Christum meruisse : cf. v. gr. assertiones concilii Tridentini de nostra per meritum Christi justificatione (D. B. 790 et 799). Atqui ad meritum requiritur libertas etiam a necessitate. Hoc jam S. Thomas dicebat esse tum philosophice certum tum theologice de fide. Haec enim habet in suo *De malo* (q. 6, a. un. c, initio) contra

(1) Addit quidem paulo infra (1044 C-1046 A). « sententiam et electionem (γνώμην καὶ προαίρεσιν) non posse in Domino dici, si proprie loqui studeamus ». Sed ex ipsa quam apponit explicatione apparet intellexisse his verbis, non ipsum liberi arbitrii motum, sed eam electionem, qualis fit apud homines lapsos, nempe « post ignotae rei investigationem et deliberationem » et cum variis in utramque parte motibus involuntariis. Dominus enim, « cum purus homo non esset... omniaque perspecta haberet, nec consideratione, nec inquisitione, nec deliberatione egebat ». Homo praeterea ex peccato habet ut « virtus ei jam non sit ad naturam » nec eam colere queat nisi « asceseos laboribus » ; Christus econtra ita comparatus erat ut « naturali quadam necessitudine bono adhaereret et a malo averteretur »... « non more nostro ex investigatione et deliberatione praevia, sed ut qui..., eo ipso quod erat omniaque norat, suapte natura bonum habebat ». Uno verbo, docet Damascenus Christum caruisse ea ignorantia ac voluntatis debilitate, qua homo lapsus laborat ac retardatur ab eligendo bono. Hoc autem est quod diximus, in Christo extinctum esse fomitem peccati.

eos qui velint voluntatem hominis non cogi quidem ab extrinseco sed moveri ex necessitate, cujus principium sit intrinsecum : « Haec « opinio est *haeretica :* tollit enim rationem meriti et demeriti in humanis « actibus. Non enim videtur esse meritorium quod aliquis sic ex necessitate « agit quod vitare non possit. Est etiam annumeranda inter extraneas philo- « sophiae opiniones : quia non solum contrariatur fidei, sed subvertit omnia « principia philosophiae moralis ».

Postea S. Pius V damnarit 39^um^ propositionem Baii : « Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit » (D-B. 1039).

Damnata tandem est « *ut haeretica* » 3^a^ propositio Jansenii : « Ad merendum et demerendum, in statu naturae lapsae, non requiritur in homine libertas a necessitate sed sufficit libertas a coactione » (D-B. 1094). *De fide* proinde est, saltem in statu naturae lapsae — etiam sub auxilio gratiae efficacis : nam ex mente Jansenii (*prop.* 2^a^), gratia efficax est, quae tollat libertatem a necessitate — ad meritum requiri libertatem a necessitate. A fortiori hoc verum est in statu naturae integrae, qualis erat Christi status.

B) **Ratio historica facti.** a) Christus assumpsit totam naturam humanam ad eam totam sanandam. Atqui libertas integrat naturam humanam et ea est quae quam maxime sanatione indigebat. Ergo assumpsit etiam libertatem. — b) Christus habuit omnes naturae humanae perfectiones non incompossibiles cum fine Incarnationis. Atqui libertas, non tantum non erat incompossibilis cum fine Incarnationis, sed etiam necessaria erat ad finem, qui importabat obsequium et satisfactionem Deo praestandam atque merita acquirenda.

C) **Ratio psychologica facti.** Voluntas necessitari nequit bonis finitis non necessario connexis cum fine ultimo, seu cum assecutione aut fruitione summi boni : in bonis enim hujusmodi apprehendi semper potest aliqua ratio mali, ex cujus consideratione voluntas se possit ab eis avertere. Jamvero Christo occurrebant multa hujusmodi bona. Ergo saltem erga hujusmodi bona Christus erat liber.

363. Dices: A) S.Thomas (*Sent.* 3, *dist.* 18, q. 1, *a.* 2, *ad* 5^m^) permittit dici libertatem a necessitate non requiri ut quis sit « dominus sui actus » seu liber. Postquam enim dixit Christi liberum arbitrium determinatum esse non ad unum numero, sed ad unum generice bonum, ita ut posset hoc vel illud eligere bonum, addit : « Vel dicendum, quod, si etiam esset determinatum ad unum numero, sicut ad diligendum Deum (quod non facere non potest) tamen ex hoc non amittit libertatem aut rationem laudis sive meriti, quia *in illud non coacte sed sponte* tendit ; et ita est actus sui dominus ».

— **Respondeo.** S. Thomas hoc ultimum responsum non servavit in *Summa theolog.* (III. q. 18, a. 4, ad 3[m]), ubi eamdem objectionem solvit. In suo *De malo* (*loc. cit.*) explicite reprobat libertatem a coactione sufficere ad rationem libertatis et meriti. Ergo vel abjecit postea quod prius senserat possibile, vel eam solutionem in *Comment. Sent.* non refert nisi ut opinionem, quam, propter auctoritatem extrinsecam, nolit praeterire quidem at non faciat suam. (Cf. *de verit.*, q. 29, a. 6, ad 1[m]).

B) Omniscientia Christi de futuris contingentibus officit ejus libertati. Christus enim scientia beata, imo et scientia infusa, praesciebat infallibiliter quidquid ipse electurus erat. Jamvero, qui infallibiliter se scit aliquid electurum, hoc necessario eligit. Ergo Christus necessario eligebat quidquid eligebat. — **Respondeo :** Nego antecedens. Praescientia enim actuum sibi ponendorum non officiebat Christi libertati, quia illa praescientia jam supponebat eos futuros esse liberos ; eos actus cognoscebat ut a suo arbitrio pendentes. Praesciebantur quia futuri erant ; non futuri erant quia praesciebantur. Praevisio erat consequens, non antecedens, ad eorum futuritionem. Imo, si haec scientia destruxisset libertatem, destruxisset seipsam, destruendo nempe seu mutando suum objectum : praevidebat enim eos libere futuros et, ex objectione, fecisset eos necessario futuros. Sane, in sensu composito, cum praescientia actus futuri non poterat componi illius actus omissio ; sed illa impossibilitas fundabatur, non in ipsa scientia, sed in ipso illius scientiae objecto : sensus scilicet compositus oriebatur ab ipsa Christi libera voluntate. Ideo enim praeexistebat electioni nunc ponendae scientia ex tunc habita de ejus futura positione, quia de facto futura erat ex tunc talis electio. Praescientia ergo pendet a futuro libertatis exercitio ; nam, si Christus nunc vellet aliud eligere, illud aliud praescivisset [1].

364. Corollarium. *De libera Christi morte.* — Ex dictis sequitur Christum fuisse liberum in omnibus actibus quibus constet eum meruisse. Cum ergo inter omnes ejus actus constet eum fuisse meri-

(1) Unde et in forma : Christus praesciebat infallibiliter, *dist.* majorem : infallibilitate fundata in aliquo influente et necessitante futuram electionem, *nego ;* infallibil. fundata in ipsa futura electione, *conc.* Ad minorem, *contradist* : Qui infallibiliter se scit aliquid electurum infallibilitate fundata in aliquo influente et necessitante futuram electionem, is necessario eligit, *conc ;* infallibilitate fundata in ipsa futura electione, is necessario eligit, *subdist :* necessario necessitate orta ex praevisionis infallibilitate, *nego ;* necessitate orta ex ipsius electionis futuritione, *concedo.* Uno verbo : infallibiliter certum est electionem fore ; non fiet necessario electio quia infallibiliter certum est eam fore. (Cf. : *de verit,* q. 2, a. 12 ; Suarez : *de Incarnat. disp.* XXXVII, s. 5).

S. Leonis Magni : « Sensus corporei vigebant sine lege peccati, et veritas affectionum sub moderamine deitatis et mentis, nec tentabatur illecebris, nec cedebat injuriis » [1].

Quae consonant tum dicto S. Augustini : « Quisquis credit carnem Christi contra spiritum concupisse, anathema sit » [2], tum doctrinae S. Cyrilli expositae supra n. 119, 2°.

B) *Ratio* ostendit facti convenientiam summam. Actualis enim motio ad peccatum, quae praeverteret rationis arbitrium, dedeceret : — a) assistentiam a Verbo debitam humanitati suae ; — b) sanctitatem summam Christi ; — c) superioritatem ejus prae Adamo et beatis, qui carent hujusmodi motibus ; — d) immunitatem praesertim perfectam a peccato originali. Fomes enim non est in natura humana nisi consequenter ad peccatum originale, proindeque, ubi non fuit ullo modo peccatum originale, non poterat quidquam de illo manere.

355. 2° **Immunitas in actu 1°.**

A) *Hoc implicatur textibus citatis Patrum* : a) quatenus unio cum divinitate dicitur esse causa cur assumpta fuerit natura non vitiata et cum sola similitudine carnis peccati ; — b) quatenus peccatum negatur esse proprietas naturae proptereaque non esse assumptum, natura vero dicitur assumpta qualis erat in prima constitutione, sine illa debilitate, quae voluntati proveniat ex peccato ; — c) quatenus a concilio œcumenico VI, contra Monothelitas, unio hypostatica dicitur se ipsa praecludere periculum omnis dissensus voluntatum in Christo. (D-B 291 ; C. 743). Hoc enim supponit unionem, ratione sui, saltem exigere ut nullus in Christo motus appetitivae partis praevertat arbitrium rationis. Jamvero, ubi ex intrinsecis seu ex ipsa entis constitutione præcluditur dissensus hujusmodi, ibi fomes non tantum ligari sed etiam exstingui dicitur.

B) *Idem deducitur ex natura fomitis in actu 1°.* Nam :

a) Appetitus proxime dispositus ad motus inordinatos naturae humanae non inest nisi ex influxu peccati originalis ; ubi igitur nullus est influxus hujus peccati, ibi appetitus inordinatus adesse nequeat nisi ex libera et speciali illius susceptione. Jamvero, ex dictis, in Christo : α) nullus fuit nec esse potuit influxus peccati originalis ; — β) nulla erat ratio cur, hoc non obstante, assumeretur haec sequela peccati, siquidem sola ratio assumendi alias sequelas peccati, quod

(1) Ad Julian. episc. Coensem *epist.* 35 (PL 54. 1087).

(2) *Op. imperf. cont. Jul.* IV. 47 (PL 45. 1366) et cf. *De corrept. et gr.* 11, 30 (PL 44. 934-935). — Item S. Gregor. Magn. *in evang. hom.* I. 16 (PL 76. 1135).

non contraxit, fuit earum necessitas aut utilitas ad munus suum Redemptoris. Haec autem sequela non tantum inutilis sed etiam nociva fuisset ad hujusmodi munus, siquidem iste defectus non tantum « non est ordinabilis ad satisfactionem sed potius [dispositio esset] ad contrarium satisfactionis » (a. 2 c)[1].

b) Repugnat novum Adam destitutum esse illa rectitudine qua, in primo Adam, « ratio subdebatur Deo, rationi vero inferiores vires et animae corpus » (I, q. 95, a. 1) : secus enim non fuisset in eo restituta justitia originalis. Jamvero illa rectitudine caruisset, si appetitus ejus sensibilis seu vires ejus inferiores fuissent proxime dispositae ad motus inordinatos eliciendos, quod est fomes in actu 1° ; in statu enim justitiae originalis, vires illae donis præternaturalibus praepediebantur ab hujusmodi propensionibus. Ergo, in novo Adam, iisdem aut aliis donis pariter praepediri debuerunt, seu non manere proxime dispositae ad praevertendum arbitrium rationis.

356. Dices : Inter fomitem et gratiam non est formalis oppositio aut repugnatia, nam secus qui fuerunt egregie sancti fomitem non sensissent, quod tamen falsum est. Ergo, non obstante plenitudine gratiae suae, Christus potuit aliquatenus saltem, v. gr. in actu 1°, habere fomitem.

Respondeo : Etsi non sit inter gratiam et fomitem ea repugnantia et oppositio ut una destruat alterum, tamen pro augmento gratiae constat fomitem diminui et minus efficaciter inclinare ad peccandum. Notum in specie est primum hominem, etsi non habebat plenitudinem gratiae Christi, tamen fuisse fomitis expertem ; a fortiori ergo Christus, apud quem erat non tantum justitia originalis sed etiam summa plenitudo gratiae.

357. Corollaria : — 1°. **Fomes extinctus est ab initio,** siquidem extinctus est ratione ipsius unionis.

(1) Hinc apparet cur potuerit assumi mortalitas, non potuerit fomes. Utrique sane commune est quod sit de se naturalis homini et historice sit a peccato seu sequela et poena peccati. At disparitas est in hoc quod mortalitas non dicit de se ullam moralem deordinationem seu nullam tendentiam ad peccatum, et praeterea ordinabilis est ad munus Redemptoris.

Dices : Fomes fuisset Christo materia seu occasio meritorum ; in eo praeterea continendo Christus fuisset nobis exemplo salutari. Ergo fomes utilis seu ordinabilis fuisset ad salutem nostram. — Respondeo : A) Cum S. Thoma, in quaestione simili (III, q. 27, a. 3, ad 2^{m}), quod « non oportet [in Christo] ponere omnem occasionem » meriti. — B) Item de exemplo : non est cur Christus dederit omnimoda exempla. Praeterea repugnantias appetitus sensitivi voluntarie passus est non paucas et parvas, ita ut in eis debellandis miro nobis fuerit exemplo.

2°. **Christi appetitus nunquam motus est absque voluntatis consensu.** « In homine Jesu Christo, nullus erat motus sensitivae partis, qui non esset ordinatus a ratione » (q. 19, a. 2 c). Quo non supponitur potentias sensitivas non prodiisse in actum suum connaturalem nisi ex imperio aut consensu voluntatis toties iterando. Nam, ut ait Damascenus, « beneplacito divinae voluntatis carni Christi permittebatur agere et pati quae propria » (*De fide*, III. 15).

« Et hoc modo caro Christi, concupiscentia appetitus sensitivi, naturaliter appetebat escam, et potum, et somnum, et alia quae secundum rectam rationem appetuntur » (q. 15, a. 2, ad 2[m]). Et tamen istae « etiam operationes naturales aliqualiter ad ejus voluntatem [humanam] pertinebant, in quantum voluntatis ejus [etiam humanae — conformiter ad divinam —] erat ut caro ejus ageret et pateretur quae sunt sibi propria » (q. 19, a. 2 c).

3°. **Non potuit Christus tentari ab intrinseco :** « Qui in utero virginis incarnatus in mumdum sine peccato venerat, nihil contradictionis in semet-ipso tolerabat. Tentari ergo per suggestionem potuit, sed ejus mentem delectatio non momordit ; atque ideo omnis diabolica illa tentatio foris, non intus, fuit » (S. Greg. M. *In Evang.* l. I, *hom.* 16, 1 PL 76. 1135).

Quod tamen non intellegas nisi de tentatione formali, id est, de motu in vetitum, qui fuerit praeter ejus voluntatem rationalem ; nam, divina ejus ac humana voluntate probante, motus angoris, tristitiae, pavoris expertus est, qui erant materialiter contra mortem obeundam, ita ut, ex iis quae passus est, didicerit et ipse quam dura sit humanae naturae obedientia.

Neque in contrarium facit quod « *pontifex* » noster dicatur ideo « *posse compati infirmitatibus nostris* » quia sit « *tentatus* (πεπειρασμένον) *per omnia pro similitudine absque peccato* » (*Hebr.* 4. 15), nam hoc loco, ut patet ex collatis locis parallelis, agitur non de tentatione formali intrinseca, sed de poenis, morte haud excepta, quas Christus expertus est, ut « *pro omnibus gustaret mortem.. per passionem consummaretur,.. per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium.. et liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti* ». (*Hebr.* 2. 9-10 et 14-15). Ea enim causa est cur voluerit et ipse « carni et sanguini participare » (2. 14) ; cur « *debuerit per omnia fratribus similari... In eo enim in quo passus est ipse et tentatus* (πειρασθείς), *potens est et eis qui tentatur* (πειραζομένοις) *auxiliari* » (*ibid.* 17-18). « *Ex eis* [enim] *quae passus est, didicit obedientiam*, et *consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae* » (5. 8-9). — Sensus igitur generalis est : Habemus pontificem, qui, ad nostram salutem, voluit omnia vitae mala experiri, quin tamen assimilatio produceretur usque ad peccatum.

B) Sed hoc est dicere : a) **in actu** 2°, eum de facto non expertum esse unquam, voluntate sua nolente, motiones ullas actuales contra ordinem sibi servandum ; eas proinde motiones, quae objective erant contra voluntatem Dei, v. gr. praecipientis mortem, non fuisse in eo nisi quia ipse voluit eas experiri tum ad poenam, tum quia naturales homini ; — b) **in actu** 1°, eum ita intrinsece constitutum esse, seu ea plenitudine gratiae et donorum habitualiter ornatum esse, ut appetitus ejus sensitivus non posset unquam praevertere rationis arbitrium. Aliis verbis, eum vi constitutionis suae instructum esse iis saltem donis praeternaturalibus, quibus apud Adamum praecavebatur habitualiter inordinatio appetitus sensibilis.

5° **Nota theseos** : A) Immunitas *in actu 2°*, seu fomitem esse saltem in Christo ligatum, *de fide* catholica est, ex concilio Cpl^ano II° (œcum. v.) contra Theodorum Mopsuestanum et Nestorium, qui admisere « Christum a passionibus animae et desideriis carnis molestias patientem » (D-B. 224 ; C 716) [1].

B) Immunitas *in actu 1°*, seu fomitem esse extinctum, est saltem *certum*.

354. Probatur. — 1° **Immunitas in actu 2°.**

A) *Traditio* factum adstruit, ut constat tum praefata concilii definitione, tum dictis Patrum, v. gr. S. Basilii : « Liquet Dominum naturales quidem affectus suscepisse ad confirmationem verae nec phantasticae incarnationis, vitiosos vero affectus, qui nostrae vitae puritatem coinquinant, ut intaminata divinitate indignos, rejecisse. Eam ob causam dictum est factum eum fuisse *in similitudine carnis peccati ;* non utique in similitudine carnis, sed in similitudine carnis peccati. Quare carnem nostram una cum naturalibus ipsius affectibus assumpsit, *peccatum* vero *non fecit* »[2].

S. Gregorii Nysseni : « Non erubescit Scriptura omnia de eo narrare quae sunt naturae nostrae propria, esum, potum... omnia per quae naturae nostrae character exprimitur, excepta propensione ad peccatum (πλὴν τῆς καθ' ἁμαρτίαν ὁρμῆς). Peccatum enim aberratio a natura est, non ejus proprietas... Is igitur... debilitatem voluntati ex peccato inhaerentem non suscepit... Hoc autem... extemplo cum conceptus est homo... Id quod ea ratione compactum est tabernaculum humanae conceptionis nihil attraxit, sed sicut erat in prima constitutione » [3].

(1) De Nestorio, cf. opus ejus posthumum : *Le livre d'Héraclide, ed.* Nau p. 59 60.
(2) *Epist.* 261. 3 (PG 32. 972 B)
(3) *Epist.* 3 (PG 46. 1022 A-C).

3° Distingui solet libertas, quae dicitur — a) *contradictionis,* id est, qua eligi possit inter actum et non actum, v. gr. inter amare et non amare ; — b) *specificationis,* qua eligi possit inter actus specie diversos, v. gr. inter legere et scribere ; — c) *contrarietatis,* qua eligi possit inter actus contrarie oppositos, v. gr. inter bonum et malum, inter praecepto obedire vel non obedire.

In hac thesi, non agitur de triplici hac libertate ; Christo non vindicatur interim nisi libertas tum contradictionis tum specificationis, qua possit eligere inter bona aequalis bonitatis objectivae.

4° Omnes, qui admittunt humanam Christi voluntatem, fatentur etiam libertatem a coactione ; sed non minus certa est libertas a necessitate, contra Jansenistas. Isti enim, cum putarent « ad merendum et demerendum, [saltem] in statu naturae lapsae, non requiri in homine libertatem a necessitate, sed sufficere libertatem a coactione » (*Prop.* 3ª Jansenii, D-B. 1094), jam poterant negare in Christo libertatem a necessitate. Utraque est *de fide,* ex evidenti doctrina Scripturae et traditionis.

360. Probatur : 1°. **Scriptura,** nam Christus dicitur sponte egisse, elegisse unum, cum posset aliud eligere ; egisse aut passus esse cum potuisset abstinere ab hujusmodi actione aut passione : « *ambulabat Jesus in Galilaeam ; non enim volebat in Judaeam ambulare, quia quaerebant eum Judaei interficere* » (*Joan.* 7. 1). « *Volo, mundare* », ait leproso (*Mt.* 8. 3). « *Cum gustasset* [*acetum*], *noluit bibere* » *Mt.* 27. 34). « *Ego,* ait apud *Jo.* 10. 17-18, *ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me ; sed ego pono eam a meipso, et potestatem habeo ponendi eam,* et *potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi a Patre meo* » : quo affirmat se esse liberum circa ipsam mortem etiam in sensu composito praecepti a Patre accepti. Pariter : « *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones angelorum ?* » (*Mt.* 26. 53).

361. 2°. **Traditione.** Pro Patribus omnibus sit S. Joannes Damascenus : In suo *De fide orthodoxa,* l. III, capp. XIII et XIV integra habet « de Domini nostri Jesu Christi voluntatibus et libertatibus ».

Posito principio Christum esse, sicut perfecte Deum, ita et perfecte hominem, affirmat eum habere « duas voluntates naturales..., duas operationes naturales..., duas libertates naturales, divinam et humanam » (cp. XIII. PG 94. 1034 A). Postea probat Christo inesse libertatem et voluntatem ex eo quod habeat vitam intellectivam. « Nam praeter divinam, tres sunt vitae

species, vegetans, sentiens, ac intelligens. Vegetantis vero peculiaris est motus ille nutriendi, augescendi et generandi ; sentientis motus impulsionis (ἡ καθ'ὁρμὴν κίνησις), rationis et intelligentis motus liber (ἡ αὐτεξούσιος)... Naturaliter proinde rationali et intelligenti [vitae] adest motus liberi arbitrii (ἡ αὐτεξούσιος [κίνησις]). Arbitrii porro libertas (αὐτεξουσιότης) nihil aliud est quam voluntas. Unde cum Verbum caro animata et intelligentia arbitriique libertate praedita factum sit, volendi quoque facultate instructum existit » (1038 B).

Ex eo etiam quod factus est obediens probat Christum habuisse voluntatem (θέλημα), qua homo, nam « Patri factus est obediens, non quatenus Deus, sed quatenus homo ». Porro voluntatem, quam sic ei vindicat, pronuntiat esse liberam : « Cum voluntatem naturalem pronuntiamus, non eam necessitate obstrictam, sed liberam dicimus. Nam, quia rationem comitatur, utique et libera est » (Φυσικὸν δὲ τὸ θέλημα λέγοντες, οὐκ ἀναγκασμένον τοῦτό φαμεν, ἀλλ' αὐτεξούσιον· εἰ γὰρ λογικόν, πάντως καὶ αὐτεξούσιον. (1042 B). Ideo tandem dicit eam fuisse Verbo assumendam, quia secus visus esset eam nolle sanare : « Si naturae libertatem (ἡ αὐτεξούσιος τῆς φύσεως δύναμις) ipse condidit, hanc autem non assumpsit, aut igitur opificium suum velut non bonum reprobavit, aut ejus sanationem nobis invidit, sicque nos plena perfectaque curatione privavit » (1042 D-1044 A) [1].

362. 3°. **Ratione** : A) **Probatur factum** ex eo quod Christus meruit. *De fide* est Christum meruisse : cf. v. gr. assertiones concilii Tridentini de nostra per meritum Christi justificatione (D. B. 790 et 799). Atqui ad meritum requiritur libertas etiam a necessitate. Hoc jam S. Thomas dicebat esse tum philosophice certum tum theologice de fide. Haec enim habet in suo *De malo* (q. 6, a. un. c, initio) contra

(1) Addit quidem paulo infra (1044 C-1046 A). « sententiam et electionem (γνώμην καὶ προαίρεσιν) non posse in Domino dici, si proprie loqui studeamus ». Sed ex ipsa quam apponit explicatione apparet intellexisse his verbis, non ipsum liberi arbitrii motum, sed eam electionem, qualis fit apud homines lapsos, nempe « post ignotae rei investigationem et deliberationem » et cum variis in utramque parte motibus involuntariis. Dominus enim, « cum purus homo non esset... omniaque perspecta haberet, nec consideratione, nec inquisitione, nec deliberatione egebat ». Homo praeterea ex peccato habet ut « virtus ei jam non sit ad naturam » nec eam colere queat nisi « asceseos laboribus » ; Christus econtra ita comparatus erat ut « naturali quadam necessitudine bono adhaereret et a malo averteretur »... « non more nostro ex investigatione et deliberatione praevia, sed ut qui..., eo ipso quod erat omniaque norat, suapte natura bonum habebat ». Uno verbo, docet Damascenus Christum caruisse ea ignorantia ac voluntatis debilitate, qua homo lapsus laborat ac retardatur ab eligendo bono. Hoc autem est quod diximus, in Christo extinctum esse fomitem peccati.

eos qui velint voluntatem hominis non cogi quidem ab extrinseco sed moveri ex necessitate, cujus principium sit intrinsecum: « Haec « opinio est *haeretica:* tollit enim rationem meriti et demeriti in humanis « actibus. Non enim videtur esse meritorium quod aliquis sic ex necessitate « agit quod vitare non possit. Est etiam annumeranda inter extraneas philo- « sophiae opiniones: quia non solum contrariatur fidei, sed subvertit omnia « principia philosophiae moralis ».

Postea S. Pius V damnarit 39^{am} propositionem Baii : « Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit » (D-B. 1039).

Damnata tandem est « *ut haeretica* » 3^{a} propositio Jansenii : « Ad merendum et demerendum, in statu naturae lapsae, non requiritur in homine libertas a necessitate sed sufficit libertas a coactione » (D-B. 1094). *De fide* proinde est, saltem in statu naturae lapsae — etiam sub auxilio gratiae efficacis : nam ex mente Jansenii (*prop.* 2^{a}), gratia efficax est, quae tollat libertatem a necessitate — ad meritum requiri libertatem a necessitate. A fortiori hoc verum est in statu naturae integrae, qualis erat Christi status.

B) **Ratio historica facti.** a) Christus assumpsit totam naturam humanam ad eam totam sanandam. Atqui libertas integrat naturam humanam et ea est quae quam maxime sanatione indigebat. Ergo assumpsit etiam libertatem. — b) Christus habuit omnes naturae humanae perfectiones non incompossibiles cum fine Incarnationis. Atqui libertas, non tantum non erat incompossibilis cum fine Incarnationis, sed etiam necessaria erat ad finem, qui importabat obsequium et satisfactionem Deo praestandam atque merita acquirenda.

C) **Ratio psychologica facti.** Voluntas necessitari nequit bonis finitis non necessario connexis cum fine ultimo, seu cum assecutione aut fruitione summi boni : in bonis enim hujusmodi apprehendi semper potest aliqua ratio mali, ex cujus consideratione voluntas se possit ab eis avertere. Jamvero Christo occurrebant multa hujusmodi bona. Ergo saltem erga hujusmodi bona Christus erat liber.

363. Dices: A) S.Thomas (*Sent.* 3, *dist.* 18, q. 1, *a.* 2, *ad* 5^{m}) permittit dici libertatem a necessitate non requiri ut quis sit « dominus sui actus » seu liber. Postquam enim dixit Christi liberum arbitrium determinatum esse non ad unum numero, sed ad unum generice bonum, ita ut posset hoc vel illud eligere bonum, addit : « Vel dicendum, quod, si etiam esset determinatum ad unum numero, sicut ad diligendum Deum (quod non facere non potest) tamen ex hoc non amittit libertatem aut rationem laudis sive meriti, quia *in illud non coacte sed sponte* tendit ; et ita est actus sui dominus ».

— **Respondeo.** S. Thomas hoc ultimum responsum non servavit in *Summa theolog.* (III. q. 18, a. 4, ad 3[m]), ubi eamdem objectionem solvit. In suo *De malo* (*loc. cit.*) explicite reprobat libertatem a coactione sufficere ad rationem libertatis et meriti. Ergo vel abjecit postea quod prius senserat possibile, vel eam solutionem in *Comment. Sent.* non refert nisi ut opinionem, quam, propter auctoritatem extrinsecam, nolit praeterire quidem at non faciat suam. (Cf. *de verit.*, q. 29, a. 6, ad 1[m]).

B) Omniscientia Christi de futuris contingentibus officit ejus libertati. Christus enim scientia beata, imo et scientia infusa, praesciebat infallibiliter quidquid ipse electurus erat. Jamvero, qui infallibiliter se scit aliquid electurum, hoc necessario eligit. Ergo Christus necessario eligebat quidquid eligebat. — **Respondeo :** Nego antecedens. Praescientia enim actuum sibi ponendorum non officiebat Christi libertati, quia illa praescientia jam supponebat eos futuros esse liberos ; eos actus cognoscebat ut a suo arbitrio pendentes. Praesciebantur quia futuri erant ; non futuri erant quia praesciebantur. Praevisio erat consequens, non antecedens, ad eorum futuritionem. Imo, si haec scientia destruxisset libertatem, destruxisset seipsam, destruendo nempe seu mutando suum objectum : praevidebat enim eos libere futuros et, ex objectione, fecisset eos necessario futuros. Sane, in sensu composito, cum praescientia actus futuri non poterat componi illius actus omissio ; sed illa impossibilitas fundabatur, non in ipsa scientia, sed in ipso illius scientiae objecto : sensus scilicet compositus oriebatur ab ipsa Christi libera voluntate. Ideo enim praeexistebat electioni nunc ponendae scientia ex tunc habita de ejus futura positione, quia de facto futura erat ex tunc talis electio. Praescientia ergo pendet a futuro libertatis exercitio ; nam, si Christus nunc vellet aliud eligere, illud aliud praescivisset [1].

364. Corollarium. *De libera Christi morte.* - Ex dictis sequitur Christum fuisse liberum in omnibus actibus quibus constet eum meruisse. Cum ergo inter omnes ejus actus constet eum fuisse meri-

(1) Unde et in forma : Christus praesciebat infallibiliter, *dist.* majorem : infallibilitate fundata in aliquo influente et necessitante futuram electionem, *nego ;* infallibil. fundata in ipsa futura electione, *conc.* Ad minorem, *contradist* : Qui infallibiliter se scit aliquid electurum infallibilitate fundata in aliquo influente et necessitante futuram electionem, is necessario eligit, *conc ;* infallibilitate fundata in ipsa futura electione, is necessario eligit, *subdist :* necessario necessitate orta ex praevisionis infallibilitate, *nego ;* necessitate orta ex ipsius electionis futuritione, *concedo.* Uno verbo : infallibiliter certum est electionem fore ; non fiet necessario electio quia infallibiliter certum est eam fore. (Cf. : *de verit,* q. 2, a. 12 ; Suarez : *de Incarnat. disp.* XXXVII, s. 5).

S. Leonis Magni : « Sensus corporei vigebant sine lege peccati, et veritas affectionum sub moderamine deitatis et mentis, nec tentabatur illecebris, nec cedebat injuriis » [1].

Quae consonant tum dicto S. Augustini : « Quisquis credit carnem Christi contra spiritum concupisse, anathema sit » [2], tum doctrinae S. Cyrilli expositae supra n. 119, 2°.

B) *Ratio* ostendit facti convenientiam summam. Actualis enim motio ad peccatum, quae praeverteret rationis arbitrium, dedeceret : — a) assistentiam a Verbo debitam humanitati suae ; — b) sanctitatem summam Christi ; — c) superioritatem ejus prae Adamo et beatis, qui carent hujusmodi motibus ; — d) immunitatem praesertim perfectam a peccato originali. Fomes enim non est in natura humana nisi consequenter ad peccatum originale, proindeque, ubi non fuit ullo modo peccatum originale, non poterat quidquam de illo manere.

355. 2° **Immunitas in actu 1°.**

A) *Hoc implicatur textibus citatis Patrum* : a) quatenus unio cum divinitate dicitur esse causa cur assumpta fuerit natura non vitiata et cum sola similitudine carnis peccati ; — b) quatenus peccatum negatur esse proprietas naturae proptereaque non esse assumptum, natura vero dicitur assumpta qualis erat in prima constitutione, sine illa debilitate, quae voluntati proveniat ex peccato ; — c) quatenus a concilio œcumenico VI, contra Monothelitas, unio hypostatica dicitur se ipsa praecludere periculum omnis dissensus voluntatum in Christo. (D-B 291 ; C. 743). Hoc enim supponit unionem, ratione sui, saltem exigere ut nullus in Christo motus appetitivae partis praevertat arbitrium rationis. Jamvero, ubi ex intrinsecis seu ex ipsa entis constitutione præcluditur dissensus hujusmodi, ibi fomes non tantum ligari sed etiam exstingui dicitur.

B) *Idem deducitur ex natura fomitis in actu 1°.* Nam :

a) Appetitus proxime dispositus ad motus inordinatos naturae humanae non inest nisi ex influxu peccati originalis ; ubi igitur nullus est influxus hujus peccati, ibi appetitus inordinatus adesse nequeat nisi ex libera et speciali illius susceptione. Jamvero, ex dictis, in Christo : α) nullus fuit nec esse potuit influxus peccati originalis ; — β) nulla erat ratio cur, hoc non obstante, assumeretur haec sequela peccati, siquidem sola ratio assumendi alias sequelas peccati, quod

(1) Ad Julian. episc. Coensem *epist.* 35 (PL 54. 1087).

(2) *Op. imperf. cont. Jul.* IV. 47 (PL 45. 1366) et cf. *De corrept. et gr.* 11, 30 (PL 44. 934-935). — Item S. Gregor. Magn. *in evang. hom.* I. 16 (PL 76. 1135).

non contraxit, fuit earum necessitas aut utilitas ad munus suum Redemptoris. Haec autem sequela non tantum inutilis sed etiam nociva fuisset ad hujusmodi munus, siquidem iste defectus non tantum « non est ordinabilis ad satisfactionem sed potius [dispositio esset] ad contrarium satisfactionis » (a. 2 c)[1].

b) Repugnat novum Adam destitutum esse illa rectitudine qua, in primo Adam, « ratio subdebatur Deo, rationi vero inferiores vires et animae corpus » (I, q. 95, a. 1) : secus enim non fuisset in eo restituta justitia originalis. Jamvero illa rectitudine caruisset, si appetitus ejus sensibilis seu vires ejus inferiores fuissent proxime dispositae ad motus inordinatos eliciendos, quod est fomes in actu 1° ; in statu enim justitiae originalis, vires illae donis præternaturalibus praepediebantur ab hujusmodi propensionibus. Ergo, in novo Adam, iisdem aut aliis donis pariter praepediri debuerunt, seu non manere proxime dispositae ad praevertendum arbitrium rationis.

356. Dices : Inter fomitem et gratiam non est formalis oppositio aut repugnatia, nam secus qui fuerunt egregie sancti fomitem non sensissent, quod tamen falsum est. Ergo, non obstante plenitudine gratiae suae, Christus potuit aliquatenus saltem, v. gr. in actu 1°, habere fomitem.

Respondeo : Etsi non sit inter gratiam et fomitem ea repugnantia et oppositio ut una destruat alterum, tamen pro augmento gratiae constat fomitem diminui et minus efficaciter inclinare ad peccandum. Notum in specie est primum hominem, etsi non habebat plenitudinem gratiae Christi, tamen fuisse fomitis expertem ; a fortiori ergo Christus, apud quem erat non tantum justitia originalis sed etiam summa plenitudo gratiae.

357. Corollaria : — 1°. **Fomes extinctus est ab initio,** siquidem extinctus est ratione ipsius unionis.

(1) Hinc apparet cur potuerit assumi mortalitas, non potuerit fomes. Utrique sane commune est quod sit de se naturalis homini et historice sit a peccato seu sequela et poena peccati. At disparitas est in hoc quod mortalitas non dicit de se ullam moralem deordinationem seu nullam tendentiam ad peccatum, et praeterea ordinabilis est ad munus Redemptoris.

Dices : Fomes fuisset Christo materia seu occasio meritorum ; in eo praeterea continendo Christus fuisset nobis exemplo salutari. Ergo fomes utilis seu ordinabilis fuisset ad salutem nostram. — Respondeo : A) Cum S. Thoma, in quaestione simili (III, q. 27, a. 3, ad 2[m]), quod « non oportet [in Christo] ponere omnem occasionem » meriti. — B) Item de exemplo : non est cur Christus dederit omnimoda exempla. Praeterea repugnantias appetitus sensitivi voluntarie passus est non paucas et parvas, ita ut in eis debellandis miro nobis fuerit exemplo.

2°. **Christi appetitus nunquam motus est absque voluntatis consensu.** « In homine Jesu Christo, nullus erat motus sensitivae partis, qui non esset ordinatus a ratione » (q. 19, a. 2 c). Quo non supponitur potentias sensitivas non prodiisse in actum suum connaturalem nisi ex imperio aut consensu voluntatis toties iterando. Nam, ut ait Damascenus, « beneplacito divinae voluntatis carni Christi permittebatur agere et pati quae propria » (*De fide,* III. 15).

« Et hoc modo caro Christi, concupiscentia appetitus sensitivi, naturaliter appetebat escam, et potum, et somnum, et alia quae secundum rectam rationem appetuntur » (q. 15, a. 2, ad 2^{m}). Et tamen istae « etiam operationes naturales aliqualiter ad ejus voluntatem [humanam] pertinebant, in quantum voluntatis ejus [etiam humanae — conformiter ad divinam —] erat ut caro ejus ageret et pateretur quae sunt sibi propria » (q. 19, a. 2 c).

3°. **Non potuit Christus tentari ab intrinseco :** « Qui in utero virginis incarnatus in mumdum sine peccato venerat, nihil contradictionis in semetipso tolerabat. Tentari ergo per suggestionem potuit, sed ejus mentem delectatio non momordit ; atque ideo omnis diabolica illa tentatio foris, non intus, fuit » (S. Greg. M. *In Evang.* l. I, *hom.* 16, 1 PL 76. 1135).

Quod tamen non intellegas nisi de tentatione formali, id est, de motu in vetitum, qui fuerit praeter ejus voluntatem rationalem ; nam, divina ejus ac humana voluntate probante, motus angoris, tristitiae, pavoris expertus est, qui erant materialiter contra mortem obeundam, ita ut, ex iis quae passus est, didicerit et ipse quam dura sit humanae naturae obedientia.

Neque in contrarium facit quod « *pontifex* » noster dicatur ideo « *posse compati infirmitatibus nostris* » quia sit « *tentatus* (πεπειρασμένον) *per omnia pro similitudine absque peccato* » (*Hebr.* 4. 15), nam hoc loco, ut patet ex collatis locis parallelis, agitur non de tentatione formali intrinseca, sed de poenis, morte haud excepta, quas Christus expertus est, ut « *pro omnibus gustaret mortem.. per passionem consummaretur,.. per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium.. et liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti* ». (*Hebr.* 2. 9-10 et 14-15). Ea enim causa est cur voluerit et ipse « carni et sanguini participare » (2. 14) ; cur « *debuerit per omnia fratribus similari... In eo enim in quo passus est ipse et tentatus* (πειρασθείς), *potens est et eis qui tentatur* (πειραζομένοις) *auxiliari* » (*ibid.* 17-18). « *Ex eis* [enim] *quae passus est, didicit obedientiam,* et *consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae* » (5. 8-9). — Sensus igitur generalis est : Habemus pontificem, qui, ad nostram salutem, voluit omnia vitae mala experiri, quin tamen assimilatio produceretur usque ad peccatum.

ARTICULUS IV

DE CHRISTI LIBERTATE

358. Cum de fide sit in Christo fuisse naturam hominis completam imo et voluntatem humanam, videretur sequi omnino necessario hanc ejus voluntatem fuisse liberam. At, cum ex una parte haec humana voluntas non fuerit *autonoma,* quippe quae fuerit non sua sed alterius ; ex alia vero parte difficile concipiatur adesse libertas ubi non est personalitas nec proinde responsabilitas personalis ; aliis verbis, cum humana Christi voluntas adeo divinae subsit ut ab ea in nullo deflectere possit, seu Christus ita sit *impeccabilis* ut imperfectionem etiam positivam omnino excludat, ratio est quaerendi num, etiam in sensu composito hujusmodi unionis, subjectionis et impeccabilitatis, haec humana voluntas permanserit psychologice libera, — et quousque seu circa quid libera, — et, si etiam in rebus praeceptis, quomodo hoc compossibile sit cum Christi impeccabilitate ac statu beatifico.

Hinc duo paragraphi : 1° De existentia. 2° De amplitudine illius libertatis.

§ 1 DE EXISTENTIA LIBERTATIS IN CHRISTO

THESIS XXVI – **Humana Christi voluntas libera fuit** (III, q. 18, a. 4 et q. 19, a. 3 ; *de veritate,* q. 29, a. 6).

359. Praenotanda. 1°. Non agitur de libertate seu de immunitate a servitute seu dependentia morali erga Deum. Christum enim fuisse *Deo subditum, de fide* est et explicatur apud S. Thomam, III, q. 20 ; nam jura et officia, etsi sunt personae, tamen personae non competunt nisi ratione naturae ; cum Christus ergo habuerit naturam Deo subditam, vere fuit Deo subditus ; imo et *sibi ipsi,* qua est unum cum Patre, Filius Dei, qua est homo, subditus erat.

2° Agitur autem de libertate seu de immunitate tum *a coactione externa* tum *a necessitate interna*, id est, a necessitate, quae oriretur ex intrinsece praerequisitis ad elicitionem actus voluntatis. Priore tantum beati gaudent, qui Deum clare visum amant sine coactione seu spontaneo motu, at necessario tamen, quippe qui oriatur ex summi boni in se apprehensi invincibili appetitione. Libertas ergo seu immunitas a necessitate interna dicit potentiam, quae, positis omnibus ad agendum praerequisitis, potest agere vel non agere, agere hoc vel illud.

aut improprie dictum ; altera est eorum qui putant Christi etiam statum beatificum conciliari cum libera etiam rigorosi cujuslibet praecepti observatione, ideoque admittunt indifferentiam voluntatis ejus activam mansisse integram etiam sub praecepto, quod putant adfuisse, proprie dicto adeundi mortem.

Hinc thesis, in cujus priori parte sententiae prioris speciei exponuntur et judicantur, in altera ea propugnatur quae videtur probabilior.

THESIS XXVII — Cum impeccabilitate conciliatur libertas Christi viatoris circa actus praeceptos : — I° sive ex praecepti limitatione, quatenus vel 1) non attingebat determinate circumstantias morales actus, vel 2) erat dispensabile, vel 3) non erat rigorosum ; — II° sive 4) probabilius ex indifferentia principiorum agendi.

372. I. **Solutiones per limitationem aut mitigationem praecepti.**

N. B. Cum praecepta negativa non admittant hujusmodi limitationes aut mitigationes, solutiones istae non proponuntur nisi de praeceptis positivis. Quoad praecepta negativa, admittendum est, in hujusmodi opinionibus, Christum, si quibus subditus fuerit, non fuisse liberum.

373. 1ª Opinio — 1° **Exponitur.** Christi libertas ideo praeceptis positivis non ablata est, probabiliter, quia illa non determinasse videntur circumstantias morales actuum ; praeceptum v. gr. moriendi obligationem ei fecisset mortem subeundi, at non determinasset quo in tempore, quo suppliciorum genere aut acerbitate, quo ex motivo seu qua cum intensitate caritatis, etc. Christus proinde elegerit ipse libere circumstantias quas voluerit, et ita elicuerit actum in concreto liberum, licet per praeceptum necessitaretur ad actum in genere et in abstracto ; haud ita dissimiliter martyres, licet ex Dei decreto et ex intrinseca suae naturae conditione mori aliquando necesse habeant, tamen ideo libere et meritorie mortem obeunt, quia moriuntur cum possent necdum mori aut non eo mortis genere (Ita Vasquez : *Disp.* LXXIV. 5 ; Lessius : *de summo bono*, l. II, n° 185 ; Platel : *de Incarnatione*, n° 318-327 ; Franzelin : *de Verbo Incarnat.*, p. 450 sqq, eam exponit ut probabilem, quin eam propugnet).

2° **Judicatur.** — Hujus sententiae probabilitas minuitur quia, in eo etiam actu concreto, non praecise impletio praecepti libera videtur, sed tantum electio circumstantiae moralis non praecepta ; quoad ipsam substantiam mortis imperatae Christus admittitur non fuisse liber, nec proinde per eam meruisse, nec vere proinde, id est cum libertate,

obediens fuisse. Nec cum martyribus est paritas ; nam martyres, eo ipso momento quo mortem adeunt non habent ullum praeceptum moriendi eos necessitans, proindeque, eligendo mortem, eam libere et meritorie subeunt ; Christus econtra, ex hac opinione, quandocumque elegisset mori, elegisset mortem quam etiam tunc haberet ex necessitate et sine merito obeundam.

N. B. Ei econtra, qui putant Christum etiam sub praecepto rigoroso mansisse liberum, omnino possunt admittere praeceptum illud non fuisse de circumstantiis.

374. 2ª Opinio — 1° **Exponitur.** Inde etiam libertas repeti potest, in praeceptis positivis,— non in naturalibus,— praesertim in praecepto moriendi, quod Christus, ex Patris consensu, potuisset se praecepto subducere, scilicet, vel praecepti impositionem impedire (ut quidam censent), vel etiam non ponere circumstantias, in quibus solis obligare debebat, vel potius, ut proponit Lugo (XXVI. 8) cum aliis, revocationem obtinere, juxta id quod Christus insinuare videtur ubi ait S. Petro : « *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones angelorum ?* ». (*Mt.* 26. 53). Christus enim, aiunt, haud ita locutus fuisset, si putasset suam orationem non posse exaudiri ; hoc autem scivisset, si scivisset praeceptum moriendi esse irrevocabile.

2° **Judicatur.** — Ea sententia, quam tenet etiam Tournely. (*De Incarnat.* q. 11, a. 4), admittit ergo praeceptum mortis vel non fuisse absolutum, siquidem dispensabile, etsi rigorosum, vel non fuisse rigorosum et absolutum nisi consequenter ad liberam Christi acceptationem. Probabilis sane est extrinsece ; sed, si judicatur intrinsece, videtur arbitrarie nimis verbis Scripturae, de « mandato » accepto a Patre subeundi mortem, affingere sensum conditionatum ; Christus praeterea, in hac hypothesi, meruisset proprie non adeundo mortem sed potius non petendo dispensationem.

375. 3ª Opinio — 1° **Exponitur.** Probabile est praecepta illa positiva, in specie praeceptum moriendi, non fuisse rigorosum, ac proinde non intulisse necessitatem Christo [1]. Quod non eodem modo exponitur ab omnibus, sed, ex plurium mente, sic dici posse videtur :

(1) Haec sententia, quam Lugo (*disp.* XXVI. *s.* 8, *n°* 100 et 101) dicebat « singularem et contra communem sensum theologorum, qui dicunt Christum obligatum fuisse praecepto moriendi », facta est inter recentiores valde communis. Eam proponit Platel (n° 330) et tuentur ut probabiliorem, inter alios, Wirceburgenses (n° 412 sqq.) ; Petavius (IX. 8) ; Franzelin (p. 443-450) ; Stentrup, p. 1201 ; Jungmann (n° 315) ; Billot (thes. XXVIII et XXIX).

In praeceptis rigorosis, ut sunt naturalia negativa, Christus non habuit libertatem nisi quoad circumstantias, ut tenet sententia 1ª. Idem dicendum est de praeceptis positivis, si rigorosa sint quibus Christus subditus fuerit. At *praeceptum* positivum *moriendi* pro salute hominum *non fuit, quia non potuit esse, rigorosum*. Posito enim hujusmodi praecepto, jam non potuisset esse libera electio mortis, quam tamen scimus fuisse meritoriam ideoque liberam. Hoc tamen non obstante, Christum potuisse loqui de mandato moriendi accepto a Patre ac dici « obedientem usque ad mortem », ita explicatur :

Deus, ab aeterno, voluntate beneplaciti, absolute decreverat redemptionem non fieri nisi per liberam satisfactionem in morte crucis. Hoc autem beneplacitum Patris satis erat a Christo cognosci ut statim illud, ex amore Patris, libere eligeret adimplere. Jamvero, talis voluntas beneplaciti, etiam non intimata cum obligatione obediendi, vocari potest praeceptum seu mandatum, siquidem praeceptum solet non esse nisi signum beneplaciti superioris ac proinde adhiberi potest pro ipso beneplacito ; ita superior, cujus scitur voluntas esse ut chorus in coenobio frequentetur, dici potest subditis suis praecipere ut adsint choro. Ex alia parte, inferior qui, etiam non expectato praecepto, sponte adimplet beneplacitum quod scit esse superioris, dici potest ponere actum obedientiae, etiam perfectiorem, juxta ea quae habet S. Thomas in II. II, q. 104, a. 2 c : « Voluntas superioris, quocumque modo innotescat, est quoddam tacitum praeceptum, et tanto videtur obedientia promptior, quanto expressum praeceptum obediendo praevenit, voluntate superioris intellecta »

376. 2º **Probatur haec sententia.** — a) *Argumentum fundamentale* est quod, ea seclusa, videtur impossibilis conciliatio libertatis Christi in morte cum ejus impeccabilitate aut saltem cum statu beatifico[1].

b) *Difficultas*, quae contra fit ex impropria intellectione vocum Scripturae « *mandatum* », « *obediens* », solvitur per exempla quae sunt in ipsa Scriptura hujus impropriae intellectionis. — 2 *Reg.* 16. 10-11 v. gr. « Dominus dicitur *praecepisse Semei ut malediceret David* » fugienti, et David rogat suos eum dimittere « *ut maledicat juxta praeceptum Domini* ». Apud *Mt.* 19. 7-8, de libello repudii, quod Judaei dicunt esse a

(1) Hoc aperte fatetur Em. Billot : « Invincibiliter demonstratur nullam relinqui animae beatae libertatem circa ea quae, ratione praecepti vel naturalis vel positivi, citra aversionem a summo bono omitti nequeunt. Ergo, stante praecepto subeundi mortem, necessitatus fuisset Christus ad hoc ipsum, ac per consequens tolleretur meritum et satisfactio crucis. Restat ergo ut praeceptum ommino amoveatur ». (*Thes.* 29.. *Sed contra...*)

Moyse « *mandatum* » (ἐνετείλατο), Christus interpretatur id esse ab eodem « *permissum* » (ἐπέτρεψε). Apud *Mc.* autem (10. 3-4), eadem de re, Christue dicit ipse « *praecepit* ».

Sensum pariter improprium vocis « praeceptum » ii Patres admiserunt, qui, olim et in ipsa controversia contra Arianos, mandatum Patris intellexerunt datum Christo ut Filius est (Cf. Franzelin p. 445-446 et tractatus de Trinitate) : planum est enim eos inter personas divinas non admisisse intercedere praeceptum nisi sensu improprio, manifestationis scilicet voluntatis absolutae divinae. Nec magis exinde tollitur in Christo meritum et ratio obedientiae, nam D. Thomas, praeter ea quae jam exscripta sunt, de obedientia habet : « obedientia large accipitur pro executione cujuscumque quod potest cadere sub praecepto » (II. II, q. 104, a. 2, *ad* 1^{m} ; et *a.* 5, *ad* 3^{m}, addit « hoc pertinere ad cumulum perfectionis » quod « religiosi obedire voluerint etiam in iis », secundum quae praelatis suis non subduntur).

377. c) *Patres* eam sententiam suadere videntur, quatenus aiunt Christum non locutum esse de « mandato accepto a Patre suo » nisi ad significandam concordiam suae cum Patris voluntate, nec cuiquam sanae mentis in mentem venire posse eum expectasse « *mandatum a Patre* » ut eligeret « *animam suam ponere* » [1].

Ad verbum S. Anselmus eam sententiam proponit.

« Nec humana natura in isto homine passa est aliquid ulla necessitate, sed sola libera voluntate..., nec ulla cogente obedientia, sed potenti disponente sapientia. Non enim illi homini Pater ut moreretur cogendo praecepit ; sed ille, quod Patri placiturum et hominibus profuturum intellexit, hoc sponte fecit. Non enim ad hoc eum cogere potuit Pater, quod ab eo exigere non debuit ; nec Patri tantus honor potuit non placere, quem tam bona voluntate Filius sponte obtulit. Sic itaque Patri liberam obedientiam exhibuit, cum hoc, quod Patri placiturum scivit, sponte facere voluit » (*Medit.* XI, PL 158. 766).

378. d) S. Thomas favere videtur, quatenus : — α) admittit voluntatem Christi, « licet sit determinata ad unum secundum genus moris, scilicet ad bonum », non fuisse tamen determinatam ad hoc vel ad illud bonum [2]. Hoc enim significare videtur Christum libertatem non habuisse

(1) Ita in specie Chrysostomus *in Joan. hom.* LX. 2-3 et *hom.* LXXVI. 2 PG 59. 331 et 412, ubi addit Christum ideo tantum hoc humano modo locutum esse ut « auditorum imbellicitati » se accommodaret, nam « legislator praeceptis subditus esse non debebat ». Alios recitant Petavius et Franzelin, *loc. cit.*

(2) *De Verit.*, q. 29, a. 6, ad 1^{m} et III, q. 18, a. 4, ad 3^{m}.

torium, quo mortem obiit, omnino sequitur eum libere mortem obiisse. Hoc autem extra controversiam posito, prout vel negabitur eum mansisse liberum sub praecepto proprie dicto, vel constabit per Scripturam et traditionem praeceptum proprie dictum illi fuisse de obeunda morte, concludendum omnino erit eum vel non habuisse praeceptum moriendi proprie dictum, vel eum mansisse liberum etiam sub praecepto proprie dicto : quae sunt opiniones in sequenti thesi exponendae et judicandae.

365. Scholion. — **De libertate Christi quoad actus objective minus perfectos.** — Interim quaeri potest utrum Christus fuerit liber quoad actus nullo modo praeceptos sed inaequalis bonitatis objectivae : dato v. gr. nullum ei fuisse praeceptum de redemptione per mortem peragenda, ita ut penes eum solum fuisset electio alterutrius viae redemptionis, utrum libertatem psychologicam habuisset eligendi viam, quae fuisset cum gaudio et sine ulla confusione aut passione ; haec sane via, quamvis ratione personae redemptoris habuisset valorem subjectivum infinitum, tamen, attenta sola ratione operis praestiti, habuisset valorem objectivum minorem quam via redemptionis per crucem.

Quidam, testante Lugo (*Disp.* XXVI, s. X, n° 128), putarunt Christum in hac hypothesi necessitandum fuisse physice ad optimum. Quae sententia certo falsa est. — Altera est sententia, quam Lugo ipse (*ibid.* n° 131. 134) cum Viva (p. VI, d. 2, q. 3) et aliis propugnat, ex qua, data perfecta Dei visione et gratiis quibus potiebatur, Christus, etsi mansisset physice liber, tamen necessitatus fuisset moraliter ad optimum eligendum : propter maximam scilicet difficultatem, quae adfuisset ei eligendi minus bonum. Haec sententia non omni probabilitate caret.

Attamen tertia et communis est sententia Christum, in ea hypothesi, futurum fuisse liberum. Eam tenent, inter alios, Arriaga (*disp.* 43, s. 2) ; Mastrius (*disp.* 5, q. 4, a. 1) ; Wirceburgenses (*de incarnat.*, n° 408) ; Muncunill (*disp.* 13, n° 694-699). Eam ut probabiliorem probamus, licet non negemus Christum de facto, ex assistentia scilicet divina et auxiliis gratiae ei praestitis, elegisse semper actum perfectiorem.

366. Probatur haec 3ª sententia. — 1°. Negative. Necessitas eligendi perfectius venisset : A) vel ex perfectione Christi operantis, B) vel ex aliqua ejus obligatione erga Deum. Atqui : — A) *Non ex perfectione*, id est, neque ex unione et sanctitate infinita, neque ex visione intuitiva et perfecto amore Dei possessi : — a) *non ex unione,*

siquidem neque Deus necessitatur ad optimum. Ratio est a priori quia actus Dei et Christi sunt perfectissimi ex ipsa dignitate subjecti : haud minoris dignitatis est creatio muscae quam animae humanae ; — b) *non ex visione* aut amore fruitivo, siquidem Christus eligebat ut viator, sub luce scientiae infusae et naturalis, et sciebat praeterea actus suos quoslibet, ratione suae dignitatis subjectivae, esse moraliter perfectissimos ac Deo summae complacentiae et gloriae. — B) Neque *ex obligatione agendi semper modo perfectissimo,* quae non datur pro pura creatura, nec potest dari pro Christo saltem ex lege naturali, quia omnes ejus actus sunt Deo gloriae infinitae et aptissimi ad finem Christi attingendum ; aliunde gratis supponeretur hic speciale Dei praeceptum.

367. 2°. **Positive.** — A) Necessitas *physica* ad optimum nullam fere libertatem Christo relinqueret, cum nullus fere sit actus, quo objective melior non exsistat aut non sit possibilis. Necessitas autem *moralis* idem ferret incommodum. Vel enim sub hac posset sine *indecentia* eligere minus perfectum, et tunc quae esset ratio supponendi necessitatem moralem? vel non posset sive *indecentia*, et tunc necessitas adesset physica. — B) Id quod non confert ad majorem Dei gloriam aut ad majorem subjecti perfectionem moralem negligi potest sine imperfectione ulla positiva. Jamvero, cum opera Christi valorem suum habeant praesertim ex dignitate subjecti operantis, sive melius sive minus bonum eligat, nec suae sanctitati detrahit, nec ulli deest obligationi, nec gloriam minuit Deo debitam.

Magna enim est inter eum et ceteros justos differentia ; siquidem. — a) actus meri hominis valorem suum habet magnum ex objecto et ex modo agendi ; quare is Deo gratior et perfectior qui, ceteris paribus, elicit actus objective perfectiores ; — b) homo purus, negligendo aliquam perfectionem sibi possibilem et oblatam, imminuit gratias sibi a Deo paratas et fit proinde minus aptus ad officium suum fungendum. Christus econtra, etiam in actu minoris perfectionis objectivae, maneret Deo gratissimus, debitam sibi haberet assistentiam specialem, vi cujus posset perfecte adimplere munus suum. Sic, inter homines, obsequium aut servitium praestitum a filio aut a servo placet regi, ex parte servi, pro valore objectivo operis praestiti, ex parte filii, pro eo praesertim quod est a filio, nec pater filium habet gratum, remunerat aut tuetur ac adjuvat pro mensura objectiva servitiorum ab eo acceptorum, sed pro eo quod sibi filius est.

§ 2. DE AMPLITUDINE LIBERTATIS

seu

DE LIBERTATE CONTRARIETATIS IN CHRISTO

308. Quo sensu quaestio ponatur. — Libertas contrarietatis dicitur, quae est inter bonum et malum, inter obedire v. gr. et non obedire Deo vere praecipienti. Eam Christo adfuisse non est a priori necessarium nec exigitur ab ejus libertatis perfectione. Defectibilitas enim non est de essentia libertatis, ut constat per Deum, qui eo magis est liber quo minus potest velle malum [1]. Sed cum Christus ex Scriptura videatur saltem « *habuisse mandatum* » a Deo moriendi, ita ut fieret « *usque ad mortem crucis obediens* », et cum, ex jam dictis, certissimum sit eum libere, utpote meritorie, mortuum esse, quaestio eludi nequit utrum mandatum re vera habuerit moriendi proprie dictum, ideoque, si respondeatur affirmative, utrum et quomodo potuerit esse liber sub hujusmodi praecepto. In quo, etsi non agetur explicite nisi de praecepto moriendi, tamen eo ipso quaestio solvetur etiam de omnibus praeceptis, quibus ex aliquo capite Christus subditus fuerit.

369. Undenam difficultas. — De omnibus praeceptis difficultas est ex duplici capite : ex impeccabilitate, quam diximus Christo intrinsecam et absolutam, et ex statu beatifico in quo versatus est.

Ex impeccabilitate difficultas non est adeo magna. Attentis enim eis quae dicta sunt de effectu formali et immediato unionis hypostaticae quoad impeccabilitatem : — etsi formaliter et per se excludit maculam, tamen non per se immediate excludit actum peccaminosum seu procurat impeccantiam. Cf. supra n° 349 ; — solvitur apud varias theologorum scholas pro earum systemate de concilianda hominis libertate cum ejus a Deo omnipotente regimine et motu.

Ex statu autem **beatifico** difficultas tanta est ut non defuerint theologi qui propterea negarent Christo adfuisse vel visionem beatificam (v. gr. inter recentiores, Schell : *Kathol. Dogmatik,* t. III, p. 158), vel mandatum moriendi proprie dictum (ita permulti, inter recentiores praesertim, theologi). Communis enim est opinio impeccabilitatem Christi oriri formaliter, non tantum ex unione hypostatica, sed etiam ex visione beatifica. Hoc autem posito, vix intellegitur, si modo intellegitur, quomodo potuerit Christo

(1) S. Augustinus : *Enchirid. fid.* cp. 104 et 105 ; *de Civitate Dei,* l. XXII, cp. XXX. 3 ; *de praedestin. sanct.* XV. 30.

manere libertas psychologica eligendi inobedientiam ulli praecepto, seu illud meritorie adimplendi. Si ea fuit Christi comprehensoris conditio, quae est beatorum in genere, ut ferretur ejus voluntas invincibiliter non tantum in summum bonum intuitive visum sed etiam in omne praeceptum quod, perciperet cum ejus possessione et conservatione necessario connexum, diffitendum non videtur eum caruisse libertate contrarietatis, nec habuisse nisi libertatem specificationis, quae sit inter hoc et illud bonum. Et ea re vera causa est cur tam multi theologi negaverint praeceptum de morte Christi fuisse vel rigorosum vel absolutum.

370. Praenotanda solutioni. — A) *De speciali statu beatitudinis apud Christum.* Jam nunc advertendum est S. Thomam (III, q. 15, a. 10) omnino negare eamdem fuisse Christi ac beatorum in genere conditionem : « primo quidem, quia animae sanctorum non sunt passibiles sicut fuit anima Christi ; secundo quia [sanctorum] corpora non agunt aliquid per quod in beatitudinem tendant, sicut Christus secundum corporis passiones in beatitudinem tendebat quantum ad gloriam corporis » (*ad* 3[m]). « Secundum mentem plene videbat Deum, et sic habebat beatitudinem quantum ad id quod est proprium animae ; sed quantum ad alia deerat ei beatitudo, quia et anima ejus erat passibilis et corpus passibile et mortale. Et ideo simul erat comprehensor, in quantum habebat beatitudinem propriam animae, et simul viator, in quantum tendebat in beatitudinem secundum id quod ei de beatitudine deerat » *(corp.)*. — B) *De primaria radice impeccabilitatis.* Theologi, etiam extra scholam scotisticam, agnoscere debent impeccabilitatem Christi repetendam esse non tam ex statu comprehensoris quam ex unione hypostatica [1]. Si qui proinde ita solvant quaestionem praesentem ut adimpletionem praecepti admittant non procurari invincibiliter ipsa visione beatifica, non eo ipso concedant Christum non esse ab intrinseco impeccabilem.

371. Solutionum diversitas. — His autem praemissis, mirum jam non videatur tantam fuisse in ea quaestione solvenda sententiarum diversitatem. Reduci tamen possunt ad duas species quarum una sit eorum qui, cum non putent libertatem contrarietatis posse conciliari cum Christi impeccabilitate aut saltem cum statu beatifico, admittunt moriendi praeceptum non fuisse nisi limitatum, dispensabile

(1) « Non placent ex toto qui huic [radici impeccabilitatis, statui scilicet comprehensoris] nimis insistunt, ac si esset princeps, quod existimo falsum prorsus. Quare plaudimus Petavio, Suarezio, card. Franzelin, Scheeben, Stentrup, Einig, Hurter, etc., qui primae rationi [id est, unioni] maxime insistunt » (L. Janssens : *De Deo-homine*, t. I, *append.* p. 667-668).

ad violandum, si adfuisset, praeceptum de morte. — β) Exponit obedientiam usque ad mortem, de qua epistola ad Philippenses, in hoc fuisse quod « quae placita sunt Patri profitebatur se semper facere [1] ». — γ) Explicat, cum S. Joanne Chrysostomo (*loc. cit.*), mandatum ponendi animam intellegendum esse, non hoc sensu « quod prius expectaverit [Christus] audire et opus ei fuerit discere [quid mandaret Pater], sed [quod] voluntarium monstravit processum et contrarietatis ad Patrem suspicionem destruxit » [2]. — δ) In articulo (III, q. 47, a. 3), ubi exponit quotuplici sensu Pater tradiderit Christum passioni, non tantum inter « tria, secundum quae Deus tradidit Christum passioni », non recenset praeceptum ei datum subeundae mortis, sed econtra explicat « Christum passum esse voluntarie ex obedientia Patris », quatenus, inter alia, Deus « sua aeterna voluntate praeordinavit passionem Christi ad humani generis liberationem »... et « inspiravit ei voluntatem patiendi pro nobis, infundendo ei charitatem ; unde [legitur] : Oblatus est, quia ipse voluit » [3]. — ε) Ubi solvit objectiones contra convenientiam Incarnationis ductas ex repugnantia mandati moriendi facti a Deo Christo innocenti [4], dicit praeceptum moriendi non fuisse a Patre ad Christum nisi hoc sensu quod « quanto aliquis perfectius actum virtutis exequitur, tanto magis Deo obedit... Christus igitur, dum actum charitatis perfectissime implevit [animam suam ponendo pro amicis suis], Deo maxime obediens fuit... Sciendum est etiam quod, licet voluntas Dei non sit ad mortem hominum,... est tamen ad virtutem per quam homo fortiter sustinet et ex charitate periculis mortis se objicit ; et sic voluntas Dei fuit de morte Christi, in quantum Christus eam ex charitate suscepit et fortiter sustinuit... Non coegit invitum sed complacuit ei voluntas, qua, ex charitate, Christus mortem suscepit ; et hanc etiam charitatem in ejus anima operatus est » (C. G. IV. 55, ad 13^{m} et 15^{m}).

379. e) *Ratio* nulla militat a priori pro existentia praecepti rigorosi, saltem antecedentis ad liberam Christi acceptationem ; imo repugnantia aliqua in hoc esse videtur quod Pater benignus Filio dilectissimo praeceptum fecerit rigorosum mortis, quam, ne in hypothesi quidem strictae pro peccato satisfactionis exhibendae, jam nemo admittit fuisse necessariam. Patris potius benignitati et dignitati, sicut et Filii magnanimitati, convenisse videtur praeceptum hujusmodi non fieri atque soli charitati Christi in Deum et homines permis-

(1) III, q. 20, a. 1 c. — (2) III, q. 47, a. 2, ad 1^{m}.
(3) Cf. eadem dicta in *Comment. in Rom.* VIII, *lectio* 6.
(4) *C. Gent.* IV. 53, 13°-15°.

sum esse ut modum Redemptionis eligeret, quem videret Deo fore ad majorem gloriam et ad hominum quam maximam utilitatem. — Neque haec permissio excludebat Redemptionis praeordinationem ab aeterno fieri apud Deum ; potuit enim Deus Redemptionem, qualis facta est, non praeordinasse ab aeterno nisi consequenter ad praevisam liberam Christi electionem.

380. 3° **Judicatur haec sententia** — A) Contra se habet quod *nullum admittit in Christo actum obedientiae proprie dictae*, siquidem ex ipso D. Thoma, quem invocat, executio rei, quae non est praecepta, non constituit nisi obedientiam « large acceptam », dum ad obedientiam « proprie acceptam » requiritur quod quis adimpleat praeceptum proprie dictum (II. II, q. 104, a. 2, ad 1[m]). Ubi vero (*ibid.* c) ait obedientiam eo videri promptionem quod praevenit voluntatem superioris, intellegit voluntatem nondum expressam quidem at tamen tacitam ideoque vere praecipientem.

Admittit praeterea Christum nullum meritum habuisse ex observatione ullius praecepti divini, sive naturalis sive positivi, imo ex observatione ullius divinae voluntatis, quae eum ligaverit ad modum regularum v. gr. quibus disciplina religiosa constituitur, cujus scilicet violatio intulisset aliquam imperfectionem positivam : ex dictis enim hujusmodi imperfectio haud minus in Christo repugnat quam ullum peccatum veniale. Admittit uno verbo haec sententia Christum meruisse obediendo in eis omnibus de quibus non erat praeceptum, non meruisse vero ubi quodlibet aderat verum Dei praeceptum...

381. B) *Arbitraria* praesertim videtur *in modo interpretandi mandatum vel obedientiam, qualem Scriptura affirmat* de Christo, vel *non sufficienter attendere statum quaestionis.*

Quaestio enim non est utrum obedientia, qualem inducit, possit esse meritoria, neque utrum adfuerit in Christo erga aliqua, sed utrum ea obedientia, de qua Scriptura loquitur, fuerit tantum hujusmodi. Nec sufficit probare vocem « mandatum » in genere ferre latiorem illum sensum, sed oportet ostendere eum esse sensum ubi agitur de Christo. Jamvero neutrum ex his constare videtur.

a) Et primo quidem **de obedientia.** S. Paulus dicit eam fuisse alicujus, qui « *formam servi acceperit* » (*Philipp.* 2. 7 8) ; eam fuisse hujusmodi ut « *ex eis quae passus fuerit* » Christus « *didicerit obedientiam* », id est, quam difficile ac durum sit Deo obedire (*Hebr.* 5. 8) ; ei tandem ascribit redemptionem nostram, ita ut illa « *obedientia* » (ὑπακοή) compensaverit inobedientiam (παρακοήν) Adami (*Rom.* 5. 19) : quam compensationem Patres

multi, in specie S. Irenaeus — cf. infra — hoc sensu intellegent quod satisfactio Deo praestita fuerit per observantiam praecepti, quod Adamus contempserat. Jamvero cum obedientia servi in genere et nostra, sicut et inobedientia Adami, dicatur relate ad praeceptum proprie dictum, ex modo loquendi S. Pauli omnino sequi videtur obedientiam etiam Christi dici relate ad praeceptum proprie dictum.

Obedientia enim et inobedientia, ex obvio suo sensu, dicuntur in ordine ad idem conversive et aversive; ubi proinde leguntur opponi, nisi aliud aliunde constet, intellegi debent de relatione ad praeceptum ejusdem rationis.

b) De « **mandato** » pariter. Ab ipso Christo vox illa usurpari solet sensu praecepti rigorosi; v. gr. : « Qui *solverit unum de mandatis istis minimis* » (*Mt.* 5. 19). « *Magister, quod est mandatum magnum in Lege?* » (*ibid.* 22. 36). Notandum imprimis est dictum, ubi ipse comparat praecepta Patris a se servata praeceptis ejus a nobis servandis : « *Si praecepta mea* (ἐντολάς) *servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut et ego Patris mei praecepta* (ἐντολάς) *servavi et maneo in ejus dilectione* » (Jo. 15. 10). Notandus etiam locus S. Joannis, ubi dicit nos « *accepisse mandatum a Patre* (2 *Jo.* 4) eadem formula, qua Christus ipse dicit se « *mandatum accepisse a Patre* » ponendi animam (*Jo.* 10. 18). Hinc enim sequitur vocem illam — nisi aliud imponatur sive contextu explicite, ut fit in locis invocatis ex *Mt.* 19. 7-8 et *Mc.* 10. 3-5, sive ex natura rei, ut in 2 *Reg.* 16. 10-11) — intellegendam esse de praecepto proprie dicto. Arbitrarie proinde verba hujusmodi : « *Mandatum accepi a Patre meo* » (*Jo.* 10. 18); « *Pater ipse mihi mandatum dedit* » (12. 49); « *Sicut mandatum dedit mihi Pater* » (14. 31); « *Ego Patris mei praecepta servavi* » (15. 10); detorquentur a sensu suo obvio et communi ad sensum meri beneplaciti, quod Christus adimpleverit sua spontanea electione independenter ab omni praevia obligatione [1].

382. C) *Immerito,* ut videtur, *invocatur auctoritas Patrum.* Nam qui dicuntur eam sententiam tenuisse aut insinuasse, eos *haud constat* locutos esse de Christi voluntate humana; constat potius eos, locis invocatis, non attendisse nisi ipsam Verbi personam, quam, contra Arianos arguentes ex mandato ad inferioritatem, jure asserebant esse,

(1) Minus placet igitur, quod suggerit cl. de la Taille, Christum veram obligationem, citra mandatum paternum, contraxisse tantum ex eo quod, in coena, se obtulerit sacrificaliter in immolationem subeundam (*Myst. fidei, elucid.* 8, p. 99). Christus enim : a) jam antea locutus erat de *mandato a Patre accepto ;* — b) significavit potius se sui sacrificium ideo offere quia hoc ab initio habebat in mandatis a Patre.

qua talem, praecepti proprie dicti incapacem nec indiguisse mandato ut idem quod Pater ipsa vellet.

Sic S. BASILIUS, occasione verbi *Jo.* 14. 31 : « Mandatum, ne sermonem imperiosum... intellegamus Filio, velut subdito, praescribentem quid facere debeat, sed, juxta sensum Deo dignum, intellegamus voluntatis communicationem... a Patre in Filium sine tempore demanantem [1].

Item S. CYRILLUS, ubi dicit « Deum unigenitum », quia « cognoscebat voluntatem Dei Patris », ultro « subiisse œconomiam » ad salvandos homines et « *sic descendisse in subjectionem voluntariam* ». Hinc enim explicat « Filium voluntatem Patris habuisse apud se loco mandatorum. Cum Patris consilium, ut Verbum, intellegat et ejus a quo genitus est profunda scrutetur, imo sit ipse sapientia ac virtus Patris, voluntatem ejus ad opus agit, mandati loco eam habens atque ita humano more eam nuncupans » [2].

Item S. AUGUSTINUS, commentando *Jo.* 10. 18 : *Hoc mandatum accepi a Patre meo :* « Verbum non verbo accepit mandatum, sed in Verbo unigenito Patris est omne mandatum. Cum autem dicitur Filius a Patre accipere quod substantialiter habet,... non potestas minuitur, sed generatio ejus ostenditur » [3].

(1) *De Sp. S.* VIII. 20 (PG. 32. 103 C) et cf. 19 : totum caput est de aeterna Verbi ad Patrem relatione.

(2) *In Jan. evang.* l. X (PG 74. 373 B-C) et cf. eadem l. VII et l. XII. (*Ibid.* 9-12 et 641 B). — Eos, qui S. Cyrillum et alios ita interpretantur, de la TAILLE redarguit ex eo quod « tempore Cyrilli », non cum Arianis, sed « cum Nestorio res ageretur », proindeque Cyrillus hoc loco « de homine Christo prorsus agat data opera » (*Myst. fidei, elucid.* 8, p. 95). At ipsum fugisse videtur quam solemne fuerit Patribus illius aetatis agere etiam contra Arianos. Ita, in specie, S. Cyrillus. Immo, in suo S. *Joan. Commentario*, adeo non agit cum Nestorio ut propterea censeatur illud edidisse ante exortam controversiam nestorianam.

(3) *In Joan. tract.* 47. 14 (PL. 35. 1740) — S. J. Chrysostomus est, cujus verba facilius videantur esse de Christo qua formaliter est homo : notum enim est doctores antiochenos prae aliis attendisse naturam ejus humanam. Attamen etiam ille, ubi dicit vocem « mandatum » non significare nisi concordiam voluntatis, quae sit inter Patrem et Filium (*In Jo. hom.* 60. 3), Filium aperte intellegit potius qua divinae naturae est. Explicat enim eum non adhibuisse vocem hujusmodi ad hoc significandum nisi ratione humilitatis et ut humano more loqueretur (ταπεινῶς καὶ ἀνθρωπίνως), prout poscebat audientium infirmitas, nullatenus autem significasse opus salutis nostrae esse sibi ab extrinseco impositum (ἀλλότριον) et non ultro susceptum. Nam, pastor ipse bonus est, qui ultro animam pro ovibus ponit : si apud homines bonus pastor non indiget alieno incitamento ad hoc faciendum, a fortiori apud Deum (πόλλῳ μᾶλλον ἐπὶ Θεοῦ) ; « ***proptereaque dicitur a S. Paulo seipsum exinanivisse*** » (PG. 59. 331 et cf. pariter de *Jo.* 15. 10 ***hom.*** 76. 2, ***ibid.*** 412). Concordiam porro Filii cum Patre in subeunda ***exinanitione*** seu opere redemptivo non intellegit Chrysostomus nisi de voluntate divina.

383. D) *Conclusio.* Manet ergo illi sententiae favere S. Anselmum et aliquatenus forte S. Thomam. Illi tamen scholastici theologi adhaeserunt tam pauci, ut Lugo, sicut praemissum est, eam potuerit dicere « singularem et contra communem sensum theologorum ».

Rationes autem a priori, quae pro illa moventur, non sunt hujusmodi, quae praevalere possint contra testimonium Scripturarum, — quod videtur explicitum, — Christum vero mandato vere obedivisse, ubi pro nobis animam ipse posuit.

384. QUAERES, **hoc mandatum quale fuerit,** seu quo modo et quo sensu fuerit Christo praeceptum ut moreretur.

RESPONDENT theologi non uno modo ; nec necessario admittendum est praeceptum Dei fuisse speciale ac directum. Admittitur potius non fuisse nisi indirectum : Christus scilicet praeceptum obeundae mortis habuerit hoc sensu quod, sive ex charitate erga homines, quos scivisset a se solo posse redimi modo a Deo praestituto, sive ex obedientia Deo praestanda, officium ejus fuerit perseverandi in justitia et in praedicanda veritate etiam ubi, propter invidiam hominum, mors esset incurrenda [1].

Haud male forte addas praeceptum mortis fuisse imprimis generale decretum, quo, consequenter ad peccatum, « *statutum est hominibus mori* ». **Christus illud acceperit in ipsa missione sua,** eo scilicet ipso quod venit « *in similitudinem carnis peccati* ». Caro enim ea est, cui lex est mortis. Filius igitur Dei, quia illam induit et illam voluit agere et pati quae sunt ei propria, eo ipso « mortis legibus subjacere » accepit [2]. « Conditio [enim] carnis peccati [est] quod habeat necessitatem moriendi.... Secundum hanc [igitur] necessitatem, quae consequitur materiam, corpus Christi subjectum fuit necessitati moriendi » [3].

Ea porro necessitas aut lex, etsi de se consequitur ad principia naturae humanae, tamen historice seu de facto non saevit aut urget nisi per positivum et liberum Dei decretum, quo, consequenter ad peccatum, natura illa

(1) Ita, inter alios, SUAREZ (*Disp.* 43, s. 3, n. 3), qui, etsi admittit praeceptum rigorosum, tamen in hoc sentit cum S. ANSELMO dicente : « Potest etiam dici quia praecepit illi mori Pater, cum hoc praecepit unde incurreret mortem » (*Cur Deus homo.* I. 9 PL 158. 371 B).

(2) S. LEO MAGNUS : *Sermo* 22. 2 (PL 54. 195). Item D-B. 144 ; C. 681.

(3) S. THOMAS : III. q. 14, a. 2, « sed contra » et C. — Eodem sensu S. AUGUSTINUS (*De pecc. mer. et rem.* II. 29, 48) non timuit dicere Christo, si non fuisset juvenis occisus, saltem senescendo moriendum fuisse : « Quia in eo erat similitudo carnis peccati, mutationes aetatum perpeti voluit ab ipsa exorsus infantia, ut ad mortem videatur etiam senescendo illa caro pervenire potuisse, nisi juvenis fuisset occisus » (PL 44. 180).

permissa est suis propriis principiis et viribus. Hinc tantum est quod quicumque nascitur in carne peccati teneatur, nisi Deus aliter disposuerit, lege mortis. Deum vero constat non aliter disposuisse pro Filio suo incarnato. Quia igitur illum misit in carnem, cui, ex positiva sua voluntate, jam omnino moriendum est, eo ipso significavit suam esse voluntatem ut et ipse « *gustaret mortem* ». Vi proinde missionis suae, lex Christo vere fuit ut « *animam poneret* ». Lex imo illa, quae apud ceteros homines rationem praeterea habet poenae ac debiti una cum peccato contracti, apud Christum, qui debitum hujusmodi non contraxit ullum, rationem tantummodo habuit positivi Patris ejus mandati. Illud igitur non suscepit adimplendum nisi ex amore et obedientia, seu nisi ex amore et reverentia erga beneplacitum Patris. Haud mirum igitur Patrem in eo propterea sibi complacuisse : « *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam* » (*Jo.* 10. 17). Inobedientiae enim et irreverentiae Adami ea fuit compensatio directa et admirabilis : quam primus homo se putavit posse eludere mortem, quasi a Deo frustra minitatam, eam secundus homo voluit in se suscipere, quia a Deo decretam [1].

385. II. Solutiones per indifferentiam principiorum agendi. Iis omnibus, qui admittunt Christum habuisse praeceptum mortis rigorosum, cum Christus tamen libere susceperit mortem, admittendum est eum, non obstante sua impeccabilitate statuve beatifico, libertatem contrarietatis habuisse, proindeque *meruisse vere in adimplendo quocumque praecepto*. Tenent igitur ii omnes nullum eorum principiorum, quae influebant in ejus volitiones, sustulisse indifferentiam activam voluntatis ejus, aut eam necessario et ab intrinseco movisse ad praeceptum adimplendum.

Hoc alii quidem aliter explicant pro suo systemate de indifferentia voluntatis praerequisita ad actum liberum ; sed, de ipso facto libertatis Christi sub praecepto rigoroso, concordia est inter multos qui principiis adhaerent sive scotistarum, sive bañesianorum aut molinistarum [2]. Eam sententiam proponimus et propugnamus juxta Molinae principia, indicatis tantummodo, ubi se det occasio, principiis, quorum ope theologi aliarum scholarum se confidunt eamdem posse tueri.

(1) De quo plura apud GALTIER : *Obéissant jusqu'à la mort*, in *Rev. d'ascét. et de myst.* I (1920), p. 113-149.

(2) SALMANTICENSES v. gr. : *Disp.* 27, *dub.* 6, § 2 ; MASTRIUS : *Disp.* 3, q. 9, a. 3, n. 389 ; MOLINA : *Concordia, disp.* 53, m. 4, seu *in D. Thom.* I, q. 14, a. 13, disp. 18 ; SUAREZ : *Disp.* 37, s. 3 et 4 ; GONET : *Clyp. thomist. : de Incarn., disp.* 21, a. 3, § 3 ; BILLUART : *Dissert.* 18, a. 4, § 2 ; PESCH : *De Verbo incarn.*, n. 317 sqq. ; JANSSENS : *De Deo-homine*, t. II, p. 721-736.

Cum tamen haec sententia assumat libertatem Christi, etiam sub praecepto rigoroso et non obstante impeccabilitate ab intrinseco aut statu beatifico, manere illaesam, duae statui debent assertiones, quibus ostendatur nec impeccabilitate ab intrinseco nec statu beatifico Christi tolli indifferentiam voluntatis praerequisitam ad actum liberum.

386. 1°. **Impeccabilitas ab intrinseco non tollit libertatem.**

N. B. Impeccabilitas ab intrinseco vocatur ea quae sit ex ipsa unione hypostatica; cum autem impeccabilitatem Scotistae negent exinde esse, patet hanc nostram assertionem ab eis admitti aut potius praetermitti. Thomistae vero, sicut et Molinistae, eam admittunt. Et, re vera, ex hoc capite difficultas non est est tanta, et multi hanc nostram assertionem admittunt (v. gr. Billot : thes. XXVIII, 1° et 2°, cum Suarez : *disp.* 37, s. 3), qui tamen, propter difficultatem ex statu beatifico ortam, solutionem generalem abjiciunt. In se sumpta ergo haec assertio potest dici non tantum probabilior sed etiam *certa*.

Et, re vera, impeccabilitas ab intrinseco ideo tolleret libertatem sub praecepto, quia unio hypostatica, unde oritur, tolleret libertatem contrarietatis seu excluderet libertatem linqui Christo psychologicam non obediendi praecepto. Jamvero hoc non excludit per seipsam, cum ipsa non sit operativa nec proinde influat immediate in voluntatem; non influit in eam nisi mediate, quatenus exigit voluntatem Christi humanam ita regi et confortari a voluntate divina ut nunquam deficiat a bono. Porro regimen illud et firmamentum, etsi ab intrinseco seu ex constitutivis Christi exigitur, tamen non exigitur esse hujusmodi ut voluntatem ab intrinseco necessitet ad servandum praeceptum; sufficit enim, ad scopum obtinendum, auxilia seu gratias ei seligi et conferri, quibus praecognoscatur libere consensurus. Jamvero hujusmodi auxilia praesto esse omnipotentiae divinae nemo negare potest; ea autem, cum conferantur quia et qua praevisa efficacia, etsi infallibiliter sint procuratura observationem praecepti, eam tamen non magis necessitabunt ab intrinseco quam ulla gratia efficax necessitat actum ex ejus auxilio ponendum.

Impeccantia proinde Christi, quam exigit ejus impeccabilitas, obtinebitur eodem modo eademque via qua obtinetur impeccantia cujuslibet hominis ; nec disparitas est nisi in hoc quod hominibus gratiae seliguntur et conferuntur efficaces, quin ullum ad eas habeant jus aut exigentiam, dum econtra Christo debentur ex intrinsecis ejus constitutivis, quae exigunt eum nunquam deficere a bono.

Nec obstat quod haec exigentia sit antecedens, nam non influit

directe in ipsam determinationem voluntatis humanae Christi ; influit tantum in electionem divinam auxiliorum illi conferendorum, ita ut, sub et cum illis auxiliis, eodem modo voluntas se determinet ac si non daretur unio [1].

387. Scholae igitur conciliant impeccabilitatem Christi cum ejus libertate juxta doctrinam, quam habent de efficacitate gratiae in humana voluntate. Nos proinde, principiis Molinae adhaerentes, scientiam quae dicitur mediam invocamus, ut rationem demus qui Deus, prout exigebat Christi impeccabilitas, potuerit in omnipotentia sua eligere gratias, quibus futurum erat ut Christus libere consentiret atque ita infallibiiiter servaret praecepta a Patre accepta. Quomodo hujusmodi infallibilitas seu infallibilis praecognitio futurae obedientiae non officiat ejus libertati explicatur in quaestionibus de gratia. Haec enim praecognitio non influit in ipsam voluntatem humanam ; facit quidem ut infallibiliter *certum* sit eam esse consensuram, non facit ut *consentiat*. Est antecedens incompossibile quidem cum omissione consensus ; at haec incompossibilitas non oritur ex influxu praecognitionis in voluntatem, qui nullus est, sed potius oritur ex influxu consensus objective praecogniti in ipsam praecognitionem : haec nempe praecognitio antecedit consensui ut actu in tempore praestando, at consequens est consensui ut futuro cognito.

388. 2°. **Status beatificus Christi non tollit libertatem in servando praecepto.**

Haec assertio difficilior est, ideoque negatur a multis qui propterea, etsi consentiunt praecepti rigorosi liberam observantiam conciliari cum impeccabilitate ab intrinseco, negant eamdem posse conciliari cum Christi statu beatifico. Qua talis tamen, admittitur tum a Scotistis [2], tum a Bañesianis, tum etiam a non paucis Molinae discipulis.

Scotistae enim, cum teneant impeccabilitatem Christi, sicut et omnium beatorum, oriri formaliter, non ex visione beatifica, sed ex Dei Providentia ab extrinseco faciente « ut semper continuent actum fruendi et ita nunquam possint potentiam suam non fruendi vel peccandi reducere ad actum », eo ipso admittunt potentiam remotam servandi et non servandi praeceptum

(1) Dices : Sub illis auxiliis potest non obedire : Ergo potest peccare, seu non est impeccabilis. — Respondeo. Sub illis auxiliis consideratis solum entitative, ut non intrinsece determinantibus, *concedo*. — Sub illis auxilius consideratis ut collatis quia et quatenus praevisa sunt efficacia, *nego*.

(2) Scotus : in IV, *dist.* 49, q. 6, § « Dico ergo... » et in III, *dist.* 2, q. 1, § 12 ; *dist.* 12, q. *unica*, ad 2m. — Krisper : *Tract.* V, *dist.* 2, q. 4, n° 9 ; *tract.* VIII, *dist.* 6, q. 2, n° 10.

manere apud omnes, ideoque etiam apud Christum. Hujusmodi potentiam non admittunt quidem sufficere ad meritum apud beatos in genere ; tenent tamen apud Christum, qui fuerit etiam viator, sufficere ex speciali Dei dispensatione aut potius acceptatione (Scotus in III, dist. 18, q. unica, n° 9, ad 2^{m} ; Krisper : tract VIII, dist. 7, q. 1, n° 13 et q. 2, n° 7).

Banesiani etiam admittunt Christi libertatem, non obstante statu beatifico, stare etiam sub praecepto rigoroso. Inducta enim sua *distinctione sensus compositi et sensus divisi,* dicunt eum, etiam in sensu composito praecepti et visionis beatificae, mansisse liberum, quatenus, « volendo actualiter mortem sibi praeceptam, habuerit simul et retinuerit potentiam ad negationem mortis *divisim a praecepto* ponendam », seu « potentiam, qua posset habere negationem mortis divisam sive abstrahentem a praecepto » (Gonet : *disp.* XXI, a. 3, §. 3, n° 83 et 85). Quae qualis sit libertas non est hujus loci disceptare. Sed constat per eos auctores Christi statu beatifico non tolli eam libertatem, quae requiritur ut servetur meritorie praeceptum.

Molinistarum tandem nonnulli (v. gr. Molina : *Concordia,* d. 53, m. 4 ; Suarez : *Disp.* XXXVII, *s.* 4, *resp.* 5^{a} ; Platel, n° 333 ; Pesch. n° 334 sqq ; Viva : *Disp.* II, *q.* 4, *a.* 1) idem admittunt, et ita quidem ut libertatem teneant manere qualem docent esse necessariam ad praeceptum meritorie servandum, id est, non tantum remotam sed proximam, nec tantum in sensu diviso sed etiam in sensu composito. Eorum sententia fundatur distinctione in Christo *duplicis seriei actuum,* quorum alii essent *comprehensoris* et alii *viatoris ;* quod fundamentum admittunt etiam Toletus (in III, q. 19, a. 4, concl. 5^{a}) et Salmanticenses (*Disp.* XXVII, dub. 3, §. 4), quatenus docent Christum amasse Deum actu charitatis libero, qui et terminative et entitative distingueretur ab ejus amore fruitivo ; imo, nisi hoc admittatur, putant (*ibid.* n° 55) « falsificari dictum D. Thomae [III, q. 19, a. 3, ad 1^{m}] quod Christus non meruit per charitatem, in quantum erat charitas comprehensoris, sed in quantum erat viatoris ».

389. Exinde nobis etiam oriundum esse videtur ; at cavendum etiam est ne distinctio illa duplicis in Christo seriei actuum solutionem mere verbalem faciat. Cum unica tandem aliquando sit Christi voluntas humana, cujus unicus esse possit motus efficax in unum objectum materiale, non multum juvat eam ad illum actum non ligari ex aliquo capite, si ex alio capite ligetur. Verum sane est voluntatem Christi praecepto moriendi, quale ei exhibetur scientia sua viatoris, non invincibiliter ferri ad mortem efficaciter appetendam ; sed, si eadem voluntas ab eodem praecepto, quale ei scientia comprehensoris exhibetur, admittitur invincibiliter ferri ad eamdem mortem efficaciter appetendam, planum est electionem mortis efficacem esse, re

vera, ex motu invincibili, ac proinde libertate meritoque carere. Insistendum igitur est in conditione omnino speciali, quae erat Christi comprehensoris.

390. *Christi enim, qua comprehensoris, non eadem erat conditio quae beatorum in genere.*

» Secundum mentem [quidem] plene videbat Deum, et sic habebat beatitudinem quantum ad id quod est proprium animae ; sed quantum ad alia deerat ei beatitudo, quia anima ejus erat passibilis et corpus passibile et mortale. Et ideo simul erat comprehensor, in quantum habebat beatitudinem propriam animae, et simul viator, in quantum tendebat in beatitudinem secundum id quod ei de beatitudine deerat... Non eadem [ergo] est ratio de animabus sanctorum et de Christo, propter duo. Primo quidem, quia animae sanctorum non sunt passibiles, sicut fuit anima Christi ; secundo, quia corpora non agunt aliquid, per quod in beatitudinem tendant, sicut Christus secundum corporis passiones in beatitudinem tendebat, quantum ad gloriam corporis » (III, q. 15, a. 10, c et ad 3[m], et cf. *de Veritate*, q. 29, a. 6).

Hoc proinde speciale erat in Christo quod, quia manebat quoad animam et quoad corpus passibilis, mala et apprehendere et pati potérat, quorum beati, quia jam impassibiles, expertes evadunt. Beati scilicet, etsi malum sive physicum sive morale odio habere possunt, tamen de eo nullum possunt experiri doloris aut tristitiae sensum ; peccata v. gr. in genere, persecutiones quas Ecclesia patitur, suorum damnationem perpetuam non tantum cognoscunt sed etiam, quia irrevocabiliter a Deo permissa aut decreta, plene ipsi volunt, quin quidquam doleant aut ullam etiam inefficacem repugnantiam habeant. Ratio est, quia haec omnia apprehendunt pure et simpliciter secundum quod a divina sapientia ordinantur, omnino autem non apprehendunt ut *sibi* mala [1] : secus enim dolerent ac moestitiam haberent, quod est contra plenam eorum beatitudinem et impassibilitatem. Non ita vero Christus. Beatus fuit, at ita ut posset etiam tristari, tristitia non tantum sensibili sed etiam spirituali. Non tantum doluit ac tristatus est de futura sua passione sed etiam de peccatis in Deum commissis aut commitendis ; facta imo a Deo irrevocabiliter a Deo ordinata et decreta, Judaeorum v. gr. reprobatio, futurum Jerusalem excidium, aeterna multorum damnatio, lacrimas ei moverunt et inter causas ejus tristitiae ad mortem connumerari solent.

Jamvero, non poterat anima Christi esse passibilis seu experiri

(1) Cf. Billot : *thes.* XXIII, cum S. Thoma : *Compendium Theolog.* cp. 232.

hujusmodi tristitias aut repugnantiam nisi quia, per derogationem ad leges connaturales status beatifici, cognitio intuitiva summi boni ejusque decretorum irrevocabilium non impediebat eadem apprehendi per aliam viam — scientiae scilicet infusae et naturalis — ut sibi ex aliquo capite mala.

Ergo, ex statu Christi, qualem fuisse cognoscimus, scimus eum, non obstante visione beatifica, apprehendisse rationem aliquam mali etiam in rebus irrevocabiliter a Deo decretis.

391. *Principium porro est voluntatem non moveri necessario et invincibiliter a bono cognito, nisi exhibeatur ei ut undequaque et sub omni respectu bonum :* ubi enim nulla ratio mali apparet, ibi nulla possibilitas non volendi. Si qua vero ratio mali in illo apparet, seu si exhibetur voluntati ut sub aliquo respectu malum, jam adest ratio illud non appetendi, proindeque manet libertas : « Si apprehendatur aliquid ut bonum conveniens secundum omnia particularia quae considerari possunt, ex necessitate movebit voluntatem... Si autem sit tale bonum, quod non inveniatur esse bonum secundum omnia particularia quae considerari possunt, non ex necessitate movebit etiam quantum ad determinationem actus ; poterit enim quis velle ejus oppositum, etiam de eo cogitans, quia forte est bonum vel conveniens secundum aliquod aliud particulare consideratum » (*De malo,* q. 6, a. 1 c).

His porro positis, haud apparet qui voluntas Christi, dato statu ejus beatifico, *necessario et efficaciter* moveretur ad praeceptum rigorosum. Ideo enim, et ideo tantum, hujusmodi praeceptum eum invincibiliter ligaret, quia exhiberetur ei, ob suam irrevocabilem connexionem cum summo bono possidendo, ut undequaque bonum. Porro, dato Christi speciali statu beatifico, non ita est ; praeceptum sane tum scientia beata, tum scientia infusa et naturali, exhibetur ut summe bonum, seu ut quod, propter dictam connexionem, possit et debeat omnino eligi ; at idem eidem voluntati scientia infusa et naturali exhibetur simul, propter passionis et mortis dolores aut consectaria, ut ei vere malum. Ergo non exhibetur voluntati ut simpliciter et sub omni respectu bonum. — Quod *brevius et in forma* sic enuntiari potest. Non movet efficaciter necessario voluntatem objectum, quod ei exhibetur ut ei sub aliqua ratione malum. Atqui praeceptum moriendi, non obstante statu Christi beatifico nec sua cum summo bono connexione irrevocabili, exhibetur Christi voluntati ut ei sub aliqua ratione malum. Ergo praeceptum moriendi, non obstante Christi statu beatifico nec sua cum summo bono connexione irrevocabili, non movet efficaciter necessario voluntatem ejus.

392. Dices : At *voluntatem ligabat amor summi boni,* qui, cum necessario consequatur ad ejus in se apprehensionem, exigit amari pariter omne id, cujus denegatio, propter irrevocabilem connexionem, induceret jacturam summi boni. Male ergo infertur aliquem, in casu Christum, etsi cognoscat summum bonum, tamen posse eligere jacturam ejus seu peccare.

Respondetur : a) Quod dicitur de amore necessario consequente ad cognitionem et amorem summi boni verum est de omni beato simpliciter. At *de beato, qualis est Christus,* qui nempe viator praeterea est et meriti atque passibilitatis capax, hoc praecise in quaestione est, utrum, ratione visionis qua talis, sit necessitatus ad volendum id quod vult seu exigit summum bonum, an econtra, attenta sola visione qua tali, dici debeat liber et peccati capax. — b) *Impeccabilitas* proinde Christi *non oritur formaliter ex visione beatifica* sed ex unione hypostatica, quae, quatenus excludit omnem maculam, eo ipso exigit gratias conferri, quarum ope infallibiliter procuretur victoria in repugnantiam, quam producit praeceptum, et adimpletio libera praecepti.

Unde et in forma : — Qui necessario amat summum bonum, is necessario amat praeceptum irrevocabiliter cum eo connexum, *dist.* : qui necessario amat summum bonum *ex apprehensione ejus excludente apprehensionem mali in praecepto connexo,* is.... *(conc.)* — Qui necessario amat ex apprehensione permittente apprehendi rationem mali in praecepto connexo, *(nego).* — Atqui Christus necessario amat summum bonum, *contradist.* : Amat ex apprehensione permittente apprehendi rationem mali in praecepto connexo *(concedo)* ; ex apprehensione hoc excludente *(nego)* [1].

393. Inst. 1°. Ergo non amabat necessario summum bonum, nam amari necessario est ita amari ut impossibilis sit aversio ; atqui ex nobis aversio erat possibilis.

Respondeo, distinguendo assumptum : Non amabat necessario summum bonum *eodem modo quo beati* simpliciter *(conc.)* ; non illud amabat aliquo modo necessario, id est, modo connaturali ei qui praeterea viator est *(nego)* :

(1) Hinc apparet non valere, *saltem pro Christo*, principium ex quo, cum S. Thoma (I, q. 62, a. 8), probari solet beatos in genere non posse peccare, scilicet, quia se habent ad summum bonum sicut viatores ad bonum in communi : dicuntur propterea beati haud magis posse quidquam velle independenter ab appetitione summi boni quam viatores independenter ab appetitione boni in communi. — Quidquid enim sit de hoc principio, — de quo cf. Suarez : *De fine ultimo, disp.* 10, s. 1, n° 14 — saltem pro Christo disparitas ea est quod viator in genere non potest quidquam appetere nisi sub ratione boni in communi, at Christus certe, quando inefficaciter appetivit fugam mortis, illam non appetivit sub ratione summi boni. Ergo....

necessario scilicet illud amabat saltem inefficaciter. — *Ad probat. :* Amari necessario est ita amari ut impossibilis sit aversio, *dist. :* amari necessario et *necessario efficaciter* est ita amari ut impossibilis sit aversio *efficax (conc.) ;* amari necessario, sed *sive efficaciter sive inefficaciter,* est ita amari ut impossibilis sit aversio, *subdist. :* aversio *tum efficax tum inefficax (conc.),* aversio *efficax (nego).*

Ad minorem : Atqui ex nobis admittitur aversio possibilis, *contradist:* admittitur possibilis aversio *efficax,* attenta sola visione beatifica *(conc.) ;* attenta tum visione beatifica tum unione hypostatica, admittitur possibilis aversio *efficax (nego), inefficax (conc.).* — *Ergo* summum bonum non amatur a Christo necessario, *subdist. :* non amatur necessario ab eo sicut ab aliis beatis *(conc.) ;* non amatur *necessario efficaciter,* attenta sola visione beatifica *(conc.) ;* non amatur necessario *sive efficaciter sive inefficaciter (nego),* nam, etiam in hypothesi quod Christus, ex aversione efficaci mortis, se efficaciter avertisset a summo bono, tamen etiam tunc illud inefficaciter, seu secundum quid, appetivisset.

Voluntati scilicet Christi mors, per visionem beatificam, exhibetur ut undequaque bona, proindeque ex hac consideratione fit ut non possit in eam non ferri motu saltem inefficaci ; imo efficaciter omnino ferretur in eam, si non exhiberetur illi nisi per hanc viam. At per alias vias, scilicet per scientiam infusam et naturalem, mors ei exhibetur, et quidem ut bona, quatenus permittens servare summum bonum, at etiam *ut mala,* quatenus suae naturae mala. Et hinc est cur, si vellet, posset eam detrectare efficaciter. At etiam tunc pergeret in eam ferri inefficaciter, ut cum summo bono connexam : uno verbo, detrectaret eam simpliciter sed secundum quid appeteret.

In hoc ergo non differt status ejus a statu cujuslibet viatoris, nam mihi deliberanti de peccato seu eligenti inter summum bonum et rem duram quam exigit, res ea exhibetur ut, ratione connexionis ejus cum summo bono, undequaque bona ideoque motu saltem inefficaci invincibiliter appetibilis, sed quia eadem sub alia ratione mihi exhibetur ut mala, ideo, non obstante motu illo in eam, possum libere eam detrectare et cum ea summum bonum pariter. *Differentia* proinde inter nos et Christum est quod actus cognitionis, quo mors ei exhibetur ut connexa cum summo bono, est non tantum judicium intellectuale, ut apud nos, sed etiam visio beatifica. At, quia, hoc non obstante, mors ei tamen apparet ut mala, ideo posset eam, ex hoc capite, detrectare.

394. Inst. 2°. Ergo *status beatitudinis permittebat peccatum in Christo.* Atqui non potest hoc admitti. — Ergo.

Resp. : Concedo majorem, id est, utique status beatitudinis in Christo

linquebat peccandi libertatem psychologicam. — Distinguo minorem : Non potest permitti peccatum in Christo, ratione status beatifici qua talis, *si aliunde non excludatur (conc.) ; si aliunde, ratione scilicet unionis hypostaticae et gratiarum debitarum, excluditur (nego).* Sensus ergo solutionis est quod *impeccabilitas Christi non procurabatur formaliter visione beatifica*[1]; quod econtra visio illa, seu status beatificus in Christo, ita temperabatur ut viatori possibile esset actus physice liberos elicere, quibus mereret beatitudinem « quantum ad ea quae illi deerant »; quod nihil est aliud nisi dicere : Christus poterat *repugnantiam inefficacem experiri etiam quoad eas res praeceptas, quae, efficaciter aversae, importassent privationem summi boni.* In quo nullum est inconveniens, cum inefficax illa repugnantia non officeret sanctitati substantiali ; persona enim divina poterat eam eo magis in sua natura humana permittere quod infallibilem certitudinem habebat se posse, per gratias aptas, eamdem continere et procurare acceptationem efficacem praecepti repugnantis. Uno verbo, extendimus ad eas etiam res id quod admittur communiter de iis rebus, quae non ita connectuntur cum fruitione summi boni. Ampliamus ergo tantum principium generale, quo, consequenter ad statum qui fuit Christi connaturalis, « unicuique virium permittebatur id agere quod sibi proprium erat » : ergo etiam appetitui rationali.

395. Inst. 3°. Sed, *si non visio procurat infallibiliter obedientiam, nulla gratia poterit eam infallibiliter procurare.*

Resp. Non dicimus visionem non procurare infallibiliter obedientiam, sed negamus illam, apud Christum, eam procurare tollendo libertatem... Haud negamus sane fuisse *moraliter* impossibile, cum visione beatifica, Christum non obedire ; at dicimus illum *psychologice* potuisse non obedire.

Inst. 4°. Tandem, ex hoc sequitur Christum *meruisse sibi conservationem summi boni,* quod potuisset amittere. Atqui hoc repugnat.

Resp. Christus posuit actus qui, *de se, potuissent hoc ei mereri,* si non fuisset in statu excludente amissionem, seu si possssio, fruitio, conservatio summi boni non fuisset ei *aliunde* et antecedenter ad omnem ejus actum *jam debita (conc.) ;* de facto hoc meruit *(nego).* — Solutio desumitur ex S. Thoma (*De veritate q.* 29. *a.* 6 et III *q.* 19. *a.* 3), ubi dicit quod ad meritum duo requiruntur, *status merendi* et *facultas merendi.* Jamvero Christo

(1) Hoc sensu scilicet, quod visio beatifica non faciebat ipsa peccatum impossibile, seu non tollebat seipsa indifferentiam activam voluntatis erga praeceptum aliunde apprehensum ut verum Christi malum. Quo tamen non excluditur visionem fuisse praecise illud auxilium, cujus ope voluntas Christi libere adimplevit praeceptum.

inerat quidem facultas, deerat autem status merendi quoad id quod proprie et principaliter constituit beatitudinem animae (III, *q.* 15. *a.* 10 c, et *ad* 2[m]). Hinc est cur non meruerit sibi de facto summum bonum — « quia, cum meritum non sit nisi ejus quod nondum habetur, oporteret quod Christus illo caruisset », quod fuisset contra ejus dignitatem (III. *q.* 19. *a.* 3) — sed tantum impassibilitatem animae. « Christus per suam passionem *non solum sibi,* sed etiam membris suis omnibus, meruit salutem » (q. 48, a. 1 c).

ARTICULUS V

DE POTENTIA HUMANITATIS CHRISTI (q. 13)

I

396. Christum esse et fuisse omnipotentem de fide est, cum sit ipse Deus incarnatus.

De fide etiam est hunc hominem, qui est Christus, seu Christum, qua homo specificative, omnipotentem posse ac debere dici ratione personae, seu vi communicationis idiomatum.

Natura vero humana Christi omnipotens omnino dici nequit.

Aliter quidem sensere doctores illi, quibus, saeculo 12°, pro principio fuit hominem, ut aiebant, assumptum habere per gratiam quidquid Verbum assumens habet per naturam. Hinc enim ducebant conclusionem : « Sicut Deus Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio vitam habere in semetipso, et ipse Filius, una cum Patre, dedit carni suae vitam habere in semetipsa » [1]. « Homo assumptus in Deum aeque omnipotens [est] per omnipotentiam, quam ex tempore accepit, sicut est Pater omnipotens per omnipotentiam, quam ex aeterno habuit » [2]. « Æque omnipotens in utraque natura divina et humana, cum sit utriusque naturae una et indivisa gloria, unumque dominationis nomen Verbo innatum sed homini datum » [3]. « Humanitas in Christo... semper habuit plene sapientiam, omnipotentiam, et omnem virtutem divinam... Unde non solum divinitas sed etiam caro ejus vivificatrix est, vivificans eadem potentia qua vivificat ipsa divinitas » [4].

(1) Gerochus Reichersperg. *epist.* 23 (PL. 193. 600 D).

(2) Idem, *in ps.* 8. 2 (*Ibid.* 743 D).

(3) Idem. *in ps.* 133. 2 (PL. 194. 896 B-C) et cf. *in ps.* 134. 1 (*Ibid.* 897 A-C).

(4) Idem, *epist. ad Eberhardum Bamberg.* 2 et 3 (*Ibid.* 1068 B et 1069 A). — De doctoribus illis cf. Portalié : art. *Adoptianisme,* apud DTC I. 413 et 415-416.

Quibus assensisse videtur Hugo a S. Victore [1] ; nec adeo forte dissentiunt nonnulli recentiorum, pro sua cura urgendi quam maxime unitatem Christi et vindicandi humanitati ejus etiam ea quae divina sunt.

At error is est monophysitarum et ubiquistarum haeresim sapiens, nam naturam creatam repugnat habere ullum attributum proprie divinum : « Cum igitur anima Christi sit pars humanae naturae, impossibile est quod omnipotentiam habeat ». Ratio est, quia « potentia activa cujuslibet rei consequitur naturam ipsius », proindeque « anima Christi, cum sit creatura, est virtutis finitae » (a. 1 c et ad 2[m]).

II

397. Humanam tamen naturam constat in Christo non pauca effecisse, quae suam transcendunt virtutem mere naturalem. Dei enim Filio instrumento fuit ad humanitus operandum non tantum ea quae a ceteris hominibus vel naturaliter fiunt vel fieri possunt ope donorum et auxiliorum supernaturalium, sed etiam ea quae ratione sui superant virtutem omnis creaturae. Influxit enim et ipsa in operationes stricto sensu theandricas : voluntate Christi humana remissa sunt peccata et instituta sacramenta ; voce, tactu et imperio humano Christi miracula facta sunt, quibus humana natura, haud minus apud ipsum quam apud ceteros thaumaturgos, maneret seipsa prorsus impar.

Manifestum est igitur eam auctam esse in Christo potentia et potestate speciali, de qua inquirendum est : 1° qualis et quanta fuerit ; 2° cujusmodi influxum habuerit in effectus, qui ratione sui causam adaequatam non habent nisi in ipsa divina natura.

398. 1° **Qualis et quanta fuerit** apparet tum per multitudinem tum per facilitatem et potestativam auctoritatem, qua miracula edidit. a) Non tantum « *caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt* » (*Mt.* 11. 4-5), ita ut signa haec sint missionis suae, sed etiam « *virtus de illo exibat et sanabat omnes* ». (*Lc.* 6. 19 et 8. 43-46). — b) Pro arbitrio suo dimittit peccata vel curat paralyticum (*Mt.* 2. 4-6) ; — c) Nutu voluntatis suae mundat leprosum (*Mt.* 8. 2-3) ; — d) Voluntate et imperio suo compescit mare (*Mc.* 4. 39) et mortuos suscitat. (*Lc.* 7. 11-17 ; 8. 54 ; *Jo.* 11. 43).

Haec igitur potentia fuit in eo multo **perfectior** quam apud ceteros

(1) *De scientia Christi :* « Anima Christi omnia dicitur habere per gratiam quae Deus habet per naturam... Quid ergo accepit anima Christi ? Plenitudinem deitatis, plenitudinem sapientiae, plenitudinem virtutis » (PL 176. 855 B).

tum *universalitate*, quatenus « anima Christi, secundum quod est instrumentum Verbi, habuit instrumentalem virtutem ad omnes immutationes miraculosas faciendas ordinabiles ad finem Incarnationis » (*a.* 2 c) ; tum *foecunditate*, quatenus se discipulis communicabat ; tum praesertim *facilitate et permanentia*, quatenus alii miracula non faciunt nisi aliquando, nec unquam pro lubitu suo, sed tantummodo ad ignotum sibi Dei beneplacitum, anima vero Christi quidquid ipsa voluit hoc potuit : Verbi igitur fuit organum potestativum, seu in cujus potestate esset divinam virtutem pro libero suo arbitrio applicare ad effectum producendum.

Hoc sensu anima Christi dici potest *omnipotens* et plenam habuisse potestatem etiam in dispositione proprii corporis. Attamen, quia « virtus actionis non proprie attribuitur instrumento sed principali agenti, talis omnipotentia magis attribuitur ipsi Verbo Dei quam animae Christi » (a. 3 c). Quo duplici sensu intellegas verbum : « *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam... Ego pono eam a me ipso et potestatem habeo ponendi eam ; et potestatem habeo iterum sumendi eam* ». (*Jo.* 10. 17-18). (Cf. S. Thomam : *Comp. theol.*, cp. 230).

399. 2°. **Cujusmodi influxum humanitas Christi habuerit in patranda miracula,** haud parva est inter theologos disceptatio.

A) Alii enim praeformatam suam opinionem de modo, quo sacramentalis ritus confert ad gratiam producendam, huc transferunt et humanitati Christi, qua Verbi instrumento, ascribunt influxum eumdem quem omni instrumento physico. Influxum imo illum admittunt non tantum in patrandis miraculis Christi, sed etiam in producenda apud homines gratia sanctificante, ita ut gratiam, saltem post Christum, hominibus infusam Christus non tantum humanitate sua meruerit olim sed etiam humanitate adhuc physice influente nunc efficiat.

Causalitas ea est, quae dicitur *physica* : influxus enim causae in effectum intellegitur esse physicus seu procedere ex ejus physica virtute [1]. Eam

(1) Qua occasione, recole sedulo in quo differat causa principalis et instrumentalis prout utraque est physica vel moralis. *Causa principalis physica* est quae naturali sua virtute producit effectum physice, nec agit ut inserviens fini alterius ; sic ignis calefacit ; *instrumentalis physica* est, quae ut elevata seu ex virtute sibi a causa principali communicata, et ut inserviens fini alterius effectum producit physice : sic penicillus respectu picturae. Similiter *causa principalis moralis* illa dicitur, quae virtute propria, merito et intentione seu, in genere, motu morali inducit causam efficientem physicam ad producendum physice effectum ; *instrumentalis* vero *moralis* dicitur, quae non ex propria virtute et intentione, sed ut subordinata voluntati et intentioni alterius, *inducit* causam physicam ad dandum esse effectui intento.

tuentur non tantum thomistae O. P. in genere sed etiam Suarez, Tanner, Gregorius a Valencia, Salmanticenses, etc. Quae, quo modo sit intellegenda, seu qui possit esse instrumenti creati influxus physicus in entitatem effectus transcendentis vires creatas, ab aliis ita exponitur ut aliis videatur inexcogitabilis.

Suarez, v. gr., invocat creaturae potentiam, quam dicit obedientialem activam, vi cujus creatura possit, accedente concursu divino ad effectum proportionato, efficere opera supernaturalia. Thomistae vero O. P. et alii, pro potentia hujusmodi, quam dicunt esse vocem inanem, excogitaverunt vel permanentem qualitatem [1], vel transeuntem motum humanitati Christi inditum [2], quo fiat ad praedicta opera instrumentaliter efficienda proportionata.

Eam vero qualitatem aut motum quid sit, haud melius ipsi declarare possunt quam Suarez suam potentiam obedientialem, ita ut, seposita vocum diversitate, singulae hujusmodi sententiae videantur simpliciter ascribere humanitati Christi virtutem effectivam effectuum, quos putant ab ea effici : mysterium proinde causalitatis physicae haud immerito dicas ab eis induci, quod ne conceptu quidem proprio apprehendi possit.

400. B) Mysterium vero hoc non pauci econtra simpliciter non constare tenent, et humanitati Christi influxum ascribunt, qui sit totus ac simpliciter ordinis moralis, seu modo tantum intentionali movens ad producendum effectum. Ita Alexander Halensis (p. 3, q. 3, m. 3, a. 3), S. Bonaventura (*in* 3, *dist.* 13, a. 2, q. 3), Melchior Cano (*Relect. de sacram.*, p. 4, q. 1), Vasquez (*disp.* 57, cp. 5-6) necnon recentiores plerumque theologi S. J., v. gr. Pesch, Billot, etc., cum S. Thoma, ut putant.

Moralis autem ea *causalitas* non est cur uniformis asseratur ; multis enim modis potest instrumentum potestativum seu liberum, quale Christi humanitas est, influere moraliter in effectum producendum, oratione v. gr., imperio, desiderio, voce vel quolibet alio signo, quo manifestetur instrumenti voluntas. Moraliter igitur ea voluntas effectum producit, quatenus ad ejus beneplacitum divina virtus miraculum aut gratiam ipsa sola physice et immediate efficit : non est proinde instrumentum, quo physice mediante, divina virtus effectum efficiat, bene vero instrumentum physicum, quo moralem actionem eliciente, Verbum, sicut Deo et sibi ipsi pro peccato satisfecit, pariter suae di-

(1) Capreolus, in 4, *dist.* 1, q. 1, a. 3, ad 4^{m} ; Ferrariensis, *in Cont. Gent.* IV. 56 ; Salmanticenses : *disp.* 23, *dub.* 6, § 1 ; Gonet : *disp.* 19, § 3, n^{o} 48 sqq.

(2) D. Soto, Cajetanus, etc. apud Johannem a S. Thoma : *disp.* 15, a. 3, *concl.* 4.

vinae virtuti significat ubi sit applicanda, vel, ut explicat Billot (*thes.* XXI), juxta metaphoram S. Gregorii Magni [1] a S. Thoma receptam [2], creaturae miraculose immutandae intimat divinum imperium effectus seipso efficax. Ex unione enim hypostatica humanitas Christi habet esse instrumentum, pro cujus arbitrio divinum imperium deferatur creaturis invincibiliter exsequendum [3].

De hac igitur controversia ea sit assertio nostra.

THESIS XXVIII — Nec miracula olim a Christo patrata, nec gratiam nunc hominibus infusam constat ascribi debere humanitati Christi, tanquam causae suae instrumentali physicae.

401. I. **Miracula : 1° Non constat ex Scriptura.** Nam :

A) *Multa miracula fuerunt ab humanitate moraliter tantum influente,* v. gr. : — a) ubi minando tantum et praecipiendo ejecit malos spiritus et compescuit ventos aut mare ; — b) ubi infirmantes, longe a se positos, sola sua voluntate fecit esse sanos.

Assertores causalitatis physicae nituntur explicare intrumentum *potuisse* etiam tunc influere physice. At eorum explicatio : 1° illegitime praesupponit realitatem influxus illius physici, quae prius statuenda esset ; — 2° arbitrarie assumit praesentiam seu contactum physicum requiri ad causalitatem physicam pro agente principali non autem pro instrumento, quasi instrumenti proprium sit posse influere physice etiam ubi non sit ; — 3° verbis haud parum ludere videtur, ubi, distinctione facta instrumenti ipsius et virtutis ejus physicae, concedit abesse quidem instrumentum at adesse virtutem ejus [4]. Hoc enim ipsum est quod probandum manet, virtutem scilicet physicam instrumenti exseri ubi non est instrumentum. Nec quidquam juvat quod instrumentum contingitur ab agente principali, nam quaestio est num illud agens operetur in loco A ope instrumenti, quod non habet operi suo applicatum nisi in loco B. Explicatio igitur ad hoc redit : Influit physice in distans instrumentum quia contingitur ab agente principali, a quo POSSET in distans transferri et applicari.

402. B) *In miraculis, quae fiunt cum actione aut tactu physico*

(1) *Dial.* II. 30. — (2) *De potentia,* q. 6, a. 4.

(3) Haud male, apud SUAREZ (*disp.* 31, s. 2, n. 4) et BILLOT (*loc. cit.*) munus et potestas hujusmodi comparatur potestati habituali qua gaudet sacerdos, vi ordinationis suae, ita ferendi hostiae consecrandae divinum imperium ut ad ejus vocem substantia panis convertatur in corpus Christi.

(4) Ita HUGON O-P. (*De Verbo incarnato,* p. 264).

corporis Christi, nihil probat contactum illum influere physice [1] *et non esse merum signum, quo manifestetur voluntas Christi ut fiat miraculum :* — a) Christus saepe, simul ac tangit, explicite exprimit voluntatem suam, quasi ad voluntatem et non ad tactum suum fiat miraculum. Sic v. gr. in mundato leproso : *Tetigit eum dicens :* VOLO, MUNDARE (*Mt.* 8. 2-3) ; in sanato surdo-muto : *Misit digitos suos in auribus ejus, et exspuens tetigit linguam ejus, et suspiciens in caelum ingemuit et ait illi : Ephpheta, quod est adaperire* (*Mc.* 7. 33-34) ; in suscitata puella : *Et tenens manum puellae, ait : Puella, tibi dico, surge* (*Mc.* 5. 41-42) ; item in suscitato filio viduae : *Tetigit loculum, et ait : Adolescens, tibi dico : surge* (*Lc.* 7. 14). — b) Ubi non exprimitur verbis, ea voluntas ipso tactu aut gestu manifestatur. Sic, in specie, impositione manuum, quae, ex usu hebraïco, habebatur ut signum benedictionis et implorationis aut effusionis virtutis divinae [2]. Gestus porro is est, quo quam saepissime curabat infirmos : *Omnes qui habebant infirmos variis languoribus ducebant illos ad eum. At ille singulis manus imponens curabat eos* (*Lc.* 4. 40). Sic curatur mulier curva (*Lc.* 13. 13) et *pauci* illi, quos *impositis manibus curavit* in civitate sua (*Mc.* 6. 5). Hoc adeo notum erat ut ei qui rogabant eum pro infirmo rogarent eum imponere manum : sic v. gr. Jaïrus pro filia sua (*Mc.* 5. 23) ; ei qui adducunt ei surdum et mutum « *ut imponat illi manum* » (*Mc.* 7. 32).Hinc etiam suorum admiratio quod « *virtutes tales... per manus ejus efficiantur* » (*Mc.* 6. 2).

403. C) *Miracula, quae ad merum ejus contactum fieri dicuntur, non dicuntur propterea esse ex illo contactu tanquam ex causa physice influente.* Hoc enim non constaret nisi quatenus constaret ea facta esse independenter a voluntate Christi conscia. Hoc porro ultimum non constat, imo nec admitti potest, nam ubi de eo dicitur : *Omnis turba quaerebat eum tangere, quia virtus de illo exhibat et sanabat omnes* [3], vel ubi ipse dicit : « *Tetigit me aliquis, nam ego novi virtutem de me exiisse* » [4], sensus non est ex corpore ejus corpoream exiisse virtutem, qua physice in infirmos agente, sanatio, ipso nolente, effecta sit, sed tantummodo, pro fide qua quaerebant eum tangere,

(1) Id est, « *per aliquid sibi proprium, dispositive operari ad effectum* principalis agentis », ut de omni instrumento asserit *S. Thomas* I, q. 45, a. 5 c.

(2) Cf. *art. Imposition des mains* apud DTC. VII. 1302-1305.

(3) *Lc.* 6. 19.

(4) *Lc.* 8. 46.

concessam esse ab ipso Christo sanationem [1]. Ea ipsa est miraculi explicatio ab ipso data hemorroïssae, quae, tacto vestimento suo, sanata est : « *Fides tua te salvam fecit ; vade in pace et esto sanata a plaga tua* »[2]. Tactus igitur hujusmodi signum est ipsorum infirmantium fidei subjectivae, quam Christus vult miraculo praemiari ut fidem faciat se, in ea carne humana ad quam accedunt, esse Deum omnipotentem. Actio proinde humana in effectum vere influens est ordinis mere moralis, actus scilicet voluntatis, quo, in praemium et ad augmentum fidei, Christus vult divina sua virtute sanari eum qui carnem tangit aut a carne tangitur [3].

404. 2° **Non constat per Patres.** — Patres sane norunt, in perficiendis miraculis Christi, intercessisse humanitatis ejus contactus et actus physicos : hoc sensu dicunt manus, linguam, etc, Verbo fuisse

(1) Advertas enim haec duo : 1°. Vox « virtus » (δύναμις), ubi de patratis miraculis apud evangelistas adhibetur, non significat vim corpoream sed vim specifice divinam. Cf. v. gr. : « *Virtus Domini erat ad sanandum eos* » (*Lc.* 5. 17) : « *Virtutes operantur in illo* » (*Mc.* 6. 14 et *Mt.* 14. 2). Haud raro immo significat ipsa miracula divinitus patrata : v. gr. : « *Unde huic... virtutes tales, quae per manus ejus efficiuntur ?... Non poterat ibi virtutem ullam facere.* (*Mc.* 6. 2 et 5 ; cf. *Mt.* 13. 54). « *Si in Tyro et Sidone factae fuissent virtutes quae factae sunt in vobis* » (*Lc.* 10. 13 et cf. *Mt.* 11. 20, 21, 23). « *Laudare Deum... super omnibus, quas viderant, virtutibus* » (*Lc.* 19. 37). — 2°. Jesus, apud *Mc.* 5. 30, dicitur « *virtutem, quae exierat de illo* » cognovisse in semetipso (ἐπιγνοὺς ἐν ἑαυτῷ) simpliciter, dum econtra, versiculo antecedente, mulier se sanatam esse dicitur *cognovisse corpore suo* (ἔγνω τῷ σώματι). Haec autem formularum diversitas haud parum innuit « virtutem », de qua Christus, non eam esse quae corporis sit, seu quae ab illo influente exeat. Optime igitur commentatur P. Huby : « Il sent qu'une force est sortie de lui : ce qui n'est pas à interpréter, remarquent déjà les anciens, au sens local et temporel, comme s'il s'agissait de l'émission d'un fluide, instrument de toute puissance divine ; l'humanité du Christ a opéré le miracle par un seul acte de sa volonté consciente » (*Évangile selon saint Marc,* p. 230).

(2) *Mc.* 5. 34 Hinc recte apud P. Lagrange : « Éclairés par les faits, les Pères ont noté la différence du contact par la chair et du contact par la foi... Jésus voulait peut-être... corriger ce qu'il y avait d'un peu superstitieux dans l'esprit de cette femme, et lui apprendre que, si Dieu l'avait exaucée, ce n'était pas tant à cause du contact que de sa foi » (*Évangile selon saint Marc,* p. 137).

(3) R. P. Hugon, etsi fatetur locutiones illas « nonnihil metaphorici redolere », tamen vult in eis « certissime innui » causalitatem instrumentalem physicam. (*De Verbo incarnato,* p. 259). Rationem non dat aliam nisi quia illa interpretatio sit sola obvia (*ibid.* p. 260). Addit tamen ibidem, « in opinione de causalitate tantum morali, induci videri quemdam occasionalismum, cujus ratio nos lateat ». Utrum nostra interpretatio sit minus obvia lectoris est judicare. At certe nemo non mirabitur *minus* « nos latere rationem » causalitatis instrumentalis physicae, quae in quo sit nec sui assertores definire norunt.

instrumentis, quorum ope miracula, sicut et alia sua humana opera, perageret.

At quaestio est num instrumentis et actibus illis ascripserint influxum directum et immediatum in effectu miraculoso. De ratione enim causalitatis physicae est instrumento inesse virtutem et actionem, ab actione agentis principalis distinctam, qua, tanquam « per aliquid sibi proprium, dispositive operetur ad effectum principalis agentis »[1]. Eatenus igitur agnoscatur a Patribus causalitas physica humanitati, quatenus agnoscatur illi virtus et actio, *distincta ab actione Verbi divina*, quae, sub influxu tamen illius, operetur *immediate et physice* ad opus miraculosum efficiendum.

Jamvero omnino non constat Patres influxum hujusmodi ascripsisse unquam humanitati Christi.

Hoc imo negant alii explicite, alii implicite.

405. A) *Explicite negant* ii omnes qui, distincta utriusque naturae vi operativa physica, miraculorum efficientiam dicunt deitatis propriam, nec humanitatem dicunt conferre quidquam quod excedat connaturalem ejus agendi modum. Sic, v. gr. :

S. Athanasius, ubi explicat quo modo corpus, ratione unionis, factum sit Verbo per modum « organi », omnia reducit ad meram, quam dicimus, communicationem idiomatum [2].

(1) « Causa secunda instrumentalis non participat actionem causae superioris, ***nisi in quantum per aliquid sibi proprium dispositive operatur ad effectum principalis agentis.*** Si enim nihil ibi ageret secundum illud quod est sibi proprium, frustra adhiberetur ad agendum, nec oporteret esse determinata instrumenta determinatarum actionum. Sic enim videmus quod securis, scindendo lignum, quod habet ex proprietate suae formae, producit formam scamni, quae est effectus proprius principalis agentis » (I, q. 45, a. 5.) Cf. pariter III, q. 62, a 1, ad 2^{m} : « Instrumentum habet ***duas actiones :*** unam instrumentalem, secundum quam operatur non in virtute propria sed in virtute principalis agentis ; ***aliam autem habet actionem propriam,*** quae competit ei secundum propriam formam, sicut securi competit scindere ratione acuitatis suae, facere autem lectum in quantum est instrumentum artis. Non autem perficit instrumentalem actionem, ***nisi exercendo actionem propriam :*** scindendo enim facit lectum ». Item III, q. 72, a. 3, ad 2^{m} : « Instrumentum virtutem instrumentalem acquirit dupliciter, scilicet quando accipit formam instrumenti, et quando movetur a principali agente ad effectum ».

(2) Hinc apparet quam illegitime, ex solo facto quod humanitas sit Verbo per modum organi, concludatur simpliciter ad collatam illi divinitus novam influendi virtutem physicam. Carne enim Verbum tanquam organo utitur ad ea etiam opera efficienda quae virtutem tantum humanam supponunt. Cf. supra p. 170-171).

Sicut ea quae sunt propria carnis dicuntur esse Verbi, quia ipse in ea erat (ἐπειδὴ ἐν αὐτῇ ἦν), ita « ea quae sunt propria Verbi opera *ipse* (αὐτός) per suum proprium corpus efficiebat... et caro subserviebat operibus divinitatis, quia [ipse] in ea devenerat (ὅτι ἐν αὐτῇ ἐγένετο): Dei enim corpus erat ». (*Or. cont. Ar.* III, 31 PG 26. 389 A-B). Hinc, sicut « passio etiam dicitur esse Verbi propterea quod, carne patiente, non extra eam erat Verbum » (οὐκ ἦν ἐκτὸς αὐτῆς ὁ Λόγος), ita opera Patris ascribuntur illi homini facto propterea quod, « illo faciente divinitus opera Patris, caro non erat extra eum sed Dominus illa faciebat [existens] in ipso suo corpore (οὐκ ἦν ἔξωθεν αὐτοῦ ἡ σάρξ, ἀλλ' ἐν αὐτῷ τῷ σώματι ταῦτα ὁ Κύριος ἐποιεῖ) (*Ibid.* 389 C).

Consequenter, seu doctrina illa generali factis singularibus applicata, S. Athanasius addit Christum, ubi socrum Petri curavit, « humanitus quidem extendisse manum, divinitus vero repressisse morbum » ; ubi caecum natum sanavit, « humanum e carne emisisse sputum, divinitus autem oculos aperuisse per lutum » ; ubi Lazarum suscitavit, « vocem quidem, ut hominem, emisisse humanam, divinitus vero, ut Deum, Lazarum excitasse a mortuis » (*Ibid.* 392 A).

S. Augustinus, ubi rationem, cur, in Cana, Beata Virgo non potuerit quidquam in accelerando miraculo, deducit ex eo quod miraculum esset divinitatis et non humanitatis opus : « Quia non erat illa mater divinitatis et per divinitatem futurum erat miraculum quod petebat, respondit ei : *Quid mihi et tibi est, mulier ?*.... Quod de me facit miraculum, non tu genuisti ; divinitatem meam non tu genuisti » (*In Jo. tr.* 8. 9 PL. 35. 1456 et 1455). Ea porro explicatio nullatenus valeat si supponatur ulla physica humanitatis in miraculum efficientia.

S. Leo Magnus pariter, ubi discernit « proprium » quod « agit utraque forma cum alterius communione, Verbo scilicet operante quod Verbi est, et carne exequente quod carnis est », soli Verbo ascribit coruscare miraculis : « *Unum horum coruscat miraculis, aliud succumbit injuriis* » (D-B. 144 ; C. 681). Manifestum est autem influxum ibi distingui physicum, qui in hujusmodi operibus utriusque formae exclusive proprius sit. Partes igitur physicas humana forma excluditur habere plures in efficiendis miraculis quam divina forma in subeundis injuriis.

406. S. Joannes Damascenus eodem modo suam utriusque naturae distinguit efficientiam physicam.

Miraculorum enim virtutem ascribit soli deitatis Christi operationi (ἡ μὲν τῶν θαυμάτων δύναμις τῆς θεότητος αὐτοῦ ὑπῆρχεν ἐνέργεια), sicut soli

humanitatis operationi ascribit manum adhibere, velle et dicere: *Volo, mundare* (ἡ δὲ χειρουργία, καὶ τὸ θελῆσαι, καὶ τὸ εἰπεῖν, θέλω, καθαρίσθητι, τῆς ἀνθρωπότητος αὐτοῦ ὑπῆρχεν ἐνέργεια) (*De fide orth.* III, 15 PG. 94. 1049). DISJUNCTIO igitur est ADAEQUATA, proptereaque in effectu ipso (ἀποτέλεσμα), suis utrique naturae assignatis partibus, humanae quidem dicitur fuisse fractio panum et prolatio verborum, divinae vero multiplicatio panum et mundatio leprosi (1049-1052A). Eadem porro est EXCLUSIVA, siquidem additur velle et operari humanum, etsi ratione unionis hypostaticae deificatum est (τεθέωνται), tamen haud magis excessisse suos proprios limites (τῶν οἰκείων οὐκ ἐξίστανται ὅρων), seu suam excessisse vim naturalem, quam caro, ratione deificationis hujusmodi, ullam suae naturae mutationem passa est (μεταβολὴν τῆς οἰκείας οὐ πέπονθε φύσεως) (*Ibid.* 1052A-B).

Hinc explicatur, in resurrectione puellae, « opus (ἀποτέλεσμα) quidem humanae actionis fuisse manum puellae tenere ac trahere, at divinae fuisse vivificare » (1056 A). Item humana natura dicitur *haud magis vivificasse* Lazarum quam *divina natura flevisse*. Nam, etsi, ratione unitatis suppositi, divina et humana erant communia, tamen « gloria profluebat physice ex divinitate » (ἐκ μὲν τῆς θεότητος ἡ δόξα φυσικῶς προιοῦσα), ita ut « divina quidem signa divinitas operaretur, — *non sine carne tamen* — at humilia caro — sed non seorsim a deitate » (*Ibid.* 1057 A-B).

Nec obstat quod Damascenus carnem humanam aperte vocat « divinitatis instrumentum ». (1060 A et 1079 B). Nam hoc deducit simpliciter ex unitate suppositi, vi cujus neutra forma in Christo agit quae sunt sibi propria sine alterius consortio. Explicat enim ex hujusmodi unione esse tum quod, divinitate Verbi operante, mens humana ei conjuncta cogitet et cognoscat ea quae sic peraguntur (1057 C et cf. 1079 B), tum quod in humanitate motus naturalis nullus prorumpat in actum nisi ad nutum Verbi, cujus sit in composito omnia regere et gubernare (1060 A-B et cf. 1079 B). Illum vero non putare ullam propterea accrescere instrumento virtutem physicam exinde patet quod, adducto exemplo gressus in mari, explicite dicit miraculum factum esse, non ex ulla speciali virtute pedibus Christi concessa aut ex soliditate aquis collata, sed ex « superexcellenti divinitatis virtute, quae efficiebat ut aqua nec diffluerent nec pedum corporeorum gravitati cederet » (1060 B).

407. B) IMPLICITE NEGANT ii omnes, qui negant ex unione accrevisse naturae humanae Christi novum ullum agendi modum, seu unionem seipsa influxisse quidquam in operationem Christi formaliter humanam, unde protendere possit ultra proprias naturae vires.

Hoc, jam supra ex Damasceno explicite recitatum, confirmatur *comparatione* toties apud Patres occurrente *carnis Verbo unitae cum ferro igne candenti*. Explicant enim ex mutua illa utriusque naturae compenetratione fieri ut una jam non agat seorsim ab altera, proindeque ignis jam non sit ustio sine ferri sectione, nec ferri sit sectio sine ignis ustione, minime vero fieri ut virtus propria ferri supra naturam suam extollatur.

« In candenti gladio, ait *Damascenus*, sicut tum ignis tum ferri naturae servantur, ita et duae actiones et eorum effecta. Nam et ferrum secandi et ignis urendi vim habent, [ita] ut sectio quidem actionis ferri opus sit, ustio autem ignis, ac discrimen tum in ferri ardenti sectione tum in secta ustione servetur, tametsi, post hujusmodi unionem, nec ustio citra sectionem sit, nec sectio sine ustione » (1053 D). Eodem porro modo, pergit, in operatione theandrica qualis est suscitatio mortuae puellae, « puellae manum apprehendere » et « ad vitam revocare, » etsi non possunt ab invicem disjungi, tamen sunt « aliud et aliud » (1056 A) seu, ut jam supra notatum est, aliud ab alio adaequate distinctum : quod excludit in apprehensione manus esse quidquam quod humanam excedat vim agendi physicam.

408. *Nec dissentit* S. Cyrillus Alexandrinus, ubi carnem Christi docet esse vivificatricem. Nam vim illam vivificandi, quam illi agnoscit, prorsus excludit esse aliam ac ipsam deitatis virtutem vivificam, quae, ratione unitatis suppositi, jam de ipsa carne praedicari possit[1]. Is saltem sensus est anathematismi illius 11[1], quo decernit carnem Christi agnosci « vivificatricem » ideo praecise quia « facta est propria Verbi, quod omnia vivificandi vim habet » (D-B. 123). Urget nempe contra Nestorium inesse carni Christi eam ipsam virtutem vivificandi, quae Verbi ipsius est. Et hoc, re vera, secum fert naturalis Verbi ad carnem unio, qualem S. Cyrillus intellegit et vi cujus « Unigenitus [Dei est], unus existens Filius, [qui] cum unito sibi sancto corpore miracula efficiebat » (*In Lc.* IV. 38 PG 72. 552 A-B).

(1) Hoc non satis attendisse videntur ii qui putant ex S. Cyrillo posse desumi pro causalitate physica argumentum validissimum. Illorum opinioni eatenus tantum faveat, quatenus vim vivificandi de carne praedicatam intellegat virtutem carni, ratione unionis, inditam, quae, etsi a deitatis virtute promanet, ab ea tamen distinguatur realiter. Secus enim S. doctor vel simpliciter praedicet de carne, vi suppositi, id quod est naturae divinae proprium, vel carni qua tali ascribat virtutem et proprietatem formaliter divinam. Prius porro patet minime juvare fautores causalitatis physicae ; posterius vero ii soli admittant, qui putent S. Cyrillum monothelismo re vera indulsisse, vel praelusisse errori supra memorato de omnipotentia divina a natura humana formaliter participata.

Propterea ipse, in sua ad Nestorium praemissa anathematismis epistola, per modum unius habet carnem Christi « *esse vivificam* » et « *esse Verbi propriam* ». Rationem vero dat quia Verbum, « cum naturaliter, ut Deus, sit ipse vita, postquam *unum* cum sua ipsius carne factum est (ἐπειδὴ γέγονεν ἓν πρὸς τὴν ἑαυτοῦ σάρκα), *vivificam illam exhibuit* »[1]. Quod jam prius docuerat, ubi exposuerat « Verbum vivificum, inhabitando carni, eam in suum bonum, id est, in vitam, reformasse (μετεσκεύασε) et, plena illa et ineffabili sui cum ea conjunctione, eam demonstrasse vivificam haud secus ac ipse naturaliter est »[2]. Addiderat jam tunc eam fuisse rationem cur Salvator carnem suam adhiberet quasi cooperatricem (συνεργάτην) in efficiendis miraculis, « ut ostenderet, scilicet, illam posse vivificare et quasi unum jam factam esse ad ipsum » (ὡς ἓν ἤδη γενομένην πρὸς αὐτόν)[3]. Quo eodem sensu, post concilium Ephesinum et unionem cum Orientalibus, explicabat Joanni Antiocheno *filium hominis* ideo posse dici de caelo descendisse quia Filius Dei « unus jam cum carne sua consideratur » (*Epist.* 39 PG. 77. 180 A). *Ea scilicet omnia, vivificare et de caelo descendisse, de carne dicuntur ratione suppositi, seu ratione illius « unius naturae Verbi incarnatae »*, quam S. Cyrillus in Christo prae mente semper habet.

409. Doctrina igitur S. Cyrilli explicita est carnem Christi ideo quidem at ideo tantum vivificam esse quia, ubi « facta est caro ejus qui vivificat omnia, habuit vivificam ejus virtutem et operationem » (*Epist.* 50 ; Ibid. 261 D), seu, ut alibi ait, « *Verbum suae carni immisit* suam ipsius *vivificantem virtutem et operationem* » (ἐνήσει... τῇ ἰδίᾳ σαρκὶ τὴν ζωοποιὸν ἑαυτοῦ δύναμιν καὶ ἐνέργειαν) (*Quod unus sit Christus* PG. 75. 1361 A). Quod forte nonnullis videatur sapere monothelismum, at certe tacet omnem virtutem physice vivificandi a divina distinctam.

Eadem haud minus ignoratur, ubi ratio datur cur Christus manus impositione atque tactu miracula effecerit, aut quo sensu virtus de illo exierit. Nulla enim allusione facta ad subordinatam illam vivificandi virtutem, omnia referuntur simpliciter et immediate ad divinam Verbi ipsius virtutem carni inditam. Impositione v. gr. manuum infirmi curati dicuntur, ut constet « Verbi virtutis operationem gestari sancta carne, quam fecit suam, ingesta illi virtute Deo congrua » (ὅτι τῆς τοῦ Λόγου δυνάμεως τὴν ἐνέργειαν πεφόρηκεν ἡ ἁγία σὰρξ ἣν ἰδίαν ἐποιήσατο, θεοπρεπῆ τὴν δύναμιν ἐμφυτεύσας αὐτῇ) (*In Luc.* IV. 38 PG. 72. 549 D et 552 C). Non solo sermone, sed etiam corporali loculi tactu, filius

(1) *Epist.* 17 (PG. 77. 113 D). — (2) *In Joan.* IV. 6, 52 (PG. 73. 565 D).

(3) *Ibid.* 54 (577 C et cf. B : « αὐτοῦ λελόγισται καὶ ὡς εἷς νοεῖται σὺν αὐτῷ,... ἓν τῇ συνόδῳ καὶ ἀπερινοήτῳ συνδρομῇ).

viduae suscitatus est, quia « corpus Christi corpus erat Vitae et caro omnipotentis Verbi atque virtutem ejus gestabat..., vivificum, quoniam... cunctam ejus efficaciam continens » (*In Luc.* VII. 14, *Ibid.* 609 C).

Virtus vero, quae dicebatur de illo exire et sanare omnes, intellegitur a S. Cyrillo manasse ab ipsa divina natura [1], cujus dicit esse proprium « virtutem hujusmodi de se emittere : id enim congruit soli supremae atque altissimae naturae » [2].

Explicite tandem, occasione resurrectionis Christi, quam dicit ascribendam non humanitatis sed deitatis ejus virtuti, S. Cyrillus explicite dicit « *vivificationem referendam esse ad supremam virtutem et naturam, quae est supra omnem creaturam,* NULLATENUS *vero ad virtutem ipsius corporis, etiamsi factum est proprium Verbi divini* » [3].

410. Conclusio. Manet igitur Patribus penitus ignotam esse virtutem *ordinis creati,* humanitati Christi collatam, quam physice influentem Verbum adhibuerit ad effectionem miraculorum. Quod carne tanquam organo Verbum utatur, hoc Patribus est simpliciter indicio voluntatis ut agnoscatur esse vera carne indutus qui miracula facit.

Quotquot igitur argumenta ducuntur ex notione vulgari instrumenti physici, ea sunt praeter mentem eorum, nec proinde ut patristica haberi debent. Manent simpliciter a priori et factum statuendum supponunt.

411. II. **Gratias nunc infusas hominibus** esse ab humanitate Christi tanquam a causa instrumentali physice etiam nunc influente deducitur a fautoribus suis per modum corollarii ex eis quibus sibi videntur probasse causalitatem physicam quoad miracula olim a Christo peracta.

Aiunt enim vim vivificandi, qua caro Christi donatur ratione suae unionis cum Verbo, tamdiu manere quam manet unio, nec proinde minorem esse post quam ante Ascensionem. Quod diffitendum non

(1) *In Luc.* VI. 17 : « Οὐκ ἰσχὺν ἐδανείζετο τὴν παρ' ἑτέρου Χριστὸς, ἀλλ' αὐτὸς ὢν φύσει Θεὸς, εἰ καὶ γέγονε σὰρξ, τὴν ἐπὶ τοῖς κάμνουσιν ἐκπέμπων δύναμιν, ἰᾶτο πάντας » (PG. 72. 588 C). Item : *adv. Nestor.* IV. 1, ubi « virtus ab illo exiens dicitur esse Spiritus ejus » (PG. 76. 176 A).

(2) « Ἔστι δὲ μέτρων ἐπέκεινα τῶν καθ' ἡμᾶς, ἢ τάχα που καὶ ἀγγελικῶν, τὸ δύνασθαι δύναμιν ἐκπέμψαι τινά.... πρέπει δὲ μόνῃ τὸ χρῆμα τῇ πάντων ἐπέκεινα καὶ ἀνοτάτῳ φύσει » (*In Luc.* VIII. 45 PG. 72. 637 A).

(3) « Ἀναθετέον οὖν ἄρα τὴν ζωοποίησιν, καὶ μάλα εἰκότως, οὐκ αὐτῇ που πάντως τῇ τοῦ σώματος φύσει, κἂν εἰ γέγονεν ἴδιον τοῦ ἐκ Θεοῦ φύντος Λόγου· δυνάμει δὲ μᾶλλον τῇ ὑπερτάτῃ καὶ φύσει τῇ ὑπὲρ κτίσιν » (*Ad reginas de recta fide or. alt.* 51 PG. 76. 1408 A-B).

est ; at conclusio inde ducta praesupponit duo facta statuenda, nempe : 1° vim illam vivificandi esse ordinis physici ; 2° eamdem exseri nunc non tantum quoad gratias infusas, ubi et quando humanitas Christi praesens est, v. gr. in Eucharistia, sed etiam quoad eas quae infunduntur ubi omnino non est : quod ultimum totam reducit quaestionem non tantum de possibilitate sed etiam et imprimis de realitate actionis corporeae in distans.

Duo porro hujusmodi facta non est cur iterum demonstremus non constare ex Scriptura aut patristica traditione. Constat sane ex utroque illo fonte actionibus Christi humanis, quia et qua sunt actiones Verbi, competere *dignitatem et valorem,* cujus intuitu salus et gratia nobis obveniat, at non eo ipso constat easdem actiones influxisse aut influere physice in eamdem gratiam in nobis producendam.

De his igitur satis sit duas hic apponere notas: .

Nota 1ª. Influxus physicus humanitatis in ipsam gratiam difficilius admittitur [1], proindeque clarius adhuc quam influxus in miracula constare deberet per fontes revelationis. Entitas enim gratiae exsurgit in nobis ut effectus directus et immediatus Spiritus Sancti nobis adhaerentis. Jamvero, hoc posito, influxus physicus in ipsam gratiam implicat influxum physicum in ipsam Spiritus Sancti missionem : quod ex parte humanitatis Christi tum videtur in se repugnare tum contradicit effato patristico : Christus Spiritum dedit, ut Deus, at, ut homo, tantummodo recepit.

Nota 2ª. Gratiam effici instrumentaliter ab humanitate Christi videtur esse contra mentem Tridentini. Concilium enim, ubi justificationis assignat causas, Deum tantum nominat ut causam efficientem. Actiones autem Christi humanas non dicit esse nisi causam meritoriam ; ut causam vero instrumentalem non assignat nisi sacramentum. (D-B 799 ; C. 879).

412. Scholion : **De mente S. Thomae.**

Physicam eum tueri causalitatem asserunt thomistae O. P. plerique ; alii vero non pauci negant. De quo sint haec pauca.

1° Certum est nec quisquam diffitetur eum omnino tenere *animam*

(1) S. Thomas propterea haud minus in sanctificatione quam in ipsa creatione excludit creaturam posse Deo cooperari sicut « instrumentum artifici a quo movetur... Secundum [eum] modum, creatura potest dici Creatori cooperari quantum ad aliquos effectus, qui fiunt mediante creatura, non tamen quantum ad illos effectus, qui sunt immediate a Deo, *ut creatio et sanctificatio* » (*Cont. err. Graec. l.* I, cp. 23).

et *humanitatem* Christi habendam esse in genere ut *instrumentum* Verbo unitum. Manifestum pariter est eum multa deducere ex notione communi instrumenti, quin attendat utrum per fontes revelationis constet humanitatem esse miraculi instrumentum sensu illo proprio et formali.

2ª *Quod assumunt multi,* instrumentum apud eum non intellegi nisi *quod physice influat* in effectum causae principalis, hoc *aperte contradicit explicitae ejus assertioni* « spiritus humanos vel angelicos agere quodammodo ut instrumentum divinae virtutis ad miraculi perfectionem », etiam ubi simpliciter deferunt ad creaturas immutandas divinum imperium, quo solo miracula efficiuntur (*De pot.* q. 6, a. 4).

413. 3° S. Thomas, tribus saltem locis, quibus ex professo agit de modo quo miracula in genere fiunt, aperte docet ea non fieri a creaturis *nisi secundum causalitatem moralem.*

In 3, *dist.* 16, q. 1, a. 3 dicit : « Ejus solius est immutare legem et cursum naturae impositum, qui naturam instituit et ordinavit ; ...et ideo neque aliqua virtus corporalis, nec spiritualis, aut animae aut angeli, *nec etiam animae Christi,* potuit ad immutationem legis naturae impositae divinitus, *nisi per modum orationis et intercessionis ;* et ideo hoc fuit signum deitatis Christi, quod imperando signa perficiebat, et non orando, sicut alii sancti ».

De pot. q. 6, a. 4, quaestioni positae, « utrum boni angeli et homines per aliquod donum gratiae miracula facere possint », respondet eos hoc posse, « in quantum sunt divinae virtutis ministri », triplici modo : 1° « precibus impetrando » ; 2° « materiam disponendo sua naturali virtute ad hoc quod miraculum fiat » ; 3° « coagendo » seu « cooperando », ut ait S. Gregorius de eis qui « potestative » miracula faciunt ». Hoc porro ultimum qualiter fiat explicat modo supradicto, per delatum scilicet divinum imperium, quo sic ab eis praesentato creaturae immutentur et miracula fiant. — Alibi vero explicite dicit : « Miracula *sola* divina virtute egente fiunt, quamvis ad miraculi expostulationem aliqua creatura *cooperetur vel orando* vel qualitercumque aliter *ministerium* exhibendo ». (*De verit.* q. 27, a. 3c, 1ª *ratio*).

II. II, q. 178, a. 1, ad 1ᵐ, quaestione posita, « utrum sit aliqua gratia gratis data ad miracula facienda, » difficultatem contra hoc ductam ex eo quod « miracula fiunt etiam ad tactum corporis mortui » proindeque etiam ubi jam non est anima, cui insit gratia, difficultatem, inquam, hanc solvit exponendo principium miraculi non esse « aliquam qualitatem habitualem manentem in anima », sed simpliciter *motum mentis* hominis, quo « *facit aliquid ad quod sequitur effectus miraculi, quod Deus sua virtute facit* ».

Motum vero illum explicat esse modo *orationem* miraculo praemissam, modo meram hominis *voluntatem,* quando scilicet sancti « ex potestate miracula exhibent,... *Deo ad nutum hominis operante* » : sic v. gr. quando « Petrus Ananiam et Saphiram mentientes morti, increpando, tradidit » [1].

414. 4°. *Qui,* his non obstantibus, *tenent eum docere causalitatem physicam,* ii *duplici imprimis moventur argumento.*

A) Ex eo quod III, q. 13, a. 2 c, asserit virtutem instrumentalem animae Christi ideo non se extendisse ad « immutationes creaturarum secundum quod sunt vertibiles in nihil », quia immutationes hujusmodi « correspondent creationi rerum », quae solius Dei est : Jamvero, subsumunt, ratio ea non valeret si virtus illa non intellegeretur physica, nam vis moralis ad impetrandum a Deo aliquod miraculum haud minor evadit quia impetranda sit alicujus creaturae creatio aut annihilatio.

B) Ex eo quod non paucis in locis, praeter causalitatem, quae est per meritum, ascribit humanitati Christi, prout est instrumentum divinitatis ejus, causalitatem, quam vocat efficaciae, efficientiae, aut simpliciter instrumentalem.

Sic v. gr. III, q. 8, a. 1, ad 1^{m} explicat « actiones ejus fuisse nobis ex virtute divinitatis *salutiferas* », quatenus « gratiam in nobis causantes *et per meritum* et *per efficaciam quandam* » : qua ratione, ait, Christo, « secundum quod est homo, convenit *instrumentaliter* dare gratiam et Spiritum Sanctum » ; — q. 48, a. 6 dicit « passionem Christi *efficienter* causare salutem humanam », quatenus « omnes actiones et passiones ejus *instrumentaliter* operantur ad salutem humanam ». Hinc, ad 3^{m}, distinguit « agere *per modum efficientiae* », quod convenit passioni Christi « secundum quod comparatur ad divinitatem ejus » et « agere *per modum meriti* », quod eidem convenit « in quantum comparatur ad voluntatem animae Christi » ; — q. 64, a. 3 dicit Christum, secundum quod est homo, « operari ad interiores effectus sacramentorum *meritorie et efficienter* », quatenus passio ejus « causa est nostrae justificationis et *meritorie et effective,...* per modum instrumenti ».

Porro, aiunt, causare « meritorie » est causare moraliter. Ergo causare « efficienter » seu « effective », cum contradistinguatur ab eo, intellegitur causare physice.

(1) Etiam tunc, quando scilicet Dei virtus, « ad nutum hominis », ipsa miraculum efficit, S. Thomas notat « Deum principaliter operari, [et] uti *instrumentaliter,* interiori motu hominis » — Causalitatem igitur instrumentalem hic etiam intellegit mere moralem.

415. 5°. *Illa tamen interpretatio,* cum contradicat tam aperte dictis in locis ubi ex professo agit de modo quo fiunt miracula, *non parvae dubitationi subjacet.* Et, re vera :

A) Quoad primum argumentum, duo objiciuntur gravia : — a) Arguendo tantummodo conclusio eruitur, quae contradicit explicitis assertionibus ejus. Sanae porro methodi non est processus hujusmodi, rectiusque mens alicujus auctoris determinatur per ea quae explicite enunciat, ubi quaestionem ex professo solvit, quam per consequentias aliunde ductas. — b) Etiam causalitas moralis humanitatis Christi intellegitur non posse extendi ad creationem. Posito enim, ut ponitur apud S. Thomam (*De pot.* q. 6, a. 4), creaturam cooperari miraculis praesentando naturae divinum imperium quo fiat miraculosa mutatio, jam patet in creatione non esse locum cooperationi hujusmodi : non est ibi natura seu subjectum immutandum, cui intimetur divinum imperium [1]. Cf. supra, p. 348, nota.

416. **B) Quoad secundum argumentum,** conclusio nititur tota praesupposito quod omne « agere », apud S. Thomam, distinctum ab « agere per modum meriti », intellegatur ab eo non jam de causalitate morali sed physica : hinc enim est cur apud eum *agere efficienter, effective, per modum efficientiae,* assumatur ut significans causare physice rem effectam.

Jamvero : **a)** Praesuppositum illud gratuitum et falsum est. Loco enim citato (q, 48, a. 6. ad 3^{m}) distinguit ab *agere per modum meriti* non tantum *agere per modum efficientiae* sed etiam *per modum satisfactionis, per modum redemptionis, per modum sacrificii,* quae tamen patet ab eo intelligi de causalitate non physica sed morali [2]. — **b)** Ipsa formula « *agere*

(1) Si cui plene non arrideat ea argumenti prolati solutio, is tamen fateatur eam esse magis obviam minusque arbitrariam quam solutionem qua thomistae, v. gr. Gonet (*Disp.* 19, a. 2, § 2, n. 29), nituntur eludere assertum explicitum S. Thomae recitatum, n. 413, ex *Comment. Sent.* Quod enim ibi Angelicus dicit de « anima Christi » contradistincta ab anima humana in genere et ab angelis, illi velint esse dicta de anima considerata non ut Verbo conjuncta sed tantummodo ut est « secundum suam propriam naturam » !

(2) Definit enim ipse a) *per modum satisfactionis causare :* « exhibere offenso id quod aeque vel magis diligit quam oderit offensam » (q. 48, a. 2 c) ; — b) *per modum redemptionis causare :* « per passionem, quam ex obedientia et charitate sustinuit, liberare a peccatis, quasi per pretium suae passionis, sicut, si homo per aliquod opus *meritorium*... redimeret se a peccato » (q. 49, a. 1 c et cf. 48, a. 4 c) ; — c) *per modum sacrificii operari :* « aliquid fieri in honorem proprie Deo debitum, ad eum placandum » (q. 48, a. 3 c). Cf. etiam q. 62, a. 5 c, ubi pariter juxtaponuntur *efficienter, meritorie* et *satisfactorie.*

efficienter » a S. Thoma usurpatur etiam ubi non potest intellegi de efficientia physica, nam etiam mysteria vitae Christi, in specie ejus passio et resurrectio dicuntur ab eo operata salutem nostram per modum efficientiae ; mors imo ipsa Christi dicitur esse causa resurrectionis corporum « secundum rationem efficientiae » (q. 56, a, I, ad 4[m]). Jamvero ea omnia jam non sunt et omni entitate physica carent. Ea porro, quae physice non sunt, repugnat intellegi agere physice. Ergo, apud S. Thomam, *agere efficienter* non semper intellegitur agere physice.

Et, re vera, S. Thomas, solvendo quaestionem qui passio Christi possit efficienter operari salutem omnium, cum « agens corporale non agat nisi per contactum », ipsa vero « non potuerit contingere omnes homines », explicat eam non « sortiri efficaciam » nisi « per contactum spiritualem, scilicet per fidem et fidei sacramentum, secundum illud apostoli [*Rom.* 3. 25] : *Quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius* » [1]. Jamvero efficacia consequens ad contactum hujusmodi non potest dici ordinis physici, nam contactus is non est physicus.

Attendas praeterea passionem Christi, ex mente S. Thomae, operatam esse modo ab ipso explicato non tantum salutem nostram sed etiam eorum omnium qui, ante Incarnationem, mortui sunt justificati. Ipso enim aperte fatente, « per fidem passionis Christi justificabantur antiqui patres sicut et nos » (q. 62, a. 6 c). Per eumdem igitur « contactum spiritualem » ac apud nos, passio Christi apud eos « efficaciam sortiebatur suam », nam haud minus pro illis quam pro nobis Deus Christum *proposuit propitiatorem per fidem*. Jamvero repugnat, et Thomistae generatim negant, humanitatem et mysteria Christi influxisse physice priusquam Christus esset [2]. Ergo operari salutem per modum efficientiae, modo quo exponitur a S. Thoma de illis quos « non potuit contingere passio Christi », non potest intellegi secundum influxum physicum.

417. 6°. **Quo igitur sensu debeat intellegi,** tibi constabit, si prius observaveris eum, ubi pressius determinat quid sit pro humanitate aut

(1) III, q. 48, a. 6, ad 2[m] ; cf. q. 62, a. 5, ad 2[m] ; q. 64, a. 3 c ; *de Verit.* q. 27, a. 3, ad 7[m]).

(2) Cf. Gonet (*Disp.* 19, a. 2, § 1, n° 16) qui hoc existimat certum. Medina tamen (in III, q. 13, a. 1) dicitur aliter sensisse et causalitatem physicam propugnasse etiam quoad eos qui vixere ante Christum. Et hoc, ut videtur, magis consequenter ad eorum placita communia de influxu physico in eos qui vixere post Christum, et quos, explicante S. Thoma, passio Christi non potest contingere nisi per « contactum spiritualem » qui est « per fidem ». Haud parum propterea impeditur Gonet (*loc. cit.* n° 24-25) in evacuandis Medinae argumentis.

passione Christi agere, causare, operari *instrumentaliter* aut *efficienter*, adhibere sequentes formulas: « Ex virtute divinitatis [esse] nobis salutiferum, utpote gratiam in nobis causans et per meritum et *per efficaciam quamdam* » (q. 8, a. 1, ad 1[m]). « Operari in virtute divinitatis *ad* salutem humanam » (q. 48, a. 6 c). « Operari in virtute divina *ad* expellendum peccatum » (q. 49, a. 1 c). « Operari *ad* animae vitam » (q. 62, a. 5, ad 1[m]). « *Salutaris*... per modum cujusdam *efficientiae* ; ... nobis *salutiferae*, ut ex virtute divinitatis provenientis » (*In Rom.* IV, *in fine*). « Salutifera... per modum meriti et per modum *efficaciae*, in quantum ejus sanguine redempti et justificati sumus » (*In* I *Cor.* I. 13) : « Omnia quae in carne Christi facta sunt nobis *salutaria* fuerunt virtute divinitatis unitae » (*Comp. theol.* 239). Formulae enim ejusmodi nullatenus suadent vim aliquam physicam transeuntibus Christi actibus competentem, qua physice nunc influente efficiatur entitas gratiae nunc hominibus collatae ; significant tantummodo illos Christi actus efficaciam suam habuisse in ordine ad salutem nostram quatenus Dei ipsius instrumentaliter erant. Hinc nempe est omnis eorum specialis et transcendens valor in ratione tum meriti, tum redemptionis, satisfactionis et sacrificii, qui sunt modi secundum quos passio Christi dicitur causasse seu operata esse salutem nostram. Quia igitur omnis gratia hominibus quomodolibet collata derivatur ab illo speciali et divino valore actuum Christi, jure omnis gratia dicitur esse ab illis actibus per modum efficientiae.

ARTICULUS VI

DE NATURALIBUS HUMANITATIS CHRISTI PERFECTIONIBUS ET DEFECTIBUS

THESIS XXIX — Christus assumpsit 1) corporis et animae perfectiones naturales, sed simul 2) defectus hominibus communes, qui non repugnant perfectae gratiae et scientiae: 3) omnes scilicet qui pertinent ad passibilitatem animae et corporis, 4) non obstante fruitione beatifica aut impeccabilitate (III. q. 14-15).

418. I. **Corporis et animae perfectiones naturales** habuit omnes viatori consentaneas, nam eas requirebat tum dignitas perso-

nae, tum praestantia artificis qui corpus efformavit et animam creavit, tum tandem munus altissimum Christo assignatum. — Excludendus proinde a Christo omnis defectus particularis permanens, quia nec naturalis nec de se conferens ad finem Incarnationis (q. 14, a. 4).

Quoad pulchirtudinem corporalem, nihil ex Scriptura certi. Eam negaverunt Clemens Alex., Origenes, Tertullianus, etc. innixi textibus hujusmodi : *Fallax gratia et vana est pulchritudo... Vidimus, et non erat ei species neque decor.* Sed plures Patres laudaverunt econtra decorem Christi virilem, quippe qui a natura intendatur et ex perfecta mentis ordinatione resplendeat [1].

Quoad perfectionem animae intellectivam, si verum est animam creari eo perfectiorem quo perfectius est dispositum corpus ad quod ordinatur (I, q. 85, a. 7), exinde jam habebitur animam Christi creandam fuisse perfectissimam. Quod requirebatur praeterea tum dignitate personae tum munere revelatoris et mediatoris. Cf. Monsabré : *Conférences,* t. IX. *Les perfections de J.-C., l'intelligence, la volonté, le cœur.*

419. II. **Defectus naturales, communes, irreprehensibiles**

1° Status quaestionis : A) **Sensus theseos :** a) Non assumpsit qualitates praeternaturales corporis glorificati, nec animae impassibilitatem, sed defectus naturales consequentes ad naturam humanam, proindeque omnibus hominibus communes et incommoda aut mala inde consequentia. Assumpsit ergo naturalem animae passibilitatem et passiones exinde consequentes, praeter eas quae contradixissent perfectae ipsius scientiae aut sanctitati. — b) Illos assumpsit, *non* autem *contraxit,* id est, non eos incurrit ex debito peccati, sed libere, « *ingrediens mundum* », acceptavit eos in se suum sortiri effectum naturalem (q. 14, a. 2 et 3).

B) **Errores** de hoc fuerunt : a) Haereticorum, docetarum ab initio, postea vero Eutychianorum acephalorum, qui, Juliano Halicarnassensi duce, docuerunt Christi corpus et animam jam in terris fuisse, ratione unionis, impassibilitate donatum [2]. — b) Paucorum catholicorum, qui, placitis Stoïcorum nimis imbuti, ἀπάθειαν, ut virtutem, Christo vindicarunt, impassibilitatemque propterea voluerunt esse corpori

(1) Cf. S. Hieronymum : *Epist.* 65. 8 (PL. 22. 627) ; S. J. Chrysostomum : *in Mt. hom.* 17. 2 (PG. 57. 346) ; S. Augustinum : *In ps.* 44. 3 (PL. 36. 495) ; S. Bernardum : *In festo omn. sanct. or.* 1. 4 (PL. 183. 453-455) ; S. Thomam : *In ps.* 44. 2.

(2) Eum, re vera, fuisse Juliani Halicarn. errorem negavit recenter Draguet, in *op. cit.* supra p. 58, n. 2. Cui tamen haud immerito contradixisse videtur Jugie apud *Échos d'Orient,* 1926, p. 130-162 et 257-282.

et animae Christi adeo connaturalem ut nonnisi per miraculum, tempore passionis, dolere potuisset [1].

C) **Nota theseos.** — Contra eos omnes thesis asserit passibilitatem et alios hujusmodi defectus fuisse Christo connaturales, solumque miraculum fuisse constitutionis ejus, quo viator simul et comprehensor esse potuit... Adfuisse re vera defectus hujusmodi, *de fide* est. Illos adfuisse ut naturae assumptae connaturales, *certum* est.

420. 2°. PROBATUR : A) **Ex Scriptura,** quae testatur eum sitivisse, esuriisse, fatigatum esse, potuisse compati infirmitatibus nostris (*Hebr.* 4. 15 ; 5. 8-9 ; 2. 18) ; quae dicit nauram humanam fuisse ab eo assumptam ut « participaret » passionibus et morti eorum quibus, patiendo, volebat « auxiliari » et, moriendo, praebere liberationem a servitute mortis et diaboli (*Hebr.* 2. 10-18). Hoc enim implicat naturam humanam assumptam esse cum sua connaturali passibilitate.

B) **Ratione,** quia : a) Humanitas a Verbo assumpta est, qualis per peccatum facta est, spoliata scilicet donis praeternaturalibus, et qualis est ex naturalibus principiis suis : humanitas vero, « ex necessitate naturalium principiorum,... subjacet dolori » (q. 15, a. 5, ad 2[m]). — b) Decebat eum, qui Deum de culpa propitiare veniebat, « de statu culpae assumere necessitatem subjacendi poenalitatibus hujus vitae » (q. 13, a. 3, ad 2[m]), quae sunt hujus culpae sequelae, nec ullam seipsis habent rationem culpae. Hoc enim conveniebat ad satisfactionem praestandam, ad fidem Incarnationis astruendam, ad exemplum patientiae exhibendum, seu, ut ait S. Bonaventura : ad pretium salutis, ad exemplum virtutis, ad fulcimentum fragilitatis in credendo, in sperando, in amando.

421. III. **Passiones corporis et animae** (q. 15).

Praenotanda : 1°. Affirmata in praecedenti parte doctrina generali, jam devenitur ad considerandos particulares aliquos hujusmodi defectus, qui vocantur passiones. — 2°. Passio porro hic intellegitur tum sensus doloris corporalis — *passio corporalis :* fames, sitis, dolor ex flagellis ; — tum omnis affectus appetitus sensitivi appetentis bonum aut refugientis a malo — *passio animalis :* lacrimari, pavere ; — tum affectio appetitus intellectivi consequens ad apprehensionem

(1) De paucis illis cf. LEONTIUM BYZANTINUM : *Cont. Nestorianos et Eutychianos* (PG 86[1]. 1320 C-D ; cf. RSR. janvier 1925, p. 54-64) ; PESCH : *De Verbo incarnato,* n° 228-229. — Quo sensu et quousque aliqui olim Patres faverint doctrinis hujusmodi, videas LE BACHELET. *art. Hilaire (saint)* apud DTC, t. VI, col. 2441 sqq ; LEBRETON : *L'agonie de N. S.,* apud *Revue d'apologét.* 15 mars 1922, p. 716-718.

mali conjuncti — *passio spiritualis :* v. gr. tristitia de peccato. — 3°. Assertio, quoad rem, est *de fide,* quatenus in evangeliis affirmantur exempla hujusmodi passionum. — Quatenus affirmantur esse passiones, est *theologice certa.*

Probatur. 1°. *Facta constant per evangelia :* Nam « quod super duritiam cordis Judaeorum cum ira contristatus sit [*Mc.* 3. 5] ; quod dixerit : *Gaudeo propter vos, ut credatis* [*Jo.* 11. 15] ; quod Lazarum suscitaturus etiam lacrimas fuderit [*ibid.* 35] ; quod concupiverit cum discipulis suis manducare pascha [*Lc.* 22. 15] ; quod, propinquante passione, tristis fuerit anima ejus [*Mt.* 26. 38] non falso refertur »[1].

2°. *Passiones hujusmodi pertinent ad naturam humanam,* convenienterque a Verbo assumptae sunt : nam per eos se verum hominem ostendit, nos consolatur hujusmodi passionibus vexatos, exemplum praebet quo eos ipsi superemus ; nec eum dedecent, siquidem eas *aliter* habuit *ac nos quantum ad objectum* : nunquam tendebant ad illicita ; *quantum ad principium :* nunquam praevertebant rationis aut voluntatis consensum ; *quantum ad effectum :* nunquam impediebant liberum virtutis exercitium [2].

422. IV. **Tristitia et dolor, sive sensibilis, sive etiam spiritualis.**

Facto jam statuto praesentiae passionum in Christo, duo explicanda manent : 1° Quomodo tristitia et repugnantia, quam Christus expertus est v. gr. de subeunda morte a Patre volita, **non officiat ejus impeccabilitati :** quo complebuntur theses tum de existentia duarum in Christo voluntatum, tum de impeccabilitate et libertate. 2° Quomodo eaedem fuerint **compossibiles cum statu beatifico :** quo complebitur thesis de libertate in adimplendo praecepto.

1° **Impeccabilitati non officit,** seu deordinata non fuit, tristitia et dolor seu repugnantia Christi erga mortem a Patre praeceptam [3].

A) **De repugnantia sensibili,** seu de motu voluntatis, quae dicitur

(1) Augustinus : *Civ. Dei.* XIV. 9, 3 (PL 41. 415). — De singulis passionibus, utrum et quo sensu aut gradu fuerint in Christo, cf. D. Thomam, q. 15.

(2) Cf. superius dicta de extincto fomite. — S. Hieronymus, distinctione facta inter passionem, quae « reputatur in vitium,.. tenetur in crimine », quia consensus motui datur, et « propassionem », quae « non tenetur in crimine », quia consensus non datur (*In Mt.* I. 5, 28 ; PL. 26. 38 C-D), dicit in Christo non fuisse nisi « propassiones » (*ibid.* IV. 26, 37. 197 B).

(3) Cf. Stentrup : *Christol., thes.* 53 et 62, p. 855 et 983 sqq ; Billot : *thes.* 27 ; Pesch, n° 150-151.

« sensualitatis » (q. 18, a. 2)[1]. Motus ille est seu affectus quem expressit oratio Christi in horto (q. 21, a. 2). Jamvero affectus ille non fuit deordinatus, nam : — a) Non erat contra mortem ut a Deo volitam, siquidem appetitus sensibilis non aversatur res sub illa ratione, sed tantummodo ut sunt sensui malae. — b) Mortem ita sibi malam non aversabatur contra aut citra sed juxta voluntatem rationalem legitime permittentem hujusmodi aversionem. — c) Etsi illa repugnantia, voluntate hoc permittente, erat quam maxima, tamen infallibiliter et efficaciter coercebatur, ita ut voluntatis exercitium nullo modo impediret.

423. B) **De tristia seu repugnantia spiritualis** major est difficultas (cf. q. 18, a. 3, 5 et 6).

a) *Praesentia illius tristitiae.* Adfuisse in Christo duplicem illam voluntatem aut potius duplicem illum ejusdem voluntatis actum, quo, juxta tritam in scholis distinctionem *voluntatis ut natura, voluntatis ut ratio,* eadem res, v. gr. mors subeunda, detrectatur simul inefficaciter ut in se ex multiplici capite mala, et tamem acceptatur efficaciter ut propter aliud bona, dubium esse nequit : — α) tum propter simultaneas Christi assertiones: « *Tristis et anima mea usque ad mortem. Si fieri potest, transeat a me calix iste* », — quae vox est *voluntatis ut natura* [2]. — « *Non mea voluntas, sed tua fiat* » — quae vox est *voluntatis ut ratio ;* — β) tum quia hoc est naturale et mors non poterat non causare ei tristitiam spiritualem, sive quatenus erat mala in se, sive quatenus praenoscebatur fore *ex* et *cum* peccato multorum atque cum tot sequelis pro persecutoribus suis [3].

b) *Conciliatur cum impeccabilitate,* quia duorum illorum motuum, — α) neuter erat in se deordinatus, — β) nec ulla erat discordia formalis sive inter eos sive cum divina voluntate. (q. 18, a. 6).

α) *Neuter erat deordinatus,* siquidem **voluntas ut ratio** semper erat conformis cum Dei voluntate : volebat enim mortem simpliciter et efficaci-

(1) Nomine « sensualitatis » hic intelligitur, non vitiosus appetitus sed ipsa facultas naturalis.

(2) Contra quietistas damnata est ab Innocentio XII (1699) propositio ex Fénelon deprompta : « *Inferior Christi pars in cruce non communicavit superiori suas involuntarias perturbationes* » (D-B. 1339 ; C. 942[13]).

(3) Hac sunt, inter alia, objecta tristitiae spiritualis Christi. De quibus (cf. q. 46, a. 5 et 6). Item : Lebreton : *L'agonie du Christ,* apud *Rev. d'apologétique* 15 mars 1922, p. 716 sqq. Item : Galtier : *Le Sacré-Cœur,* in *Messager du Sacré-Cœur, février* 1922, p. 93-95.

ter, ex motivo simul obedientiae et redemptionis juxta divinum consilium operandae ; **voluntas autem ut natura** deordinata non erat, *neque objective :* mortem enim detrectabat, non ut a Deo imperatam sed ut in se et sibi malam, quod verum est nec est contra rectitudinem ; imo aversionem illam naturalem in ea oriri erat juxta divinum consilium, ut exinde esset pugna, dolor et majus meritum atque exemplum ; *neque subjective :* aversio enim illa non existebat praeter aut contra permissionem voluntatis ut rationis, quae econtra, sicut et Deus, volebat adesse aversionem mortis dolorosam et inefficacem ; nec, quamvis maxima, impediebat actum voluntatis superioris, cum esset circa objectum materialiter at non formaliter idem.

β) *Nulla proinde discordia formalis :* z) **duarum inter se voluntatum.** Nam *circa volitionis actum* conformes erant : voluntas enim superior permittebat inferiorem volitionem ; *circa volitionis objectum* materialiter quidem sumptum erant discordes : quod enim una refugiebat, altera acceptabat ; at in hoc nullum est inconveniens, quia contradictio esset tantum ex discordia circa idem objectum formale ; quae non aderat, siquidem de morte ut in se mala voluntas superior probabat ab inferiori elici actum aversionis, mortem vero ut a Deo volitam, quam ipsa acceptabat, inferior non aversabatur ; — y) **alterutrius voluntatis cum Deo.** Nam *voluntas superior* et efficax conformis semper fuit cum Dei voluntate tum materialiter tum formaliter ; *inferior* autem de objecto suo materiali et formali habuit semper volitionem inefficacem, quam Deus ipse volebat : « Placebat enim Christo secundum voluntatem divinam, ...ut voluntas naturalis in ipso et voluntas sensualitatis secundum ordinem suae naturae moverentur » (q. 18, a. 6).

424. 2° **Tristitiam in Christo non impediebat physice status beatificus** (q. 15, a. 10).

Tanta est in hoc difficultas ut non defuerint qui propterea negarent Christum habuisse gaudium ex visione beatifica : quo implicite negabant eum fuisse formaliter « beatum » : ita olim Lutherus et Calvinus ; item recentius Schell : cf. supra, n° 315.

Nonnulli optimae notae theologi hoc idem negarunt *pro tempore passionis :* divina virtus tunc cohibuerit gaudium ne prodiret ex visione[1]. Quo in sensu intellegunt verbum Christi in cruce : « *Deus meus, ut quid dereliquisti me ?* ». Eorum tamen sententia non videtur solvere quaestionem. Dato enim, — quod non adeo constat, — aliquem

(1) Sic v. gr. M. Cano (*De locis*, l. XII, cp. 14 in fine), Gregor. de Valentia (*disp.* 1, q. 9, p. 2) ; Salmeron (*Comment.* X, *tr.* 11) ; Maldonatus (*In Mt.* 26, 37).

posse non gaudere de summo bono, quod in se ipso intueatur, non videtur qui gaudium illud, quod putant impediturum fuisse tristitiam passionis, non impediverit tristitiam minorem, quam Christus alias in vita expertus est. Christus igitur vel nunquam de visione gaudium habuit, vel habere potuit etiam in passione et in cruce.

Quae est, re vera, theologorum sententia communis. Admittunt compossibilitatem gaudii cum tristitia et dolore tum sensibili tum spirituali, et eam explicant per differentiam actuum viatoris et comprehensoris necnon per diversitatem objectorum formalium eorum [1]. Verbo autem Christi in cruce, quod est initium psalmi 21[1], intellegunt enuntiari non querelam personalem de derelictione reali, bene vero deprecationem ad Deum hominis in angustiis positi [2].

425. A) **De corporis et animae passibilitate in genere :**

a) *Corpus* manere potuit passibile, quia corporis gloria, apud beatos, non est per redundantiam *naturalem* operationum beatificarum, quae nihil sensibile habent in suis conditionibus aut exercitio, sed tantum *ex magna convenientia,* cui, in casu Christi, praevalebat convenientia major ut corpus maneret passibile, ad finem Incarnationis.

b) *Anima* etiam potuit esse passibilis quia, praeter actus beatificos, habuit actus viatoris, v. gr. scientiam infusam et naturalem, ex quibus prodire poterant affectus eis proportionati.

Jamvero, in subjecto sic disposito, cum fruitione beatifica coexistere poterant :

B) **Dolor et tristitia sensibilis :** quia eorum obj. formale est diversum ab objecto fruitionis, nec fruitio redundat connaturaliter in partem sensibilem.

C) **Dolor et tristitia spiritualis,** v. gr. de futura damnatione Judae, de inutilitate passionis, etc... Nam : — a) *Ex parte objecti* differentia est formalis. Jamvero ea sufficit ut in eadem facultate spirituali compossibiles sint de eodem objecto materiali affectus oppositi : exemplo sint v. gr. parentes, qui simul dolent et volunt filium suum ingredi religionem ; judex, qui condemnat amicum, quem vellet indemnem. Quod intellegitur ex eo quod objectum materiale non afficit

(1) Cf. Billot : *thes.* 23[a] ; Pesch, n. 257-261.

(2) « *Amorosa expositio doloris* », apud Lud. de Ponte (*Medit.* 30[a] : *de Christi inventione in templo,* p. 3). — Item fere ad verbum Loisy : « Cette plainte n'était pas celle d'un révolté ou d'un désespéré ; c'était celle du juste souffrant et assuré quand même de l'amour et de la protection, que lui garde jusque dans la mort le Dieu de toute sainteté » (*Les évangiles synoptiques,* t. II, ch. 86, p. 685).

appetitum nisi sub ratione boni et mali, quae mutatur, mutato respectu. — b) *Ex parte subjecti,* simultaneitas repugnaret — **z)** vel in genere, ex eo quod haec differentia motuum appetitus spiritualis esset *contradictoria,* — quatenus contradictorium esset facultatem eamdem circa idem objectum moveri in sensus oppositos, — **y)** vel in specie, ex eo quod, apud Christum, *intensitas* gaudii faceret tristitiam impossibilem. Atqui ex neutro capite datur repugnantia :

426. **z)** Haec differentia motuum non est *contradictoria* siquidem — α) non versantur circa idem sub eodem respectu : gaudium est de damnatione Judae visa ut a Deo decreta ; dolor est de eadem cognita ut dilecto apostolo mala ; — β) nec uterque est efficax, ut jam supra (n° 423) dictum est de morte detrectata et acceptata.

Nec dicas : Haec distinctio non est nisi in apprehensione, cum deberet esse in appetitu aut in ipsa re, ut explicaret appetitum posse dolere simul et gaudere : ratio namque reddenda est quomodo eadem res, mors v. gr., quae delectat, quatenus videtur in Deo praeceþta seu connexa cum summo bono, possit simul contristare. — **Resp.** Ea distinctio existit aliquatenus in re, siquidem mors est realiter mala in se, cognoscitur ut talis etiam a Deo, nata est proinde, si ut talis apprehendatur, producere in appetitu motum aversionis. Porro, apud Christum, apprehenditur re vera ut talis per scientiam naturalem, proindeque appetitus ejus habet unde de ea, sicut gaudet, sic etiam doleat.

427. **y)** *Intensitas gaudii non faciebat impossibilem tristitiam.* Difficultas ea est maxima, quia summum gaudium videtur excludere tristitiam, — α) sive *physice,* quatenus exhaurit activitatem affectivam facultatis, — β) sive *psychologice,* quatenus non linquit locum tristitiae. Attamen vindicatur possibilitas utriusque motus — α) tum *physica,* — β) tum *psychologica.*

α) *Physica,* quia affectuum intensitas non augetur aut minuitur pro eorum consensione aut oppositione : affectuum enim non est commixtio, qua singulorum intensitas ita contemperetur ut minus intensus a maxime intenso simpliciter elidatur : hinc fit ut mater v. gr. de filii sui martyrio crudelissimo gaudium simul et dolorem possit habere intensissimum.

DICES : Attamen, gaudii intensitas occurrit aliquando, v. gr. in quibusdam extasibus, adeo intensa ut excludat physice omnem doloris sensum. A fortiori igitur ubi gaudium est de viso Deo.

RESPONDEO : — Comparatio cum Christo beato non valet, quia, in exta-

ticis, apud quos intensitas visionis et gaudii exstinguit sensum doloris, illud facultatis appetitivae « ligamen » oritur plerumque ex absorptione imaginationis, sine cujus cooperatione non solent esse extases hujusmodi [1]. At in Christo, sicut et in beatis, actus intellectivus visionis beantis exercetur sine consortio facultatis sensitivae, proindeque non datur hujusmodi absorptio. — 2° Praeterea, confortari potuit facultas Christi per miraculum, quod fuisset connaturale ejus statui : miraculum sane erat quod exsisteret Christus, Deus Homo et Redemptor, comprehensor simul et viator ; sed omnia cetera connaturaliter sequebantur, ratione sive naturae, sive personae, sive muneris aut finis obtinendi.

428. β) *Psychologica.* Difficultas procedit ex eo quod de essentia summi gaudii est *totaliter* beare et satiare animam, ita ut proinde videatur non linquere tristitiae locum. Solutio vero est in hoc quod illa plenitudo gaudii, illa satietas animae, illa totalitas beatitudinis ex possessione summi boni orta non excludit omnem alium actum voluntatis erga alia objecta, quae non pertineant ad essentiam illius summi boni. Beatos enim scimus, etsi summe gaudent de possesso summo bono, tamen aliquod desiderare bonum, quod nondum habent, v. gr. glorificationem corporis sui, vindictam de sanguine suo sumendam [2],

(1) Si quando dantur etiam extases cum visione pure intellectuali, per infusionem scilicet scientiae qualis fit apud animas separatas, cognitio quidem jam non fit cum conversione ad phantasma nec proinde imaginationis exinde potest esse absorptio ; at appetitus consequens tanta vehementia et quasi « violentia » trahitur extra suam ordinationem, ut totaliter absorberi possit (II. II, q. 175, a. 2 c et ad 1^m atque 2^m). Sic imprimis, ubi quis incipit ad hujusmodi cognitionem elevari. Notant enim auctores mystici extaticos, ubi contemplationi quasi assuefiunt, jam libere activitatem suam sensibilem exserere. (Cf. v. gr. : Jean de la Croix : *La nuit obscure et la vive flamme d'amour* l. II, *par.* 1 ; trad. Hoornaert, p. 77). Christus autem, cui contemplatio continua erat ab initio connaturalis, intellegitur non passus esse « violentum » illum extra suam ordinationem raptum.

Ex modo etiam, quo Deum extatici et mystici apprehendunt, intellegitur eos, quia non « intuentur » quem diligunt, posse *pati* quasi non sufficienter videant, ideoque sentire se quasi derelictos, quippe qui possessione plena careant. (Cf. Poulain : *Des grâces d'oraison,* ch. XI, n° 112-113. Suum hujusmodi « tormentum » describit S. Theresia : *Vie écrite par elle-même,* ch. 20 : trad. des Carmélites de Paris, t. I, p. 247-249). Non ita Christus : cum haberet « visionem » perfectam, non poterat affici sensu derelictionis hujusmodi... Vel, si quid hujusmodi pati voluerit, hoc non fuerit ratione visionis limitatae...

(2) « *Usquequo, Domine, non vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terra* » (*Apoc.* 6. 10).

gratias quas nobis a Deo petunt [1]. Summum igitur bonum, non eo ipso quod summo gaudio afficit, secum fert possessionem omnis simpliciter boni nec proinde excludit manere in anima locum desiderio et gaudio de aliquo alio bono. Ubi vero manet locus desiderio alicujus boni absentis, locus etiam manere potest tristitiae ac dolori de aliquo malo praesenti.

Aliis verbis, ideo compossibilis est psychologice tristitia cum summo gaudio, quia oritur ex praesentia alicujus mali, seu ex desiderio alicujus boni, quod non constituet summum gaudium sed illud tantummodo integrabit.

Quod autem adesse possit summum actu gaudium quin sit actu totum integrum, hoc provenit tum ex transcendentia summi boni, tum ex eo quod gaudium illud creatum non est absque omni actuum compositione : uno quidem actu apprehenditur id quod constituit essentiam summi gaudii, quod se solo plene satiat animam ; sed non uno actu apprehenditur totum id quod hoc bonum secum fert [2].

Difficultas igitur reducitur ad hoc, utrum voluntas totaliter defixa in fruitione summi boni possit alium actum exserere circa aliud obiectum. Eam vero posse constat per desideria beatorum. Anima igitur beata, si potest elicere actum desiderii, potest etiam elicere actum repugnantiae inefficacis, si, ut accidit Christo, praesens habet aliquod malum [3].

(1) Cf. Suárez: *De fine hominis, disp.* 10, s. 3, n° 5-9.

(2) Summum igitur bonum totaliter beat hoc sensu quod, se solo, animam facit totam et summe beatam, non hoc sensu quod excludit esse aliquod aliud bonum, quo simul anima frui possit. Illud autem aliud bonum vere confert fruitionem, integrat beatitudinem essentialem, non illam augendo seu faciendo majorem, sed faciendo animam frui pluribus bonis, etsi non magis summe frui.

(3) N. B., ex dictis, hoc fuisse proprium status beatifici Christi quod posset affici malo praesenti. In hoc enim, ut dictum est, ab aliis beatis differebat.

DE REDEMPTIONE

PROOEMIUM : De Christo mediatore (III, q. 26).

429. Eadem fide, qua Christum credimus naturas Dei et hominum habere in se conjunctas, docemur eum ordinatum esse qui homines ad Deum converteret. Duplex porro ea est mediatio quam in Christo distinguere est perfectissimam, mediatio scilicet ontologica et moralis.

« In mediatore [enim] duo possumus considerare : primo quidem rationem medii, secundo officium conjungendi. Est autem de ratione medii quod distet ab utroque extremorum. Conjungit autem mediator per hoc quod ea quae unius sunt defert ad alterum... Sed utrumque convenit Christo, in quantum est homo : quia, secundum quod est homo, distat et a Deo in natura et ab hominibus in dignitate et gratiae et gloriae... Convenit [etiam] ei conjungere homines Deo, praecepta et dona Dei hominibus exhibendo et pro hominibus Deo satisfaciendo et interpellando » (a. 1) [1].

Jam igitur, cum in priori parte actum sit de *mediatione* Christi *ontologica,* agendum est de ejusdem *mediatione morali.*

Haec autem, ex dictis a S. Thoma, duo complectitur : Dei praecepta et dona exhibere hominibus ; pro hominibus Deo satisfacere et interpellare. Duae ergo sectiones distinguendae essent. Sed prior, de Christo praeceptore seu legislatore, jam praeoccupata est ubi Christus demonstratus est Dei legatus, qui « Dei praecepta et dona » dedit hominibus per Ecclesiae magisterium et sacramenta percipienda. Non

(1) Imo, « *solus Christus est perfectus Dei et hominum mediator* », quippe qui solus « hominem Deo *perfective* uniat », eum in se per suam mortem Deo reconciliando. Alii, qui dici possunt et dicuntur, *mediatores,* v. gr. angeli, sacerdotes, non sunt nisi *secundarii,* quippe qui « cooperentur ad unionem hominum cum Deo [tantum] *dispositive* et *ministerialiter,* verum mediatorem praenunciando scilicet et praefigurando, vel ejus nomine salutaria ejus sacramenta hominibus exhibendo » (a. 1).

manet igitur consideranda nisi mediatio per satisfactionem et interpellationem : quae dicitur Redemptio.

Circa Redemptionem porro quaeri potest : utrum facta sit ; quo modo facta sit. Hinc duo capitula : 1° Dogma statuetur de nostra per Christum redemptione. 2° Modus determinabitur, quo Christus redemptionem operatus est.

CAPUT PRIMUM

DOGMA CATHOLICUM DE REDEMPTIONE

430. I. **Notiones.** 1°. **Quoad nomen,** redemptio est liberatio alicujus ab aliquo debito, officio, servitute, cui obnoxius fuerit. Vox enim latina est pro graeca λύτρωσις et ἀπολύτρωσις, sicut et « redimere » est pro λυτροῦν vel λυτροῦσθαι. S. Paulus scribit etiam ἐξαγοράζειν (*Gal.* 3. 13 et 4. 5), quod ad litteram est « redimere », et ἀγοράζειν, quod est « emere » seu « acquirere pretio » (1 *Cor.* 6. 20 et 7. 23) et legitur etiam apud 2 *Petr.* 2. 1 et *Apoc.* 5. 9 ; 14-3-4. Sed in utroque Testamento solemnes occurrunt voces derivatae a voce λύτρον.

Λύτρον autem graece est pretium solutum, ubi quis a servitute liberatur. Apud SEPTUAGINTA, ponitur pro vocibus hebraïcis *kofer, ge'ullah* et *pidion,* ad significandum sive pretium solutum ad liberationem servorum (*Lev.* 19. 20 ; 25. 46-51) aut captivorum (Is. 45. 13), sive pretium aut oblationem Deo faciendam ab eo qui secus poena mortis plectendus esset (*Ex.* 21. 30 ; *Num.* 35. 31-32), a populo ne malum a Domino subeat (*Ex.* 30. 10), pro primogenitis in genere (*Ex.* 13. 13-15) : hoc ultimo sensu Septuaginta explicant (*Num.* 3. 12) Levitas, quia Dei servitio addicti sunt, esse et ipsos λύτρα pro primogenitis Israël. Hinc sensus etymologicus vocis λυτροῦν : significat liberare pretio soluto. Redimere proinde, *si ratio non haberetur nisi etymologiae, esset liberare a debito vel servitute, pretio soluto.*

Sed jam apud SEPTUAGINTA constat sensum vocum λυτροῦν et λυτροῦσθαι valde ampliatum esse, ita ut jam significent omnem *liberationem gra-*

(1) Sic v. gr. Ptolemaeus Philadelphus scribit se 120.000 Judaeos in Aegypto liberasse a servitute, solvendo eorum dominis pretium libertatis : « τοῖς δεσπόταις αὐτῶν ἐκ τῶν ἰδίων λύτρα καταβαλών » (JOSEPHUS : *Ant. Jud.* XII. 2, 46). Pretium vero dicitur a *Josepho* fuisse 120 drachmarum pro singulis liberatis (*ibid.* 25) ; pretium vero totale ultra 460 talenta : « Τάλαντα δ' ὑπὲρ ἑξήκοντα καὶ τετρακόσια τῶν λύτρων ἐγένετο » (*ibid.* 33).

tiose alicui collatam : sic v. gr. Deus ipse saepe legitur populum suum redemisse a servitute in Aegypto. Cf. v. gr. *Ex.* 6. 6 : « *Salvabo* (λυτρώσομαι) *vos in brachio excelso* » ; 15. 13 : « *Populo quem redemisti* » (ἐλυτρώσω ; cf. *Deut.* 15. 15 ; 24. 18) ; item David Deo gratias agit, post mortem Saül, quod se liberaverit (ἐλυτρώσατο) ab omni angustia (2 Reg. 4. 9).

Redemptio proinde, vi vocis, jam ante Christum, non significat nisi *liberationem a malo redemptori forte onerosam, at redempto de se gratiosam.* Hoc sensu S. Stephanus dicit Moysen fuisse a Deo missum « *principem et redemptorem* » : ἄρχοντα καὶ λυτρωτήν (*Act.* 7. 35).

431. 2° **Quoad rem,** inter christianos [1]. — A) *Sensu lato et adaequato,* redemptio intellegitur liberatio humani generis a statu perversionis, in quem per Adamum dejectum est. Status autem ille, quia multiplici sub respectu considerari potest, liberatio etiam multiplices potest induere respectus.

Quia, peccando, homo : — a) lapsus est, redemptio est *restitutio, restauratio ;* — b) viam iniit ignorantiae et erroris, red. est *illuminatio ;* — c) contraxit infirmitates, morbos et mortem, red. est *remedium, sanatio, vivificatio, resurrectio ;* — d) factus est Deo debitor, red. est *debiti* sive *solutio Deo facta sive condonatio a Deo impetrata ;* — e) factus est servus peccati, daemonis et mortis [2], red. est *liberatio ab illa triplici servitute ;* — f) offensam Deo intulit, red. est *pro illa offensa satisfactio,* seu *reparatio ;* — g) inimicitiam Dei contraxit, red. est mutua Dei et hominis *reconciliatio.*

(1) Notionem « redemptionis » aut « salutis » ac « salvatoris », qualis viguerit apud antiquas gentium religiones, non est cur hoc loco prosequamur. Apologeticae est aut religionum historiae disquirere illius originem ac determinare quas analogias habeat ad notionem judaïco-christianam. Cf. Allo : *Les dieux sauveurs du paganisme grèco-romain,* apud *Rev. d. sc. phil. et theol.* 1926, p. 5-34.

(2) **Peccati,** quatenus homo, ubi eligit non esse Dei servus et amicus, contrahit debitum subeundi sequelas peccati sive connaturales, sive a Deo indictas (*Rom.* 6. 20 ; 7. 14 ; *Jo.* 8. 34-36 ; 2 *Petr.* 2. 19. Cf. II. II. q. 183, a. 4 : « Est servitus peccati... cum aliquis ex habitu peccati ad peccatum inclinatur ». Quod potest intellegi de habitu peccati tum proprii, tum originalis. — **Mortis,** quatenus contrahit debitum subeundi mortem, quae est poena a Deo in peccatum edicta. — c) **Diaboli,** quatenus : — α) qui, ex instigatione et ad imitationem diaboli, peccat, consensu suo ei se tradit eumque sibi eligit in exemplum ac ducem ; — β) diabolus hominem a se deceptum et in poenam mortis actum habere potest ut a se debellatum et sibi assimilatum ; — γ) diabolus haberi potest ut princeps tenebrarum ac inferni tyrannus, cui, tanquam divinae justitiae instrumento, peccator a Deo tradatur aeterna poena puniendus (III, q. 48, a. 4 et q. 49, a. 1-3).

Redemptio igitur, sensu suo lato et adaequato, est restitutio humani generis in viam veritatis et sanctitatis. Non dicit tantummodo reconciliationem cum Deo et restitutionem gratiae peccato amissae sed etiam informationem ad vitam sanctam per doctrinam et exempla Christi.

B) *Sensu stricto,* redemptio jamdiu intellegitur liberatio a statu injustitiae per peccatum contractae et restitutio in statum justitiae atque amicitiae Dei. Quae cum causam habeat Christum ipsum, Christus dicitur sensu proprio Redemptor et Salvator hominesque proprie redempti et salvati.

Ea porro redemptio jam est perfecta *in actu* 1°, quatenus homines, antecedenter ad omnem suum actum, vi et ratione Christi, habendi sunt tanquam plene redempti *causaliter;* qui ut inveniantur effective seu *in actu* 2° redempti, requiritur et sufficit conditiones ab eis poni ut effectum percipiant redemptionis a Christo peractae.

432. II. **Dogma catholicum.** — 1° **Qualis intellegatur redemptio.** Pro modo quo liberatio a peccato intellegitur ascribenda Christo, Redemptio distinguitur moralis, physico-mystica et objectiva. — *Moralis,* quatenus Christus intellegitur verbo et exemplo homines induxisse ut excuterent ipsi peccati jugum. — b) *Physico-mystica,* quatenus humana natura intellegitur restaurata jam et sanctificata ipsa sua in Christo conjunctione cum Deo. — c) *Objectiva,* quatenus liberatio a peccato ejusque pœnis intellegitur esse fructus proprius et directus actionum atque passionum Christi, ita ut objective eae sint causa vera cur Deus, si conditiones adsint subjectivae, dignetur peccata condonare et gratiam restituere.

Ecclesia porro catholica redemptionem admittit esse aliquo vero sensu *moralem* et *physico-mysticam* : exempla Christi docet conferre multum ad homines a peccato avertendos et ad Deum convertendos ; profitetur naturam humanam esse jam in ipsa Incarnatione sanctificatam, summopere nobilitatam et arctissime Deo conjunctam [1]. At Redemptionem intellegit *primario objectivam.* Salutem humani generis, etsi tenet esse fructum totius activitatis humanae Christi, tamen

(1) Quantopere Patres olim, praeeunte S. Joanne, delectati sint consideranda Redemptione, quae dicitur physico-mystica, videas apud Rivière : *Le dogme de la Rédemption : étude historique, 2e, partie* ch. 8-12. Via ea erat, qua occurreretur eis omnibus qui naturam carnalem tenebant adeo malam aut peccato vitiatam ut omnino non posset fieri particeps vitae divinae.

ascribit imprimis passioni ac morti ejus, ita ut is *effectus sit ab ipso Christo in morte sua directe intentus.*

433. 2° **Probatur illud esse dogma Ecclesiae catholicae.**

A) S. Pauli ea est doctrina primaria — a) Justificatio hominibus non est nisi quatenus per Christum Deo reconciliantur (*Rom.* 5. 10-21 ; 2 *Cor.* 5. 18-21 ; *Col.* 1. 20-21 : *Eph.* 1. 7-10 ; 2. 1-7) — b) Reconciliatio porro illa ascribitur imprimis morti Christi : ipse enim, secundum voluntatem Patris, se obtulit (*Rom.* 5. 19 ; 2 *Cor.* 8. 9 ; *Philipp.* 2. 8-9) ; mortuus est pro nobis, pro peccatis nostris, ut nos Deo reconciliaret (1 *Thess.* 5. 10 ; 2 *Cor.* 5. 15 ; *Rom.* 5. 6-10 ; *Eph.* 5. 25 ; *Gal.* 1. 4 ; 2. 20 ; 1 *Cor.* 15. 3). — c) Christus igitur est nostra redemptio (1 *Cor.* 1. 30 ; *Col.* 1. 14) per sanguinem suum (*Eph.* 1. 7) ; se dedit redemptionem pro omnibus (ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων, 1 *Tim.* 2. 6), ut nos redineret a peccato (*Tit.* 2. 14) ; nos emit pretio (1 *Cor.* 6. 20 ; 7. 23).

B) Scriptores Ecclesiastici, ab initio idem asserunt, aut potius revocant in memoriam, ut aliquid omnibus compertum.

S. Clemens Rom. dicit « Christi sanguinem datum esse pro nobis » (*Cor.* 21. 6). « Jesum Christum D. N., propter charitatem quam habuit ad nos, dedisse sanguinem suum pro nobis, et carnem suam pro (ὑπέρ) carne nostra, et animam suam pro animabus nostris » (49. 6) ; praenuntiatum esse « per sanguinem Domini redemptionem (λύτρωσις) fore omnibus credentibus et sperantibus in Deum » (12. 7).

S. Ignatius S. Polycarpo prae oculis ponit eum qui, « cum esset impassibilis, propter nos factus est passibilis et omni modo pro nobis [dolores] sustinuit » (*ad Polyc.* 3. 2). « Ea enim omnia passus est propter nos, ut salvemur ». « Eucharistia est caro Salvatoris nostri J. C., quae passa est pro peccatis nostris » (*Smyrn.* 2.1 et 7.1). « Pro nobis passus est, ut credentes in mortem ejus mori effugiamus » (*Trall.* 2. 1).

S. Polycarpus ad Philippenses pariter scribit Christum « sustinuisse pro peccatis nostris ad mortem usque properare ;.. peccata nostra pertulisse in corpore suo super lignum [1 *Petr.* 11. 24] ;.. propter nos, ut viveremus in ipso, omnia sustinuisse » (8. 1).

Martyrii Polycarpi auctores dicunt Christum « pro totius mundi salvatorum salute passum esse, innocentem pro peccatoribus » (17. 2). Eodem sensu ps.-*Barnab.* 5. 1-2 et 7. 2 ; *ad Diognet.* 9. 2-5 ; S. Justinus : *Dial.* 94 et 95.

434. C) Magisterium ecclesiasticum idem explicite docet[1] : — a) Symbolis. Nicaenum habet : « Propter nostram salutem descendit, homo factus est, *passus est* ». Nicaeno-Cp[lanum] addit : « *Crucifixus* etiam *pro nobis* ». Ps. Athanasianum item : « *Passus est pro salute nostra* ». — b) Dammatione paucorum, qui docuerunt Redemptionem fuisse tantummodo moralem : v. gr. Abaelardi, qui, saeculo 12°, docuit Christum nos eo tantum sensu in sanguine justificasse quod, « nostram suscipiendo naturam » et persistendo usque ad mortem « in nos tam verbo quam exemplo instituendo, nos sibi amplius per amorem astrinxit, [ita] ut, tanto divinae gratiae accensi beneficio, jam nihil tolerare nostra reformidet charitas »[2]. Damnatus propterea est in *concilio Senonensi* et a Summo Pontifice tanquam haereticus[3], qui negaverit « Christum assumpsisse carnem ut nos a jugo diaboli liberaret » (D-B. 371 ; C. 762)[4]. Socinianos, saeculo 16°, damnavit

(1) Putavit olim Sabatier doctrinam de redemptione per mortem diu non fuisse de fide sed annumeratam esse eis quae liberae in Ecclesia disceptationi permitterentur. At antiqui, quos invocavit, scriptores hoc minime insinuant. — Origenes, (*De princip. praef.* 1-5 PG. 11. 116-117) non recenset quidem explicite finem passionum Christi inter ea quae sunt in manifesta Apostolorum praedicatione, at nec inter ea de quibus dispurtare liceat. Asserit econtra explicite : « Quod Dom. n. J. C. venerit ut tolleret pecc. mundi et morte sua peccata nostra deleverit, *nullus qui credit ignorat* » (*In Num.* hom. 10. 2 PG. 12. 638 B). — S. Irenaeus, ubi dicit doctorum in Ecclesia esse « εὐχαριστεῖν — [id est, grato animo recolere, aut grata oratione complecti] — cur (διὰ τί) Verbum Dei caro factus sit » (*Haer.* I. 10, 3 PG. 7. 556 B), hoc non intellegit de fine ad quem passio Christi ordinata sit, sed de *divino consilio* ex quo Incarnatio decreta sit ; ipse enim, ubi dicit « Jesum passum esse pro nobis » et Incarnationem Verbi fuisse « pro hominibus », tamen addit eam factam esse « κατὰ τὴν τοῦ Πατρὸς εὐδοκίαν » (ibid. 9, 3 ; 541 B) ; « Filium [autem] Dei incarnatum esse pro nostra salute » annumerat eis quae universa Ecclesia tenet immobilia (*ibid.* 10, 1 ; 549). — S. Gregorius Naz. (*Orat. theol.* 1, 10 PG. 36. 25) annumerat « Christi παθήματα iis argumentis, in quibus scopum assequi utile [quidem] sit, [at] aberrare minime periculosum ». Sed ea conclusio est orationis, quae tota est contra consuetudinem, Cp[II] tunc saevientem, disputandi de Verbi a Patre processione, creatione, sectione, divisione, resolutione.... Ea non sint argumenta de quibus doctis et indoctis, fidelibus et infidelibus disceptationes habeantur. Propterea suggerit rediri ad impugnationem polytheismi, ad elementa fidei, ad eos, qui dicuntur, ultimos hominis fines, ad passiones Christi. Ea sint argumenta de quibus non absque fructu, aut, si sine fructu, saltem absque periculo pro auditoribus, disputationes instituantur.

(2) *Expositio in Rom.* l. II. et *Epitome theol.* cp. 23 (PL. 178, 834-836 et 1730).

(3) Cf. Portalié, art. *Abélard* apud DTC, t. I, col. 43-47.

(4) Sententiam hujusmodi condemnatus ipse retractavit, professus « Filium Dei incarnatum esse ut nos a servitute peccati et a jugo diaboli liberaret et supernae aditum vitae morte sua nobis reseraret » (*Apologia* PL. 178. 106).

Paulus IV ut haereticos qui, instaurata doctrina de redemptione mere morali, negarent Christum esse mortuum « ut nos a peccatis et ab aeterna morte redimeret et Patri ad vitam aeternam reconciliaret » (D-B 993 ; C, 790).

435. III. **Vindicatur revelatio dogmatis.** Adversarios dogma catholicum de Redemptione habet hodie imprimis criticos illos et dogmatum historicos, qui redemptionis doctrinam volunt fuisse S. Paulo propriam et ex ejus tantummodo influxu evangeliis invectam esse, ita ut Christi praedicationi personali fuerit prorsus aliena. Volunt enim Christum non praedixisse, nec imo praevidisse, mortem ad munus messianicum pertinere aut seipsa ad salutem humani generis conferre quidquam. Ad summum eo paulatim devenerit ut praesentiret eam fore conditionem praeviam suae exaltationis et agnitionis ut Messiae.

Ea est modernismi propositio 38ª, decreto *Lamentabili* damnata : « Doctrina de morte piaculari Christi non est evangelica sed tantum paulina » (D-B 2038 ; C. 110[38]).

Contra quod ponitur thesis sequens :

THESIS XXX — Doctrina de morte piaculari Christi non est a S. Paulo in Ecclesiam inducta.

436. I. **Praeparatur et praenunciatur in Vet. Testamento.**

1° **Praeparatur,** quatenus : A) Judaeis inculcatur a prophetis spes Salvatoris, qui salutem conferat non tantum collectivam et nationalem, sed etiam individualem et moralem atque spiritualem, homines a peccato abducendo et in viam justitiae atque aeternae beatitudinis deducendo [1]. Ea est quae, adveniente Christo, manifestatur apud « homines bonae voluntatis », v. gr. apud Zachariam (*Luc.* 1. 68. 75-79), apud Annam prophetissam (*Luc.* 2. 38), apud S. Joannem Baptistam, ubi Christum designat ut « *Agnum Dei, qui tollat peccata mundi* » (*Jo.* 1. 29). — B) Manifestatur valere pro peccatoribus apud Deum justorum tum intercessionem, — v. gr. Abraham et Moysis, — tum dolores aut mortem : cf. 2 *Macch.* 7. 37-38 [2].

(1) Cf. in specie *Jer.* 31-33 ; *Ezech.* 36 ; *Mal.* 3-4. — De progressiva illa spei messianicae cf. exegetas aut theologiae Veteris Test. historicos : v. gr. LAGRANGE : *Le messianisme chez les Juifs ; Touzard :* art. *Juif* (*peuple*) et d'ALÈS : art. *Rédemption* apud DAFC, t. II, *col.* 1614-1651 et t. IV, *col.* 542-544.

(2) Plura exempla apud LAGRANGE, *op. cit.* 3ᵉ *partie,* ch. 7, p. 236 sqq. et MÉDEBIELLE : *L'expiation dans l'A. et le N. Testament,* p. 236-292.

2° **Praenunciatur,** quatenus *Isaïas* 53. 1-12 praedicit Messiae passionem et mortem fore apud Deum pro peccatis hominum piacularem. Ibi enim « **Servi Domini** » humiliationes et passiones describuntur ut ejus qui « *languores nostros ipse tulit* » (4), « *vulneratus est propter iniquitates nostras et attritus est propter scelera nostra,... cujus livore sanati sumus* » (5) ; in quo « *Dominus posuit iniquitates omnium nostrum* » (6) ; qui « *posuit pro peccato animam suam* » (10) et propterea « *justificabit ipse justus multos* » (11) et « *videbit semen longaevum* » (10) : quae passio est ac mors, cujus gratia iniquitates tollantur et peccatores apud Deum justificentur. Jamvero ille « *Servus Domini* », si conferantur omnia loca Isaïae quibus de eo agitur, dignoscitur esse ipse Christus, qui proinde praenunciatus sit morte sua homines a peccato justificaturus [1].

437. Haec loca quatuor sunt : 42. 1-9, ubi « Servus Domini » a Domino inducitur ; 49. 1-8, ubi ipse declarat quale sit munus et officium sibi a Domino demandatum ; 50. 4-9, ubi ipse exponit quam futurus sit Deo docibilis, mansuetus et fortis in tolerandis opprobriis ; 52.13—53.12, ubi describitur ejus passio et mors [2]. Ex his porro constat — A) illum « Servum Domini » intellegendum esse Messiam ; — B) Messiam illum esse Christum.

A) « Servus Domini » intellegendus est Messias, nam : — a) Ea fuit antiquorum Judaeorum opinio (Condamin : *op. cit.* p. 326) : quin futuro Messiae auderent applicare ea quae cap. 53 leguntur de futuris ejus opprobriis, tamen « Servum Domini » interpretabantur futurum Messiam. — b) Nov. Testamentum saepe ea quae de illo scripta sunt dicit esse in Christo adimpleta (*Mt.* 8. 17 et 12. 18-21 ; *Lc.* 22. 37 ; *Jo.* 12. 37 ; 1 *Petr.* 2. 22-25) : in specie *Act.* 8. 30-35, eunucho Aethiopiae interroganti « de quo haec dicta sint » Philippus respondet « evangelizando illi Jesum ». — c) Patrum hac de re consensus est unanimis (Condamin, loc. cit.) — d) Quae de « Servo Domini » dicuntur, obvio suo sensu intelleguntur de viro aliquo singulari, et non possunt econtra intellegi de ullo messia collectivo, qualem acatholici exegere fingi velint : — α) Non de toto populo Israël, nam « Servus Domini » opponitur « populo » : a Domino formatus est ut

(1) Textus expositio et exegesis apud Condamin : *Le livre d'Isaïe*, p. 325-344 et *Rev. bibl.* 1908, p. 162 sqq. ; cf. etiam Lagrange, *loc. cit.* p. 236-251 et *Rev. bibl.* 1905, p. 281.

(2) De eodem agi his locis exegetae fatentur. Imo non pauci putant haec esse quatuor unius ejusdemque prophetici poematis fragmenta, quae jam non in suo primigenio contextu legantur sed, consequenter ad lacerationem aut deperditionem operum Isaïae, alia alio in loco restituta sint.

« reducat Jacob ad eum » (49. 5), « ut suscitet tribus Jacob et faeces [id est, reliquias] Israël convertat » (6) ; datus est a Domino « in foedus populi » (8) ; populus invitatur audire vocem « servi Domini » (50. 10) ; « propter scelus populi » Deus percussit eum (53. 10). Repugnat praeterea et imprimis in justo, qui pro peccatis alienis percutitur, agnosci eum populum, cujus prophetae tam saepe denuntiaverunt peccata propria. — β) Non de selecta populi parte, de justis scilicet, seu de illis « reliquiis », quas « Servus Dominis » dicitur habere convertendas (49. 6) ; pars enim ea est imprimis quae invitatur « audire servum Domini » (50. 10) ; ea de se dicere nequit : « Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meae recordatus est nominis mei » (49. 1) ; ea nec ante nec post exilium ullibi exhibetur ut quae passa fuerit et mortem obierit pro populi parte rea et infideli [1].

B) Ille Messias est Christus, nam : a) hoc supponitur Novo Testamento ; — b) impossibile est assignari quemquam alium de quo intellegi possint dicta praesertim in cap. 53 ; — c) concordantia est tanta inter Isaiae descriptionem et narrationes evangelicas ut propheta dici soleat anticipasse « evangelium » passionis Christi [2].

438. II. **Profertur ab ipso Christo.** In *evangelio S. Joannis*, res est obvia. Dicit, ab initio, « *exaltari oportere Filium hominis* » — sicut serpens in deserto — « *ut omnis qui credit in ipsum non pereat*

(1) Objicitur populum ipsum vocari « servum Domini » v. gr., 41. 8 ; 42. 19 ; 43. 10, imo et 49. 3. — At : a) Quoad 49. 3, vox « Israël » a plerisque criticis — cf. Condamin : p. 297 et 335 — admittitur esse glossa, et, re vera, impossibilis est in ore ipsius « Servi Domini », qui, versiculis sequentibus (6 et 8) dicitur ad populum Israël missus. — b) Hoc autem loco seposito, « populus » non vocatur « servus Domini » in ullo fragmento poematis, quod est de « Servo Domini ». Alia enim inducta loca, ex dictis, non pertinent probabilius ad contextum primigenium nostrorum locorum ; alias porro populus optime intellegitur posse dici et ipse servus Domini.

(2) Nec obstat quod : A) « S. D. » non describatur qualis solebat describi rex messianicus, nam non erat cur ita fieret, ubi describendae erant ejus humiliationes ; ceterum, si conferantur v. gr. cpp. 11, initio, et 55.3-4, non deest omnis similitudo. Condamin, p. 339-341. — B) Passiones « Servi D. » describantur ut praeteritae, nam ita fieri solet apud prophetas : cf. tamen indicium futuri in 53. 10b. C) Promittatur liberatio mere terrena et politica, nam : a) ita fieri solet apud omnes prophetas ; — b) non desunt omnino indicia effectus spiritualis, v. gr. « *tolletur iniquitas de medio populi ; servus meus justificat* ». (Cf. Pelt : *Hist. de l'A. Test.* t. II, p. 239-248 ; Condamin, p. 344) ; — c) hinc et ex praejudiciis judaïcis explicatur tum antiquos judaeos, etsi « Servum D. » intellegebant de Messia, tamen abhoruisse ab applicandis illi capp. 52-53, tum ipsos apostolos adeo repugnasse admittendo Christo, qui passurus esset. (Cf. Lagrange, *op. cit.* p. 242 sqq.)

sd habeat vitam aeternam ». (3. 14-15). « *Nisi* [enim] *granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet;* sin autem mortuum fuerit, multum *fructum affert* » (12. 24). Ipse, qui « *venit ut vitam habeant,..* est *bonus pastor, qui dat animam suam pro ovibus* » (10. 10-11). — Sed apud synopticos etiam, exhibetur ut sciens et docens mortem tum pertinere ad missionem suam, tum fore hominibus in salutem, seu piacularem.

439. A) **Missionem suam complecti mortem** dicit initio quidem subobscure, ubi v. gr. se exhibet ut sponsum, qui interim cum suis maneat at post aliquod tempus ab eis auferendus sit (*Marc.* 2. 18-20); postea vero clarius, v. gr. post Petri confessionem (*Marc.* 8. 31-35), ubi passionem suam non tantum praenunciat sed etiam, contra Petrum, affirmat esse juxta Dei consilia, ita ut omnibus qui se sequi voluerint crux sit pariter tollenda. Item, post transfigurationem, ubi loquitur de futura sua resurrectione (*Marc.* 9. 9). Inde jam saepius et clarius, praetergrediendo Galilaeam (10. 32-34), et ascendendo Jerusalem (9. 30-32), praenunciat ea quae se in sua passione manent. Item filiis Zebedaei (10. 39-45) significat calicem amarum sibi bibendum esse et se venisse ut animam suam daret redemptionem pro multis. Parabola tandem de vinicolis « filii » homicidis (12. 1-12) clare significat sibi moriendum esse et ex sua morte fore ut, Deo mirabiliter disponente, ipse sit « in caput anguli » : quam enim expectat mortem, eam dicit a Deo ordinatam et in Scripturis praenunciatam. (*Marc.* 9. 12 ; *Mt.* 26-54 ; *Lc.* 18. 31 ; 24. 25-27 et 44-49).

440. B) **Suam mortem fore piacularem** significat quatenus : — a) Missionem suam, ad quam mors ea pertinet, dicit esse « quaerendi et salvum faciendi quod perierat » (*Lc.* 19. 10) : quae salus est peccatorum cum Deo reconciliatio (*Lc.* 15. 1-10), seu curatio morbi quo peccatores laborant (*Lc.* 5. 31-32). — b) Mortem suam dicit explicite fore « redemptionem » (λύτρον) pro multis (*Mc.* 10. 45 et *Mt.* 20. 28).

Hujus verbi : α) *authenticitas* absque ulla ratione in dubio ponatur : Notio enim voce λύτρον expressa, tum ex Legis praescriptionibus (cf. supra, n° 530 de voce ἀπολύτρωσις), tum ex quotidiano usu in redemptione servorum et captivorum, non poterat Christo non esse obvia ; imo eamdem fere notionem ipse voce ἀντάλλαγμα (commutatio, compensatio) enunciat (*Mc.* 8. 37 et *Mt.* 16. 26), ubi dicit hominem non posse ullam « commutationem » dare pro anima sua. Nec ullo jure assereretur eam vocem fuisse ab evangelista e S. Paulo desumptam, nam ea praecise deficit apud S. Lucam, cui prae aliis doctrina S. Pauli cognoscitur fuisse familiaris. — β) *Sensus* au-

tem verbi obvius est tum ex usu quotidiano : λύτρον enim dicebatur pretium solutum ad liberationem servis aut captivis impetrandam ; tum ex significatione vocis ἀντί, nam ex *Mt.* 17. 27 ea vox potest significare *pro,* et, si supponatur adhiberi sensu suo etymologico « loco »[1], sensus idem manet : Christus scilicet, loco hominum et in eorum salutem, pretium liberationis solvit, quod ipsi solvere non poterant ; tum ex verbo S. Pauli apud 1 *Tim.* 2. 6 : « dedit redemptionem semetipsum pro omnibus (δοὺς ἑαυτὸν ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων) : ibi enim eadem sententia exprimitur, et verba ita componuntur ut clare appareat λύτρον ἀντί idem esse ac ἀντίλυτρον ὑπέρ.

c) Mortem suam tandem, ubi Eucharistiam instituit, aperte dicit esse *pro multis : « corpus meum pro vobis »* (1 *Cor.* 11. 24) ; *« quod pro vobis datur... funditur »* (*Luc.* 22. 19-20) ; *« sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur »* (*Mc.* 14. 24) ; *« qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum »* (*Mt.* 26. 28).

441. III. **Ea doctrina constat fuisse communis in Ecclesia independenter ab influxu S. Pauli.**

1° **Ea est affirmatio ipsius S. Pauli.** A) Quod « *Christus pro nobis mortuus est* » recenset inter primaria evangelii capita, quae et ipse « accepit » et quorum praedicatio sibi cum omnibus apostolis communis est. « Sive enim ego, sive illi, sic praedicamus, et sic credidistis » (1 *Cor.* 15. 1-11)[2]. — B) Ab initio, in primis scilicet ejus epistolis, doctrina illa tantum habet momentum ut appareat jam tunc clare percepta nec proinde paulatim tantum elaborata : Jam 1 *Thess.* 5. 10 ait : « *Non posuit nos Deus in iram sed in acquisitionem salutis per D. J. C., qui mortuus est pro nobis* (περὶ ἡμῶν) » : Ergo salus est per Christum et per Christum morientem. — *Galatis* (3. 1) commemorat crucifixionem Christi fuisse ab initio tam vivide eis praedicatam ut mirum sit eos vim ejus evacuare, et non impugnat doctrinam judaïzantium nisi ex ejus consequentia, quod, si per legem justitia, ergo frustra Christus mortuus esset (2. 21 ; 5. 11 ; 6. 14) : adeo certam apud Galatas supponit efficacitatem mortis Christi in ordine ad justificationem

(1) Hoc sensu, apud Fl. Josephum, sacerdos Eleazarus, timens ne omnia templi pretiosa a Crasso exspoliarentur, dicitur ei, loco omnium, dedisse trabem auream : « Δείσας περὶ τῷ παντὶ κόσμῳ τοῦ ναοῦ, τὴν δοκὸν αὐτῷ τὴν χρυσῆν λύτρον ἀντὶ πάντων ἐδωκεν » (*Ant.* XIV. 7, 1). — Plura apud : Médebielle : *La vie donnée en rançon,* apud *Biblica,* IV (1923), p. 12-14.

(2) Proprium igitur S. Pauli non fuit docere Christum pro hominibus mortuum, sed latius exponere, data occasione, quomodo vi et virtute mortis ejus salus nobis facta sit, et inculcare fructum illius mortis non esse seu non applicari nisi per fidem in Christum.

— 1 *Cor.* 1. 17. 18. 23 ; 2. 2, totus est in inculcando praedicationem evangelii verti totam in cruce Christi, quae sit Judaeis scandalum, eis autem, qui credant, Dei virtus et sapientia.

442. 2° **Aliunde constat eamdem fuisse ab initio praedicationem.** A) *Actis Apostolorum,* Christus ab initio praedicatur ut *Salvator,* per quem sit remissio peccatorum. (2. 38 ; 5. 31 ; 10. 43), in quo sit salus (4. 12), cujus mors propterea fuerit a Deo praeordinata (2. 23. 4. 28) et per prophetas praenunciata (3. 18, et praesertim 8. 31-35, ubi Philippus ennucho « evangelizat » Isaiam scripsisse de passione Christi). — B) Suis scriptis alii etiam doctrinam referunt de morte piaculari Christi). — a) S. Petrus scribit nos « *redemptos esse non corruptibilibus auro vel argento... sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati Christi* ». (1 *Petr.* 1. 18-19) ; « *Christum passum esse pro nobis... peccata nostra pertulisse in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiae vivamus ; cujus livore sanati sumus* » (2. 21-24, ubi agnoscuntur recitata verba Isaiae de « *Servo Domini* ») ; « *Christum pro peccatis nostris mortuum esse* » (3. 18). — Denuntiat idem apostolus « *magistros mendaces* », qui « *negant eum, qui emit eos, dominum* » (2 Petr. 2. 1). — b) S. Joannes, in *Apocalypsi,* dicit Christum « *lavisse* [vel : *solvisse,* prout legitur λούσαντι vel λύσαντι] *nos a peccatis nostris in sanguine suo* » (1. 5) ; ostendit eum in cælo, tanquam agnum occisum, cui seniores et angeli gloriam et gratias agunt quia « *occisus est et nos Deo redemit in sanguine suo* » (5. 6 et 9-12). Idem, in sua *prima epistola,* fidelibus revocat in memoriam J. Christum esse « *propitiationem* (ἱλασμόν) *pro peccatis nostris* » (2. 2) ; « *apparuisse ut tolleret peccata nostra* » (3. 5) ; « *illum animam suam pro nobis posuisse* » (3. 16) ; « *in hoc esse charitatem Dei in nobis, quod miserit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris* » (4. 10).

CAPUT SECUNDUM

DE MODO QUO CHRISTUS OPERATUS EST REDEMPTIONEM

443. Posito facto redemptionis per Christum, quaestio jam oritur de modo quo vita ejus, passio et mors ad eam contulerint. Aliud enim est eam illis ut suae causae ascribi ; aliud hanc earum causalitatem determinari cujusmodi fuerit. Hoc ultimum agit S. Thomas, q. 48,

ubi docet passionem Christi operatam esse salutem nostram per modum meriti, satisfactionis et sacrificii [1]. Hinc tres articuli nostri : de merito ; de satisfactione ; de sacrificio redemptivo Christi.

ARTICULUS I

DE MERITO CHRISTI

THESIS XXXI — Christus actibus suis viatoris liberis meruit sibi animae impassibilitatem, corporis gloriam et nominis exaltationem ; nobis autem justificationem et omnia dona supernaturalia.

444. PRAENOTANDA. 1° **Notio meriti.** Meritum *concrete,* seu actus meritorius, est opus conferens ad alterius aliquale emolumentum proptereaque retributione dignum. *Abstracte,* est id propter quod actui meritorio retributio debetur, seu valor operis in emolumentum alterius vergentis. Ubi notandum est ad meritum non requiri ut emolumentum alteri ex opere emergens sit aliquid ei debitum, necessarium aut utile; sufficit ut alteri conferatur aliquid in quo sibi complaceat, sicut v. gr. glorificatio Dei resultans ex bonis operibus spontanee susceptis, cooperatio conservationi ordinis quem Deus vult servari.

2° **Quo sensu creatura possit apud Deum mereri** aliunde constat, sicut et alibi explicatur cujusmodi sit meriti influxus in praemium, quod Deus libere, etsi ex justitia, si agatur de merito stricte dicto seu de condigno, merenti largiatur.

Non influit sane in ipsam Dei volitionem ita ut eam ullo modo causet, sed tamen, praesupposita Dei ordinatione de praemio dando bonis operibus, si fiant, vere causa est cur praemium detur. Praesupposita scilicet illa Dei ordinatione, qui bonum opus libere operatus est, is habet ad

(1) Addit S. Thomas eam operatam esse etiam *per modum efficientiae* et *per modum redemptionis.* At hi modi sunt praeter quaestionem nostram, nam non specificantur aut denominantur proprie ex modo qua Christus apud Deum influxit in ordine ad remissionem peccati. *Per modum efficientiae* significat tantummodo « carnem, secundum quam Christus passionem sustinuit, esse instrumentum divinitatis, ex quo ejus passiones et actiones operantur in virtute divina ad repellendum peccatum » (q. 49, a. 1 c ; cf. q. 48, a. 6 c et ad 3[m]). — *Per modum* redemptionis significat *effectum* redemptionis fuisse ad modum *liberationis a servitute,* cujus quasi pretium fuerint merita et satisfactiones Christi (q. 48, a. 4 c et a. 6, ad 3[m] ; q. 49, a. 1 c).

praemium jus verum fundatum simul et Dei illa ordinatione et suo opere, quod ipse, cum posset non ponere, re vera posuit. Unde apparet ibi intercedere veram rationem justitiae, etsi non sit sane secundum eam absolutam aequalitatem, quae est propria justitiae inter aequales commutativae ; cum enim actio creaturae jus non conferat nisi ex praesuppositione divinae ordinationis, Deus efficitur debitor non creaturae simpliciter, sed sibi ipsi, in quantum debitum est ut sua ordinatio impleatur » (I. II, q. 114, a. 1c et ad 3[m]).

445. PROBATUR. 1° **Christus potuit sibi mereri.** — Posito fuisse in Christo voluntatem creatam, quae libere, etsi cum auxiliis gratiae, operaretur placita divinae voluntatis, difficultas intellegendi quomodo potuerit mereri haud alia est de illa ac de omni voluntate humana. Quod enim Dei jam fuerit totum quod Christus est, ita ut operari proindeque mereri nequiverit nisi utendo gratuitis Dei donis, hoc ei commune est cum omni creatura nec impedit eum manere vere dominum suae actionis, proindeque libere ponere actus qui vergant in verum Deo obsequium [1]. Duo tantum sunt Christi propria, quae videntur obstare ne mereatur : unio hypostatica, vi cujus idem sit merens et praemians ; status comprehensoris, quo fuerit extra statum merendi. Neutrum tamen obstat.

A) *Non obstat unio hypostatica,* nam, eadem persona, sicut habet, ratione naturarum, operationes et passiones inter se relativas, habere etiam potest jura et officia inter se relativa. Jura enim et officia, sicut et operationes, personae realiter competunt ; at ei non competunt nisi ratione naturarum quas habet proprias. Christus ergo, sicut Patri proindeque sibi etiam ut Deo sua humana operatione subservit et placet (III. q. 20), ita etiam apud se, ut apud Deum, mereri potest [2].

B) *Non obstat status comprehensoris,* quia non excludit eum esse etiam viatorem. Non excludit igitur meritum nisi quoad ea ad quae jus ex sua constitutione habet aut quibus jam, ut comprehensor, fruitur. Jamvero cum « beatitudo principaliter et proprie consis-

(1) Pleno proinde jure STUFLER, in ZSKT (1906, p. 625-649), doctrinam catholicam de merito Christi contra Schell vindicavit.

(2) Exemplo sit princeps, qui, etsi est realiter unica persona, tamen, qua princeps, mandat vectigalia sibi solvi, qua vero bonorum personalium dominus privatus, vectigal ipse solvit. Item qui pupilli sit tutor simul et creditor : a pupillo potest exigere, ut creditor, solutionem debiti, quam, ut tutor et pupilli nomine, sibi ipsi, tanquam creditori, praestabit. In utroque casu, suppositum realiter unum virtualiter est multiplex ; pariter in Christo, non obstante unione hypostatica, ratione duarum naturarum suppositum est aequivalenter seu virtualiter multiplex, ita ut ille unus praestare possit ea quae duo supposita praestarent.

tat in anima secundum mentem », seu in hoc quod « mens videt et fruitur Deo », hinc sequitur Christum, quia comprehensor erat, jam « secundum mentem plene vidisse Deum, et sic habuisse beatitudinem, quantum ad id quod est proprium animae » : hoc ergo mereri non potuit, nam « meritum non est nisi ejus quod nondum habetur ». Sed, cum, sicut jam supra dictum est, haec fuerit inter Christum et ceteros beatos differentia ut « ei de beatitudine deesset » id quod ad eam non pertinet nisi « secundario et quasi instrumentaliter, impassibilitas scilicet animae et gloria corporis », hinc manet eum potuisse ea omnia sibi mereri, si actus vere liberos edere potuit (III. q. 15, a. 10 ; q. 19, a. 3 et 4).

446. 2° **Quibusnam actibus Christus meruerit.** — Quos potuerit Christus edere actus liberos jam supra (n° 364-395) dictum est, circa mortem scilicet et circa ea omnia de quibus ei non fuerit praeceptum rigorosum, imo, juxta sententiam ibi propugnatam, etiam circa res ei rigorose praeceptas. Addi jam potest, quae communis est doctorum sententia, eum libere egisse proindeque meruisse **a primo instanti existentiae suae** : posito enim, ut vidimus, eum jam tunc donatum esse scientia infusa, nihil ei deerat unde jam haberet usum liberi arbitrii (III, q. 34, a. 2 et 3). Singulis proinde Christi actibus liberis aderant omnes conditiones ad meritum requisitae : boni objective erant ac liberi ; valorem praeterea cum ex dignitate personae agentis haberent singuli infinitum, erant superabundanter proportionati ad praemium, quod non poterat esse nisi finitum ; multitudo tandem bonorum, quae Deus, illorum causa, nobis et Christo, re vera, contulit, probat ordinationem praeexstitisse ut, si fierent, praemium eis retribueretur.

447. 3° **Sibi meruit.** Docet enim Scriptura Christi claritatem et nominis exaltationem esse fructum obedientiae, passionis et mortis ejus. Adveniente hora qua rediret ad Patrem, ipse rogat ut qui « *clarificavit* [Patrem] *super terram,* [et] *opus consummavit quod dedit ei* [Pater] *ut faceret, jam clarificetur apud Patrem* » (*Jo.* 17. 4-5). Discipulis ipse explicat « *oportuisse pati Christum, et ita intrare* [seu : ut ita intraret] *in gloriam suam* » (*Luc.* 24. 26). S. Paulus docet, propterea quod « *humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem... Deum exaltasse eum et donasse illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine ejus omne genu flectatur caelestium, terrestrium et infernorum* » (*Philipp.* 2. 8-10). « *Eum,* ait (*Hebr.* 2. 9), *qui modico quam Angelis minoratus est, videmus Jesum propter passionem mortis, gloria et honore coronatum* ». Et, re vera, teste *Apoc.* 5. 9-12,

angeli et beati in caelo Christum canunt esse « *dignum accipere virtutem et divinitatem et sapientiam et fortitudinem, et honorem, et gloriam et benedictionem* », quia occisus est et in sanguine suo homines Deo redemit.

Quam vero sit consentaneum rationi Christum aliquid saltem suae gloriae habere ex proprio merito, S. Thomas optime explicat.

« Habere aliquod donum per se est nobilius quam habere illud per aliud.. [Jamvero] ille qui habet aliquid per meritum proprium, habet quodammodo illud per seipsum. Unde nobilius habetur id quod habetur per meritum quam id quod habetur sine merito. Quia autem omnis perfectio et nobilitas Christo est attribuenda, consequens est quod ipse per meritum habuerit illud quod alii per meritum habent: nisi sit tale quid, cujus carentia magis dignitati Christi et perfectioni praejudicet quam per meritum accrescat. Unde nec gratiam, nec scientiam, nec beatitudinem animae, nec Divinitatem meruit, quia, cum meritum non sit nisi ejus quod nondum habetur, oporteret quod Christus aliquando istis caruisset: quibus carere magis minuit dignitatem Christi, quam augeat meritum. Sed gloria corporis, vel si quid aliud hujusmodi est, minus est quam dignitas merendi... Et ideo dicendum est quod Christus gloriam corporis et ea quae pertinent ad exteriorem ejus excellentiam, sicut est ascensio, veneratio et alia hujusmodi, habuit per meritum » (III. q. 19, a. 3).

448. 4° **Nobis meruit.** — Ut iisdem suis actibus mereri posset pro nobis, conditio requirebatur et sufficiebat Dei praeexistere ordinationem de eorum ad hunc finem acceptatione. Jamvero ordinationem illam praecexstitisse constat, cum sit *de fide* Filium Dei, Deo sic disponente, propter nos homines et propter nostram salutem incarnatum esse, ita ut, « *secundum propositum voluntatis ejus... haberemus redemptionem per sanguinem ejus* » (*Eph.* 1. 5-7).

Et, re vera, *de fide catholica* est Christum pro nobis meruisse. Definit enim **Tridentinum** explicite peccatum originale « non tolli per aliud remedium quam per meritum Christi » et illud « meritum per baptismi sacramentum... tam adultis quam parvulis applicari » (D-B 790; C. 871[3]). Idem docet « justificationis causam meritoriam esse [Christum], qui... sua sanctissima passione in ligno crucis nobis justificationem meruit » (D-B 799; C. 879), et definit « homines sine Christi justitia, per quam nobis meruit, non justificari » (D-B 820; C. 892[10]).

Quam doctrinam S. Paulus ex professo prosequitur ubi (*Rom.* 3. 23-24; 5. 10-11) per modum theseos asserit et probat homines, quia « *omnes peccaverunt, justificatos esse gratis per redemptio-*

nem quae est in Christo Jesu », ita ut « *reconciliati sint Deo per mortem filii ejus... et per eum reconciliationem acceperint* ». Hinc illa gratiarum actio : « *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in caelestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem* » (*Eph.* 1. 3-4). Quo docet « omnem benedictionem spiritualem » seu donum supernaturale, imo et « electionem » seu praaedestinationem, esse nobis « in Christo » seu propter Christum. Deus enim est « *qui nos liberavit et vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum et gratiam, quae data est nobis in Christo Jesu ante tempora saecularia* » (2 *Tim* 1. 9)

Jure ergo, in thesi, assertum est Christum nobis meruisse non tantum justificationem nostram, sed etiam omnia dona supernaturalia.

449. 5° QUAERES utrum **dispositiones subjectivae,** quibus adulti remote vel proxime **praeparantur ad primam gratiam,** annumerandae sint et ipsae donis quae Christus nobis meruit.

Negavit Capreolus cum nonnullis aliis, quia, si Christus meruisset omnes praecedentes dispositiones ad gratiam suorum electorum, prima gratia nullo modo esset gratia, sed esset reddita vel reddenda ex debito, puta per merita Christi praecedentia [1]. Hoc autem, cui Scriptura jam locis indicatis (*Eph.* 1. 3 4 et 2 *Tim.*, 1. 9) aperte contradicit, jam non sustinetur [2] nec sustineri posse videtur. Declarat enim Tridentinum (*sess.* 6, *cap.* 5) « ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per Jesum Christum praeveniente gratia sumendum esse, hoc est ab ejus vocatione, qua, nullis eorum existentibus meritis, vocantur, ut per ejus excitantem et adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam justificationem, eidem gratiae libere assentiendo et cooperando, disponantur ». Neque exinde sequitur primam gratiam non esse gratuitam. Nam, etsi detur gratiam superinfundi aliquatenus necessario consequenter ad ultimam seu immediate proximam dispositionem, tamen haec ultima dispositio, quamvis debita meritis Christi, tamen nobis est omnino gratuita.

450. SCHOLION. 1° **Angelis** patet Christum non meruisse gratiam hoc sensu quod eos redemerit seu cum Deo reconciliaverit. Theologorum sen-

(1) CAPREOLUS : *in* III, *dist.* 18, a. 3, § 3 *ad argum. Scoti contra* 4^am *conclus.* (Ed. Paban-Pégues t. V, p. 268^b).

(2) Cf. SUAREZ : *De incarnat. disp.* 41, s. 2, ubi addit omnes recentiores S. Thomae discipulos sententiam nostram amplecti. — Cf. etiam BECANUS : *De incarnat.* cp. 14, q. 10, n. 5 sqq.

tentia communis est Christum non meruisse eis nisi dona quaedam accidentalia, novas v. gr. illuminationes, aut gaudium de reparato effectu lapsus malorum angelorum per vocatos homines ad eorum sedes in caelis occupandas. Aliqui praeterea putant eum angelis hoc sensu meruisse gratiam et gloriam quod, intuitu meritorum ejus, praeservati sint a peccato (Suarez : *Disp.* 42, s. 1). — Sed de his omnibus uberius infra, ubi agetur de corpore Christi mystico. — Dicetur etiam infra, pro propugnata opinione de fine Incarnationis, eos, sicut et totalem rerum ordinem actualem, non esse decretos nisi consequenter ad praecognitum ut absolute futurum Christum, nec proinde exstitisse unquam non ordinatos ad eum aut non beatificandos ex ejus contemplatione [1].

2° **De protoparentum gratia ante peccatum,** controversia etiam est utrum dici possit gratia Christi. Sententia communior hoc negat, et jure, ut videtur, nam documenta revelationis, quae docent Christum venisse ad reparandum Adami peccatum, non docent eum venisse ad *merendam* ei primam ejus elevationem ad statum gratiae supernaturalis. — Quo non obstante, admitti potst, ut infra dicetur, protoparentes ordinatos esse ab initio ad gloriam Christi.

ARTICULUS II

DE SATISFACTIONE CHRISTI

De satisfactione Christi quinque consideranda sunt : 1° Factum ipsum, utrum Christus pro nobis satisfecerit. 2° Natura illius satisfactionis, seu in quo proprie fuerit. 3° Perfectio illius. 4° Necessitas. 5° Universalitas.

§ 1 FACTUM SATISFACTIONIS CHRISTI

THESIS XXXII — Christus nos redemit per modum satisfactionis (q. 48, a. 2).

451. Praenotanda : 1° **Sensus theseos** est Christum nobis impetrasse condonationem peccati exhibendo Deo aliquid, mortem in

(1) Pro daemonibus utrum Origenes docuerit Christum esse passum, controvertitur inter eruditos. Cf. Huet : *Origeniana, l.* II, *cp.* 2. *q.* 3, *n.* 2-5 et 23-24, apud PG. 17. 797 sqq et 826 sqq ; Prat : *Origène, Introd.* p. LIII-LIV et 105-107.

specie, quod ei esset per modum reparationis aut compensationis pro peccato ac pro pœna ob peccatum luenda.

Satisfactio enim hic intellegitur sensu suo generali ac materiali operis, quod vel *pro solutione debiti habeatur*, vel *irato satis sit ad vindictam aut ad condonationem* [1]. Remissa igitur ad thesim sequentem quaestione de sensu proprio ac formali, quo opus redemptivum fuerit Deo satisfactorium, hic affirmatur tantummodo opus illud valuisse apud Deum *pro solutione debiti vel pro peccati expiatione atque compensatione*, ita ut condonatio concessa re vera fuerit intuitu illius sive solutionis sive expiationis atque compensationis [2].

2° **Nota theseos.** — A) *Non est de fide* definita, nam, etsi in Tridentino (VI. 7 et XIV. 8 D-B. 799 et 904 ; C. 879 et 1198) Christus dicitur explicite « pro nobis Deo Patri satisfecisse », tamen de hoc definitiones non sunt. — B) Sed per ea ipsa documenta constat quam sit illa doctrina *in praedicatione quotidiana magisterii ordinarii* [3] : in concilio Vaticano *Schema de doctrina catholica* proponebat definiendum « ipsum Deum Verbum, in assumpta carne patiendo et

(1) Sensus is est primaevus, ***nec tantum aut proprie juridicus***, vocis satisfactionis. « Satisfactio pro solutione est » ait *Digest.* 46. 3, 52, quin tamen duae voces convertantur. « Omnis pecunia [enim] exsoluta esse debet aut eo nomine satisfactum esse. Satisfactum autem accipimus, quemadmodum voluit creditor, licet non sit solutum ». (*Ibid.* 13. 7, 9). Satisfacit autem ille qui, etsi non totam pecuniam creditori numeret, tamen eum quomodocumque placat, v. gr. cautione, pignore, partis debiti solutione, etc. — Satisfacere est etiam purgare se de injuria illata, verbis excusare, deprecari veniam, petere culpam fatendo. Sic solebant, aiunt, « in qua civitate legatus populi romani violatus esset, ***nisi publice satisfactum esset***, ei civitati bellum indici » (Cicero : *Verr.* II. 1, 31), ita ut « ***satisfacere sit tantum facere quantum satis est irato ad vindictam*** » (Asconius *in h. l.* apud Forcellini, sub voce « ***satisfacere*** »). Sic, apud Caesarem, Ubii leguntur, « purgandi sui causa ad eum legatos mittere, qui... petunt atque orant ut sibi parcat... [Caesar autem] Ubiorum ***satisfactionem*** accepit » (***Bell. gall.***, VI. 9).

(2) Hoc generali sensu, satisfactio considerari solet modo ut restitutio, modo ut placatio, modo ut meritum : — A) Ut ***restitutio***, quatenus offenso redditur totaliter aut ex parte honor quo fraudatus erat. — B) Ut ***placatio***, quatenus, etiam non attenta hujusmodi restitutione, offensus tamen ita placatur actu demissionis ejus qui satisfacere intendit ut ex rationabiliter averso jam fiat illi homini non rationabiliter aversus. — C) Ut ***meritum***, quatenus actus satisfactorius, etiam ratione non habita poenae quacum peragitur, tantae excellentiae sit intrinsecae ut offenso nequeat non esse gratus et condonationis praemio dignus.

(3) Omnes theologi eam proponunt. *Catechismus concilii Tridentini* (de 4° symboli art., q. 14 et 25) vult doceri Christum « integram atque omnibus numeris perfectam satisfactionem... pro peccatis nostris Deo Patri persolvisse ».

moriendo, pro peccatis nostris Deo potuisse *satisfacere* [ac] vere et proprie satisfecisse »[1]. Leo XIII, in encyclica *Tametsi futura,* docet : « Filium Dei violato Patris numini cumulatissime pro hominibus uberrimeque satisfecisse de sanguine suo »[2]. Cum praeterea, ut per argumenta constabit, appareat in Scriptura et traditione revelata, dicenda est *fidei proxima.*

452. PROBATUR. I. **Scriptura.** 1° **Ex evangeliis,** ubi Christus ipse dicit se « *dare animam suam redemptionem* (λύτρον) *pro multis* » (*Mc.* 10. 45. et *Mt.* 20. 28). Quam vocem seipsa significare pretium compensativum liberationis alicujus servi, captivi vel debitoris, jam supra dictum est, n. 440.

2° **Ex epistolis S. Pauli,** cujus doctrina generalis est redemptionem nostram factam esse a Christo, pretio soluto, seu cum satisfactione. Christus enim morte sua nos fecit ex inimicis et filiis irae reconciliatos et amicos Dei (*Rom.* 5. 8-10), et ea remissio peccatorum redemptio (ἀπολύτρωσις) est, quam habemus in eo (*Col.* 1. 14) : nam consistit in hoc quod « *Deus nos eripuit de potestate tenebrarum et transtulit in regnum filii dilectionis suae* » (*Ibid.* 13). Hinc est cur simus « *liberti* » Christi, liberti, quos Christus « *acquisivit* » sibi « *servos*, pretio » soluto (1 *Cor.* 7. 22-23 et 6. 20). Jamvero hoc pretium ipse Christus est qui « *dedit redemptionem* (ἀντίλυτρον) *semetipsum pro omnibus* » (1 *Tim.* 2. 5). Ergo S. Paulo mors Christi pretium est, cujus intuitu seu ex cujus quasi solutione[3] Deus nos transtulit de potestate tenebrarum seu nos habuit sibi reconciliatos et amicos. Ea autem est, sensu suo generali, satisfactio.

453. *Haec porro doctrina tribus in specie locis proponitur :*

A) *Rom.* 3. 24-26, ubi ascribitur « *propitiationi Christi in sanguine* » quod justificatio sit simul omnibus gratuita et tamen ostendat Deum esse justum, tum in praetermittendo olim praecedentia delicta, tum in justificando nunc per fidem in Christo Jesu. Is enim sensus

(1) Cap. XIV et *de Myst. Verbi incarn. can.* 5-6 (*Concil. coll. Lacensis,* t. VII, p. 515 et 543 ; 561 et 566).

(2) Die 1ª novembris 1900 (*Acta S. Sedis,* XXXIII, p. 275).

(3) Vix est cur quaeratur de eo, cui facta fuerit hujusmodi solutio. Sed excluditur omnino eam factam esse « *potestatibus* » illis, « *de quarum potestate* » Deus nos eripuit (*Col.* 1. 13) et quidem « *expolians* » eas (2. 15); quae nobis, soluto pretio, liberatis pergunt insidiari (*Eph.* 6. 11-12), quasi non habeant satisfactionem, imo etiam nunc non possunt debellari nisi vi et meritis gratuitae Dei gratiae, quae vi et virtute illius pretii nobis conceditur (*Rom.* 7. 24-8. 34).

est illius pericopae, quae quasi thetice proponit doctrinam S. Pauli de justificationis modo [1]. Jamvero hoc significat sanguinem Christi esse Deo per modum satisfactionis pro peccato praestitae. Ille enim est qui propitium eum facit, seu cujus intuitu credentes Deus justificat. Et tamen ille est etiam ratione cujus ostenditur *justus* tum ubi, tempore tolerantiae, praeteribat praecedentia delicta, tum ubi nunc remittit per fidem ; porro Deus non potest in hoc esse et manifestari *justus* nisi id, cujus intuitu ita se habet ad peccatum, satisfaciat justitiae suae ; secus enim appareret quidem gratis olim praetermisisse et gratis nunc remittere peccata, at non ostenderetur in utroque casu cum justitia procedens. Ergo sanguis Christi, cujus intuitu Deus peccatores justificat, satisfactio est justitiae Dei pro peccato praestita.

B) *Rom.* V. 17-19, ubi delicto seu inobedientiae Adami, ut causae omnium condemnationis, opponitur justitia seu obedientia Christi, ut causa omnium justificationis. Jamvero, qui sua obedientia avertit ab hominibus condemnationem et iram inobedientia inductam, is reconciliat placando offensum seu ei satisfaciendo. Placat enim obediendo ; porro placare, obediendo, eum quem inobedientia offenderat est placare satisfaciendo seu compensando per complacentiam, quam habet in obedientia, displicentiam, cui ei fuerat inobedientia.

(1) Cf. Commentatores, v. gr. Lagrange (*Épitre aux Romains*, p. 72-78) et praesertim Prat. (I[7], p. 242-247 et note E p. 504 sqq. ; II[6], p. 219). — Consecutio et connexio idearum obvia est, si modo advertatur verba versiculorum 25[c]-26[a] : « ***propter remissionem*** [melius, praetermissionem : πάρεσιν et non ἄφεσιν] ***praecedentium delictorum in sustentatione,*** [id est, tolerantia] ***Dei*** », esse ad modum parenthesis, qua anterior peccatorum praetermissio affirmatur esse causa cur Deus nunc, etiam ubi justificat seu peccatum condonat, tamen manifestet se erga peccatum procedere cum justitia. Hoc enim notato, jam tota pericopa sic potest exponi paraphrastice : Omnes sine distinctione, quia omnes peccaverunt, justificantur gratis per redemptionem, quae est in Christo Jesu ; nam Deus illum constituit propitiationem, id est, instrumentum propitiationis in sanguine ipsius, seu Deus eum, gratuita sua dispositione, statuit, per cujus sanguinem fieret omnibus propitius. Jamvero illam viam propitiationis seu justificationis Deus statuit ad ostensionem justitiae suae, — nam praetermissio, tempore tolerantiae Dei, praecedentium delictorum faciebat hujusmodi ostensionem necessariam, quasi tunc temporis Deus visus fuisset non cum justitia ad peccatum se habere, — ad ostensionem ergo justitiae suae in hoc tempore, ita ut sit et appareat et ipse justus et justificans eum qui est ex fide Jesu Christi. Prat (I[7] 242) ita vertit vers. 25-26 : « Dieu l'a publiquement constitué instrument de propitiation par la foi, dans son sang, pour faire éclater sa justice [obscurcie] par la tolérance des péchés qu'il a supportés avec patience, pour faire éclater sa justice à l'heure actuelle, afin d'être [reconnu] juste lui-même et auteur de la justification pour quiconque relève de la foi de Jésus ».

C) *Hebr.* V. 7-9, ubi Christus dicitur factus esse omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae sacrificio suo sacerdotali et obedientiali. Ibi enim Christus, quia sacerdos est qui possit compati infirmitatibus nostris (IV. 15) et condolere eis qui ignorant et errant (V. 2), ostenditur, etsi exaudita est sua supplicatio et etsi filius est, tamen « *discens ex eis quae passus est obedientiam* », seu quid sit et quam durum sit obedire : quo significatur eum, non obstante sua filiatione divina, suscepisse ex obedientia vel cum obedientia eam passionem qua consummatus ipse est (2. 10) et factus est omnibus causa salutis aeternae. Passio ergo seu mors Christi, quod est sacrificium ejus sacerdotale (*Eph.* 5. 2), est etiam obedientiale. Jamvero, qui dicitur sacrificio obedientiali facere Deum ex irato ita propitium ut ex hoc sacrificio sit salus omnibus, is, ex dictis, intellegitur suo sacrificio, seu obedientia ex qua illud offert, satisfacere Deo.

454. II. **Traditione** : — N. B. de hoc argumento. Propter dogmatum historicos, qui contendunt apud antiquos scriptores non esse indicia Redemptionis nisi, ut aiunt, **a)** vel *mysticae* seu physicae, quatenus sanata fuisset humanae naturae infirmitas sola sua a Verbo assumptione soloque illius in carne conversationis exemplo ; — **b)** vel *mythicae,* id est, cum *pretio soluto diabolo* aut cum debellatione *diaboli delusi ;* — **c)** nondum proinde excogitatam esse satisfactionem vicariam morte Christi Deo praestitam, — propterea, inquam, *scopus hujus demonstrationis debet esse ostendere hujusmodi asserta carere fundamento, saltem prout sunt exclusiva.* Nam :

Quoad **a** : jam dictum est (supra n° 432) Redemptionis complexum, qualis ab Ecclesia intellegitur, non excludere illam considerationem. Dogmati igitur, quale ab illa determinatum est, antiquos non constaret contradixisse nisi constaret eos, in sua *complexiva* Redemptionis consideratione, vim non fecisse *etiam* in passione et morte Christi, nec ex sua cum certis adversariis controversia habuisse cur restaurationem generis humani considerarent complexive potius quam praecise sub respectu justificationis et reconciliationis cum Deo.

Quoad **b** : attendas paucos esse qui ita loquuntur, et ubi ita loquuntur, non significare se Redemptionem intellegere hoc tantum modo [1].

(1) Cf. Rivière : *Le dogme de la rédemption, essai d'étude historique,* p. II et V, qui tamen nimis tribuere videtur vocibus ipsis, saltem quoad S. Irenaeum, de quo cf. duos articulos : *La rédemption et les droits du démon dans saint Irénée* et *Les droits du démon et la mort du Christ,* apud *RSR* 1911, p. 1-24 et 1912, p. 345 sqq.

Imo, non pauca eorum dicta ad rectum sensum facile reducuntur. Figura in eis est, qua, ad modum rhetorum suae aetatis, scriptores vivide et dramatice liberationem nostram ab imperio daemonis describunt : daemon est tyrannus, qui nos, jure victoriae, captivos detinebat ; a quo Christus nos liberavit, non, ut potuisset, aperta vi aut sola sua omnipotentia, sed onerose et quasi pretio soluto, permittendo se occidi a daemone, id est, a servis et quasi ministris ejus ; hic autem, aggrediendo Christum, in quem jus nullum habebat, usurpavit quod suum non erat, ideoque jure amisit quod sua victoria acquisiverat quodque juste — aliquo modo — possidebat, justitia videlicet vigente non apud diabolum sed apud Deum, qui hanc captivitatem in poenam hominis permittebat. Si quorum tamen dicta aliqua rectum sensum fundere nequeant, adverte opinionem hujusmodi esse illis etiam omnino secundariam et adventitiam, et proponi, non veluti partem dogmatis, sed veluti aliqualem ejus explicationem, quae quidem facile occurrebat describenti liberationem hominis a captivitate daemonis sub imagine pugnae, in qua dux et caput noster Christus sanguinem suum fuderit ut suos adversario eriperet.

Quoad **c)** tandem, attendas non esse necesse, ut agnoscatur doctrina de redemptione per modum satisfactionis, vocem ipsam satisfactionis ejusve notionem juridicam inveniri, sed sufficere Christum dici mortuum ut solveret aliquo modo debitum peccati alieni, ut Deum faceret ex irato placatum, seu impetraret nobis liberationem a servitute, cui traditi eramus[1]. Cf. supra, p. 381, nota 2.

455. His autem praenotatis, innumera occurrunt Patrum dicta, quibus passioni Christi ascribitur vis ea satifactoria.

Aetate subapostolica, eis quae supra (n° 433) recitata sunt ex S. Clemente Rom. de « sanguine Christi dato pro nobis », de « data carne pro carne nostra ac anima pro anima nostra », de « redemptione, quae sit omnibus per sanguinem Christi », addi possunt ea quae leguntur in *Epist. ad Diogn.* (9. 2-5) de Filio, quem proprius Pater « dedit *pretium* (λύτρον) redemptionis pro nobis » ac de « ineffabili *permutatione* » (ἀνταλλαγή), qua « iniquitas multorum absconditur in uno justo ».

S. Justinus, inter alia, ascribit Christo crucifixo : — a) dissolutionem potestatis diaboli, cujus opera praevaricatio Adami inducta erat ; — b) liberationem a morsibus diaboli, quae sunt peccata actua-

(1) Vox ipsa « satisfactionis », quomodo paulatim de opere Christi redemptivo usurpata sit, videas apud Rivière in *Bulletin de litt. ecclés.*, juillet-décembre 1924 p. 285-297 et 353-369.

lia ; — c) liberationem a maledicto, cui subjacebat totum genus humanum : quapropter Deus voluit Filium suum in se maledictum omnium suscipere ; fecit eum pati pro genere humano, quod ejus livore sanaretur (*Dial.* 94-95 PG. 6. 700 B-701 C).

456. S. Irenaeus, propter controversiam suam cum Gnosticis, quorum tota doctrina est de humanitate delapsa ad Deum reducenda, considerat potius complexum illius restaurationis, qui est per Incarnationem Verbi : Verbum naturam humanam ad Deum reduxit, eam secum Deo conjungendo. Modum proinde redemptionis, quem dicunt physico-mysticum, S. Irenaeus plane admittit. At nihilominus, singula momenta « recapitulationis » illius prae oculis habens, docet explicite Christum in morte compensationem Deo pro peccato Adami persolvisse.

Ait enim : — a) inobedientiam nostram reparatam esse per obedientiam ejus : « *Propitians* pro nobis Patrem, in quem peccaveramus, *et nostram inobedientiam* per eam, quae in ligno fuit, *obedientiam consolatus* » (*Haer.* V. 17, 1 et cf. III. 18, 6). « *Dissolvens* eam, quae ab initio in ligno facta fuerat, hominis *inobedientiam, obediens* factus est usque ad mortem » (V. 16, 3 et cf. 19, 1 ubi hoc vocat « recapitulationem ejus, quae in ligno fuit, inobedientiae »). — b) Et hoc propter nostram cum Christo conjunctionem et solidaritatem : « In primo quidem Adam offendimus non facientes ejus praeceptum ; in secundo autem Adam *reconciliati sumus, obedientes facti* usque ad mortem » (V. 16, 3 et cf. III. 21, 10). — c) Ad solvendum debitum, quod soli Deo habebamus : « Neque enim alteri cuidam eramus debitores, sed illi, cujus et praeceptum transgressi fueramus ab initio » (V. 16. 3). — d) Sic tandem, soluto pretio et Deo repropitiato, homo reassumptus est ad pristinam suam cum Deo amicitiam et haereditatem : « Summi sacerdotis operam perficiens, *propitians* pro hominibus Deum, et *emundans leprosos, infirmos curans*, et *ipse moriens, uti exsiliatus homo exiret de condemnatione et reverteretur intrepide ad suam haereditatem* » (IV. 8, 2)[1].

457. Clemens Alexandrinus (*Strom.* V. 11) dicit Christum esse « perfectam et omni ex parte absolutam oblationem et rarum pro nobis *sacrificium* » (PG. 9. 108 A). Eumdem inducit juveni diviti de se dicentem : « Ego te liberavi, sanavi, redemi... Pro te cum morte certamen desudavi, ac cujus reus poenae eras ob patrata delicta Deoque negatam fidem et incredubitatis crimen, ego exsolvi » (*Quis dives salvetur.* 23. *Ibid.* 628. C-D et cf. 37 : Christus « se redemptionis pretium (λύτρον) dedit ». 641 C).

(1) Uberiora de reparatione inobedientiae Adami per obedientiam Christi videas in art. « *Obéissant jusqu'à la mort* », apud *Rev. d'asc. et de myst.*, apr. 1920, p. 133 sqq.

Tertullianus scribit : « Alienam mortem sua solvit... Dei filius... Ad hoc enim venerat ut ipse a delicto purus et omnino sanctus pro peccatoribus obiret » (*Pud.* 22. 4).

S. Cyprianus : « Peccata nostra portavit, pro nobis doluit, quem Deus tradidit pro peccatis nostris » (*De lapsis.* 17). « Humiliavit se, ut populum, qui prius jacebat, erigeret ; vulneratus est, ut vulnera nostra curaret ; servivit, ut ad libertatem servientes extraheret ; mori sustinuit, ut immortalitatem mortalibus exhiberet ». (*De op. et eleemos.* 1). « Familiam suam pretio passionis et cruoris redemit » (*ibid.* 22).

458. Origenes, quem volunt adversarii induxisse theoriam Redemptionis mythicae, pretii scilicet diabolo soluti, ipse tamen explicite docet Redemptionem per modum *substitutionis*, quae dicitur, *poenalis* et per modum sacrificii.

Ait enim Christum « omnium in se suscepisse peccata » et in eo « factam esse castigationem, quae nobis debebatur, ut erudiremur et pacem reciperemus ». (*In Joan.* 28. 14 PG 14. 721 A et C). « Peccata generis humani imposuit super caput suum : ipse enim est caput corporis Ecclesiae suae ». (*In Levit. hom.* 1. 3. PG 12. 408 C). Explicans autem verba S. Pauli [*Rom.* 3. 25-26] a nobis in argumentum allata : dicit Christum « propositum esse propitiationem in sanguine suo », ut « per hostiam sui corporis propitium hominibus faceret Deum et per hoc ostenderet justitiam suam, dum eis remitteret praecedentia delicta, quae, pessimis tyrannis serviendo, contraxerant eo tempore quo sustinebat et patiebatur Deus haec fieri. Ad hoc patiebatur ut ostenderet justitiam suam. In consummatione etenim saeculi... manifestavit Deus justitiam suam et redemptionem dedit eum quem propitiatorem fecit ». (*Comment. in Rom.* l. III. 8 PG 14. 946). Unde, « secundum hoc quod hostia est, profusione sanguinis sui, efficitur propitiatio in eo quod dat remissionem praecedentium delictorum (*Ibid.* 950 C).

459. Eusebius Caesariensis Redemptionem *per viam sacrificii* — quae ostendetur reduci ad satisfactionem — pariter docet et late exponit.

Christus est hostia illa magna jamdiu a prophetis praenuntiata ; ille est « magnum et pretiosum pretium (λύτρον) Judaeorum et Graecorum, piaculum (καθάρσιον) totius mundi, vicem praestans (ἀντίψυχον) aut victima piacularis omnium hominum, hostia purissima pro omni macula et pro omni peccato ». (*Demonst. evang.* l. 10 PG 22. 88 B). Ea enim mortis ejus causa, « ut nostras abstergeret maculas peccatorum, pro nobis sacrificatus et pro nobis execratio (κατάρα) factus ; ut tanquam Dei victima atque ingens sacrificium supremo Deo offerretur pro universo mundo » (*ibid.* IV. 12 ; 284 B). « Oportebat enim Agnum Dei, qui a maximo Pontifice assumptus fuerat,

pro reliquis cognatis agnis et pro omni humano grege, Deo victimam offerri » (*Ibid.* X. *prooem.* ; 717 B). « Deus enim eum fecit peccatum pro nobis, substitutum (ἀντίψυχον) pro nobis omnibus » (*Ibid.* 1. 724 B).

Hoc autem totum factum est propter nostram cum eo solidaritatem : « Quomodo vero ille peccata nostra sua fecit ? et quomodo dicitur ferre iniquitates nostras nisi quatenus corpus ejus esse dicimur ? » (secundum ea quae habet Apostolus de membris sibi compatientibus) « Ita, multis patientibus et peccantibus membris, ipse quoque, ratione consentientis sibi invicem naturae, patientium membrorum labores in seipsum assumpsit... Imo et pro nobis tormenta passus (κολασθείς) supplicioque affectus, cujus non ipse debitor erat sed nos ratione multitudinis delictorum nostrorum, causa nobis factus est remissionis peccatorum, quippe qui mortem pro nobis susceperit et verbera, probra, atque contumelias nobis debitas in se transtulerit, et maledictionem in nos praedecretam in se attraxerit, factus pro nobis maledictum : quid enim aliud [ille] nisi pretium pro animis nostris ? » (τί γὰρ ἄλλο ἢ ἀντίψυχον ;) (*Ibid.* 724 C — 725 A et cf. *ibid.* 8 : 768 A, ubi dicitur a Patre ad mortem usque devenisse ut « ostenderetur totius mundi λύτρον καὶ ἀντίψυχον » ; et 768 C, ubi illa vocatur « totius generis humani Redemptio (ἀπολύτρωσις), pretioso sanguine facta (ἐξαγοραζομένη), a priore illa dura servitute, quam serviebant invisibilibus tyrannis, daemonibus impuris »).

460. S. Athanasius, etsi adeo insistit in ea naturae humanae sanatione et reformatione, quae fuit per ipsam Incarnationem, ut dicatur elaborasse theoriam Redemptionis, ut aiunt, *physico-mysticae,* tamen morti Christi agnoscit vim solutionis debiti seu satisfactionis. Nam : — A) Assumpsit corpus Verbum, ut fieret capax mortis pro omnibus : « ἀντὶ πάντων ἱκανὸν τῷ θανάτῳ » (*De incarn. Verbi* 9 PG. 25. 112 A). — B) Illud sacrificando, pro omnibus solvit debitum : « προσάγων ἀντίψυχον ὑπὲρ πάντων ἐπλήρου τὸ ὀφειλόμενον ἐν τῷ θανάτῳ » (*Ibid.*). — C) Eo pro omnibus morti tradito, soluta est, quasi omnes in ipso mortui sint, lex damnationis hominum (*Ibid.* 109 C, et cf. in *Orat. II cont. Arianos,* 69 et 66 PG. 26. 293 A-B et 288 B, ubi dicit : « ἀνθ' ἡμῶν τὴν ὀφειλὴν ἀποδιδούς »). — D) Suscepit mortem pro nobis, quia in se suscepit peccata et maledictum nostrum (*Orat. II cont. Arianos,* 55 et 47 PG. 26. 261 C-D, 265 A et 248 A-B).

S. Cyrillus Hierosolymit. explicat baptizandis ideo nos per Christum mortuos esse peccatis quia morientis justitia superexcedit peccantium injustitiam : « Non tanta erat peccatorum injustitia quanta morientis pro nobis justitia ; non tantum peccavimus quantum excelluit justitia qui pro nobis animam posuit » (*Catech.* 13. 33 PG. 33. 813).

461. S. Gregorius Nyssenus, — etsi in sua *Oratione Catechetica* (n. 22-24) explicat Christum fuisse *pretium* (λύτρον) *liberationis nostrae a captivitate daemonis,* ita ut, ad ostendendam Dei etiam in diabolum justitiam, mors Christi fuerit ad modum permutationis (ἀντάλλαγμα) pro homine, proindeque redemptio facta fuerit ad modum contractus (συναλλαγματικὴν λύτρωσιν)[1], — tamen alibi haud minus explicite quam S. Joannes Damascenus, qui explicationem illam detestatur[2], docet Christum « se obtulisse pretium redemptionis (λύτρον) Deo Patri pro omnibus gentibus » et se in sacrificium obtulisse quo eum placaret pro peccatis nostris. « Proprio sanguine pro peccatis nostris sacrificaliter placavit (ἱερατικῶς ἱλεωσάμενος) ;... Jesus sacerdos magnus proprium agnum suum, id est corpus proprium, pro peccatis mundi sacrificavit (ἱερουργήσας)... et se obtulit oblationem atque sacrificium pro nobis » (C. *Eunom.* 6, PG 45. 717B). Sacrificium autem illud ejus est, quod praefigurabant Legis mosaïcae sacrificia et oblatum est Deo Patri in pretium pro toto mundo : « Non enim pro Israël tantum sed pro omnibus gentibus pretium redemptionis (λύτρον) seipsum Patri obtulit » (*De occursu Domini* PG 46. 1165 D).

462. S. Ambrosius *satisfactionis rem et vocem habet.*

« Unus exsolvit quod ab omnibus debebatur » [3]. « Propitiavit enim Deum », seu « pretium redemptionis aut propitiationem pro peccato » dedit « quia propitiatio omnium Christus est » [4]. « Ille pro nobis solvit.... Eramus oppignorati malo creditori peccatis ; contraximus chirographum culpae ; poenam sanguinis debebamus : venit Dominus Jesus ; suum pro nobis

(1) 23 (PG 45. 64 A). Notandum tamen est, eodem loco quo explicatur in redemptione justitiam etiam erga diabolum observatam esse, demonstrari diabolum fuisse sapienter defraudatum ad modum gulosi piscis, qui, una cum sibi apposita esca, hamum sibi attrahit unde capiatur et ipse (24 : 65 A). Hoc enim si attendatur, rectius forte pensetur quanta fuerit hujusmodi explanationum vis ac momentum apud catechistam, qui rhetorem nescivit unquam non agere.

(2) *De fide orth.* III. 27, haec habet : « Moritur itaque, mortem salutis nostrae causa suscipiens, ac seipsum Patri offerens pro nobis hostiam. In eum enim deliqueramus, eumque proinde oportebat redemptionis nostrae pretium accipere, ut ita a condemnatione liberaremur. Absit enim ut Domini sanguis oblatus tyranno fuerit » (PG 94. 1096 C). — Statim vero subjungitur explanatio rei symbolica, ubi ad verbum dicuntur de morte ea quae apud Nyssenum erant de diabolo, tanquam guloso pisce, defraudato : « Accedit itaque mors, corporisque escam avide deglutiens divinitatis hamo transfigitur ac, degustato insonte ac vivifico corpore, ipsa interit, omnes quos olim absorpserat evomens » (*Ibid.*)

(3) *De Joseph patriarcha* IV. 19 (PL 14. 649 B).

(4) *In ps. 48,* 14-15 (*Ibid.* 1160 C-1161 A).

obtulit » [1]. Sicut peccator dicitur, paenitendo, « *satisfacere* pro delictis Domino Deo suo » [2], ita Christus dicitur in passione sua « pro nostris peccatis *satisfecisse* Patri » [3].

463. Conclusio de antiquorum dictis. — 1° *Summa dictorum.* Antiquos igitur, — non exceptis iis qui, pro suo singulari ingenio aut speciali scopo, singulari cuidam explicationi aut comparationi magis indulserunt —, constat communiter docuisse : — a) Christum nos ideo redemisse quia, ex sua nobiscum cognatione naturali ac substitutione morali, pro nobis solvit debitum mortis peccato Adami contractum : hinc voces illae « pretii » (λύτρον) et compensationis vel permutationis, (ἀντίψυχον, ἀντάλλαγμα) ; — b) eam debiti solutionem fuisse sacrificium Deo Patri oblatum, quo nobis placaretur ac fieret propitius ; — c) exinde fuisse nobis peccati remissionem et cum Deo reconciliationem quod Christus « obedientia [sua] dissolverit, consolatus fuerit nostram inobedientiam » ; quod « servire » usque ad mortem ipse elegerit ; quod « justitia ejus superexcesserit nostram injustitiam » ; quod mortem obeundo « satisfecerit judicato Dei » et « Deo Patri pro peccatis nostris satisfecerit ». Haec autem sunt quibus satisfactio vicaria, sensu suo generali, constituitur. Cf. infra, n. 470 sqq.

464. 2° *Confirmatur testimonio S. Augustini*, in quem notum est confluere omnem priorum saeculorum traditionem.

S. Augustinus enim : a) *Insipientiae* damnat eos qui redemptionem velint *non intellegi nisi moralem*, per virtutem scilicet crucis exemplarem : « Animalis homo... non percipit quae sunt Spiritus Dei, id est, quid gratiae credentibus crux conferat Christi ; et putat hoc illa cruce actum esse tantummodo ut nobis usque ad mortem pro veritate certantibus imitandum praeberet exemplum ». Spiritualis econtra homo scit « quemadmo-

(1) *De virginitate.* XIX. 126 (PL 16. 299-300).

(2) *In ps.* 37. 46 (PL 14. 1033 B).

(3) *Ibid.* 53 : « Pro nostris peccatis *satisfaciebat* Patri » (1036 C). Alio loco, ubi pariter asserit « Jesum suscepisse carnem ut maledictum carnis peccatricis aboleret », vox etiam *satisfactionis* occurrit, at alio sensu. Dicit enim ibi Christum ideo suscepisse mortem, seu voluisse nos moriendo redimere, ut, etiam in sua redemptoris carne, « impleretur sententia » de omni carne lata, et ita, etiam apud liberatorem a morte, « *satisfieret judicato* » (*De fuga saeculi* 7. 44 PL 14. 589 D). « *Judicatum* » porro, ait Cicero, « est id de quo sententia lata est, aut decretum interpositum » (*Ad Herenn.* II. 13). *Satisfacere judicato* idem igitur est ac *implere sententiam.* Quod videas expositum apud Galtier : *Obéissant jusqu'à la mort* in *Rev. d'ascét. et de mystique* I (1920), p. 131-132. Confirmat Rivière in *Bulletin de litt. ecclés.* juillet-octobre 1924, p. 293-296, per alia ejusdemmodi exempla.

dum Christus crucifixus factus sit nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio et redemptio » (*In Joan. tract.* XCVIII 3. PL 35. 1881-1882).

b) Asserit *factum substitutionis Christi* homini peccatori, de eo saepissime dicens intellegenda esse verba *psalmi* 68. 5 : « *Quae non rapui, tunc exsolvebam* » : « Habebat ut moreretur mandatum Patris, tanquam ille de quo praedictum erat : Quae non rapui, tunc exsolvebam, mortem sine debito soluturus, et nos a morte redempturus. Rapuerat autem Adae peccatum » (*In Joan. tract.* LXXIX. 2 PL 35. 1838-1839). Hinc dicitur Christus fuisse « delictorum susceptor non commissor » (*In ps.* 68, *sermo* I. 10 PL 36. 849). Nam « suscepit Christus sine reatu supplicium nostrum ut inde solveret reatum nostrum et finiret etiam supplicium nostrum » (*Cont. Faustum,* XIV. 4 PL 42. 297).

c) Solvit autem Christus reatum nostrum, quatenus in morte se offert Deo sacrificium : Intellegit enim S. Augustinus Christum, juxta 2 Cor. 5. 21, factum esse « peccatum » eo sensu quod factus est sacrificium pro peccato : « Christum Deus, cui reconciliandi sumus, fecit sacrificium pro peccatis, per quod reconciliaremur » (*Enchir.* 41, 13 PL 40. 253 ; *Sermo.* 152. 10-11 PL 38. 825). « Morte sua quippe uno verissimo sacrificio pro nobis oblato quidquid culparum erat... purgavit, abolevit, extinxit » (*De Trinit.* IV. 13, 17 PL 42. 899).

d) Jamvero sacrificium illud influxit ad *modum propitiationis*. « Quae est ista propitiatio, nisi sacrificium ? Et quod est sacrificium, nisi quod pro nobis oblatum est ? Sanguis innocens fusus delevit omnia peccata nocentium : pretium tantum datum redemit omnes captivos de manu captivantis inimici » (*In ps.* 129. 3 PL 37. 1697.

e) *Propitiatio* porro agit ad *modum satisfactionis,* nam consistit in hoc quod offenso exhibetur aliquid quo delectetur : « Propitiaberis impietates nostras, non dicitur nisi cuidam sacerdoti offerenti aliquid unde impietas expietur et propitietur. Impietas enim tunc dicitur propitiari cum propitius fit Deus impietati. Quid est fieri Deum impietati propitium ? Id est, ignoscentem et veniam dantem. Sed ut venia Dei impetretur, propitiatio fit per aliquod sacrificium. Exstitit ergo a Domino missus quidam sacerdos noster ; assumpsit a nobis quod offerret Domino ;.. hoc holocaustum obtulit Deo » (*In ps.* 64. 6 PL 36. 777).

465. III. **Ratione,** quae opus redemptivum, quale peractum est, demonstrat analytice constituere veram pro peccato satisfactionem. Satisfactio enim, sensu suo obvio et generali, consistit in hoc quod pro aliquo debito vel damno aliquid offertur, ex cujus acceptatione creditor vel damnificatus habeat debitorem ex parte vel ex toto onere

suo liberatum. Jamvero homines Deo propter peccatum Deo debitores erant tum odii sustinendi tum poenae mortis subeundae ; redemptio autem, qualis a Christo peracta est, implicat homines apud Deum duplici illo debito solutos esse ratione mortis ea intentione a Christo oblatae et a Deo acceptatae ; moriendo igitur Chistus id fecit, quod Deo satis fuit ut peccatum remitteret ; pretium proinde liberationis nostrae vere solvit, siquidem ipse justus, cum magno gravamine personali, id Deo obtulit, ex cujus gratia et valore nos reatus nostri veniam consecuti sumus. Hoc porro pretium constat esse imprimis mortem ejus, seu sacrificium sui, quod Deo obtulit. Quia ergo mors erat poena in nos propter peccatum a Deo statuta ideoque poena cujus debitores eramus, jure Christus dicitur moriendo debitum nostrum solvisse eoque sensu pro nobis Deo satisfecisse. « Per peccatum homo obligatus erat,.. quantum ad reatum poenae... ; et hoc est servitus quaedam ; ad servitutem enim pertinet quod aliquis patiatur quod non vult, cum liberi hominis sit uti seipso ut vult... Passio [vero] Christi fuit *quasi quoddam pretium,* per quod liberati sumus ab [illa] obligatione. Nam ipsa satisfactio qua quis satisfacit, sive pro se sive pro alio, pretium quoddam est, quo seipsum vel alium redimit a peccato et a poena, secundum illud [*Dan.* 4. 24] : *Peccata tua eleemosynis redime.* Christus autem satisfecit, non quidem pecuniam dando aut aliquid hujusmodi, sed dando id quod fuit maximum, seipsum scilicet pro nobis » (III, q. 48, a. 4).

§ 2. DE NATURA SATISFACTIONIS CHRISTI

THESIS XXXIII — Satisfactio Christi vicaria, qualis in Ecclesia catholica intellegitur, cum non sit simpliciter expiatio peccati poenalis, sed dicat etiam formaliter offensae personalis compensationem per obsequium Deo praestitum, nec repugnat in se, nec contradicit dogmati de gratuito redemptionis beneficio.

466. Praenotanda. — 1° **Sensus quaestionis.** Ex thesi praecedenti constat factum satisfactionis a Christo pro nobis praestitae : mors scilicet ejus est, cujus gratia seu ex cujus intuitu Deus nos habere voluit a peccato solutos. Ea est *satisfactio concreta* seu *objectiva,* pretium scilicet concretum redemptionis nostrae. Nunc autem inquirendum venit de *satisfactionis illius elemento formali,* seu in quo consistat et unde veniat actui redemptivo *vis et valor apud Deum proprie satisfactorius :* morti scilicet Christi quaeritur unde proprie et formaliter fuerit sua vis apud Deum placativa seu peccati sua vis solutiva, compensativa atque reparativa.

2° **Quandonam quaestio posita.** Quaestio ea est speculativa, quam Patres olim minus attenderunt. Minus enim faciebat ad scopum, quem imprimis prosequebantur practicum, exaltandi misericordiam Dei *tale remedium* hominibus providentis ; inculcandi magnanimitatem Redemptoris eas ipsas infirmitates et poenas, a quibus eripere volebat, participantis ac seipsum pretium redemptionis tradentis ; commovendi hominibus gratitudinem pro tanta tam saevi tyranni servitute per tam benignum liberatorem cum tanto ejus gravamine depulsa. Hinc erat cur ostenderent mortem Christi esse *poenam peccati* ab innocente susceptam, esse pretium redemptionis maximum, esse malum a diabolo naturae humanae inductum, per cujus spontaneam susceptionem homo diaboli jugum excusserit. Eis autem, dato hoc suo scopo, minori momento erat inquirere et agere *de modo quo passio Christi*, quae hominibus tanto beneficio fuit, *apud Deum ipsum valere et influere potuerit* [1].

Aetate tantum scholastica, quaestio ea explicite posita est. S. Anselmus, in suo *Cur Deus Homo* [2], totam suam doctrinam de motivo ac necessitate Incarnationis deducit ex satisfactione, quam justitia faciat in Redemptione necessariam ; nullus postea theologus est, apud quem quaestio non occurrat de satisfactione a Christo praestita.

3° **Modus procedendi.** Non una nec adeo clara est apud omnes auctores notio satisfactionis hujus. Potest enim satisfactio considerari tum ut formalis expiatio peccati tum ut formalis compensatio offensae Deo per peccatum illatae ; prout ergo quis alterutrum respectum magis aut exclusive attendit, aliam aut aliam sibi effingit satisfactionis notionem formalem. — In *priori* theseos parte, determinatur qualis in Ecclesia catholica intellegatur esse satisfactio a Christo pro hominibus praestita ; in *posteriori* parte, satisfactio ita intellecta vindicatur contra adversariorum impugnationes.

(1) Si quibus, v. gr. S. Irenaeo, necessitas fuit aut studium exponendi quanta fuerit, in oeconomia restaurationis nostrae, divinorum consiliorum unitas et harmonia, ii curaverunt ostendere *redemptorem non esse creatori alienum*, mortem, qua malum ex inobedientia inductum reparatur, esse *malum ex obedientia susceptum*, ita ut, in ipsa liberatione a peccati reatu et poena, lex observaretur statuta de poena propter reatum peccati subeunda ; ea porro erat adhuc consideratio potius efficacitatis objectivae mortis Christi, praeter quam proinde manebat quaestio, quae dici possit, de illius apud ipsum Deum appretiatione,

(2) De quo, inter alios, cf. Rivière : *La Rédemption : essai d'étude historique*, p. 291 sqq, et, *La théologie de la Rédemption dans saint Anselme* apud *Bulletin de litt ecclés.* januarii 1910, p. 1 sqq.

PARS I. **Determinatur natura satisfactionis Christi.**

Tria sunt hic agenda : 1° Exponenda notio satisfactionis in genere. — 2° Exponenda notio satisfactionis vicariae. — 3° Probare eam esse notionem in Ecclesia catholica communem.

I. NOTIO SATISFACTIONIS IN GENERE.

467. 1° **De quo sit Deo satisfaciendum.** — Satisfactio pro peccato nequit clare percipi nisi recolatur ex peccato duplicem contrahi ad Deum reatum seu debitum : A) *Reatum culpae,* ex offensa Dei personali, quae inest omni peccato. Homo enim, ubi peccat, a Deo se avertit, ideoque eum offendit atque injuriam ei personalem infert, quatenus honorem ei denegat, quo dignus est et quem strictissimo jure exigit (I. II, q. 21, a. 4 ; 88, a. 2, ad 1^{m} ; *De verit.* q. 28, a. 2 c). — B) *Reatum poenae,* quatenus, praeter eam rationem offensae Dei personalis, inest etiam omni peccato ratio violationis legis a Deo conditae ; deordinationem enim illam objectivam sibique injuriosam Deus nequit non prohibere ; imo eam, qua conservator ac tutor est ordinis moralis, debet punire, nam, nisi saeviret in delinquentes, non sufficienter tueretur legem aut praecluderet ejus contemptum (I. II, q. 21, a. 4 ; 87, a. 1, 3 et 4 et *cont. Gentes,* III. 158). Hinc est cur peccatum consequatur debitum tum compensationis offensae Deo illatae tum poenae pro luenda seu expianda legis violatione.

468. 2° **Duplex satisfactionis elementum :** *voluntarium* et *poena.* — Satisfactio igitur intellegitur solutio aut potius compensatio utriusque illius debiti. Sed haec solutio, cum fiat in ordine morali et ad resarciendum ordinem moralem offensa Dei laesum, nequit esse vera et formalis nisi fiat per voluntariam alicujus poenae susceptionem aut acceptionem, ita ut perpessionem poenae habeat tanquam *elementum materiale,* voluntariam vero illius perpessionis ordinationem ad solutionem debiti habeat tanquam *elementum formale.*

A) **In satisfactione pro offensa Dei personali.** — a) *Voluntarietas* est de ratione compensationis offensae. Nam, qui offensus est seu injuriam passus est ex voluntaria honoris debiti denegatione, is non potest compensationem accipere nisi per sui honorationem, quae sit voluntaria. Honoris enim non fit, sicut damni materialis, compensatio per traditionem rei aequivalentis mere materialem ; obsequium offerri debet, quod non est nisi voluntarium et cum intentione. —

b) *Poenae perpessio* haud minus evidenter est de ratione compensationis hujusmodi. Nam reparatio offensae fit, quatenus offenso exhibetur aliquid, non quod ei etiam non offenso deberetur, sed quo compensatur id quod de honore ei debito subtractum erat. Jamvero, per peccatum Deo subtracta est aestimatio et appretiatio, qua praeponatur omni bono creato, et haec subtractio facta est quatenus creatura bonum suum *excessive* amavit et quaesivit. Redintegratio proinde fieri ordinis violati, seu adaequatio restitui, nequit nisi quatenus is, qui per nimium sui amorem de Dei bono detraxit, nunc de suo proprio et legitimo bono detrahit in favorem Dei et ex intentione obsequii Deo praestandi. « Recompensatio enim offensae importat adaequationem, quam oportet esse ejus qui offendit ad eum in quem offensa commissa est. Adaequatio autem in humana justitia attenditur per subtractionem ab uno, qui plus habet justo, et additionem ad alterum, cui subtractum est aliquid. Quamvis autem Deo, quantum est ex parte ejus, nihil subtrahi possit, tamen peccator, quantum in ipso est, aliquid ei subtraxit peccando, ut dictum est. Unde oportet, ad hoc quod recompensatio fiat, quod aliquid subtrahatur a peccante per satisfactionem, quod in honorem Dei cedat. Opus autem bonum, ex hoc quod est hujusmodi, non subtrahit aliquid ab operante sed magis perficit ipsum. Unde subtractio non potest fieri per opus bonum nisi poenale sit ; et ideo, ad hoc quod aliquod opus sit satisfactorium, oportet quod sit bonum, ut in honorem Dei, et poenale, ut per hoc aliquid peccatori subtrahatur » (*Suppl.*, q. 15, a. 1 c). « Satisfactio debet esse talis per quam aliquid nobis subtrahamus ad honorem Dei » (a. 3 c).

Haec duo tamen satisfactionis elementa si comparentur, voluntarium est quod rationem elementi formalis habet, nam per voluntatem formaliter obsequium Deo praestatur, nec difficultas operis aut gravitas poenae satisfactionem auget nisi quatenus exinde manifestatur magis intentio obsequii Deo praestandi [1].

Jure ergo satisfactio pro offensa definitur per oblationem Deo factam alicujus quo delectetur : « *Ille proprie satisfacit pro offensa, qui exhibet offenso id quod aeque vel magis diligit quam oderit offensam* » (III, q. 48, a. 2 c).

469. B) **In satisfactione pro violata lege seu pro reatu poenae,** *poena* pariter patet adesse debere. At *voluntarium etiam requiritur.*

(1) Ideo (III, q. 48, a. 2 c) satisfactio Christi dicitur fuisse superabundans etiam « tertio, propter generalitatem passionis et magnitudinem doloris assumpti ».

Nam perpessio poenae non habet per se valorem ullum moralem nec proinde potest habere rationem satisfactionis formalis : latro, v. gr., qui poenam capitis dat invitus, etsi dicatur aliquo modo satisfacere pro homicidio suo, tamen materialiter tantum satisfacit ; justitiam ille *subit* at non *facit ;* non ipse justitiae, legi, legislatoris voluntati se conformat, sed judex ab eo poenam sumit, qua justitiae vindicativae satisfiat ea satisfactione, quae sola possibilis est ubi reus renuit ipse se conformari justitiae. Peccati ea est expiatio proprie et mere poenalis, qualis fit v. gr. in damnatis ; ipsa per se non tollit aut minuit debitum seu reatum poenae, siquidem non facit per se voluntatem patientis iterum conformari ordini justitiae, ex cujus violatione debitum contractum est : « Quidquid contra ordinem aliquem insurgit, ait S. Thomas (I. II, q. 87, a. 1 c), consequens est ut ab eo ordine et principe ordinis deprimatur. Cum autem peccatum sit actus inordinatus, manifestum est quod quicumque peccat, contra aliquem ordinem agit ; et ideo ab ipso ordine consequens est quod deprimatur ; quae quidem depressio poena est ». « Manente autem causa », ut addit in a. 3 c, « manet effectus ; unde quamdiu perversitas ordinis remanet, necesse est quod remaneat reatus poenae ».

Jamvero tamdiu perversitas ordinis remanet quamdiu reus, etiam patiens, non agnoscit poenam esse sibi debitam eamque non acceptat ut talem ; ubi vero eam ut sibi debitam voluntarie acceptat, ipse jam se conformat ordini rerum, qui exigit de violatione ordinis poenam dari, et obsequium praestat tum justitiae tum principi ordinis qui poenam de peccato edixit. Ea autem, eaque sola est satisfactio formalis, nam ea tantum est solutio formalis debiti ex peccato contracti : « Actus enim peccati facit hominem reum poenae, in quantum transgreditur ordinem divinae justitiae, ad quem non redit nisi per quamdam recompensationem poenae, quae ad aequalitatem justitiae reducit, ut scilicet qui plus voluntati suae indulsit quam debuit, contra mandatum Dei agens, secundum ordinem divinae justitiae, aliquid contra illud quod vellet spontaneus vel invitus patiatur... Unde patet quod, cessante actu peccati vel injuriae illatae, adhuc remanet debitum poenae... Unde... [si loquamur de ablatione peccati quantum ad maculam]... macula peccati ab homine tolli non potest nisi voluntas hominis ordinem divinae justitiae acceptet, ut scilicet vel ipse sibi poenam spontaneus assumat in recompensationem culpae praeteritae, vel etiam a Deo illatam patienter sustineat : utroque enim modo poena rationem satisfactionis habet » (I. II, q. 87, a. 6 c).

Satisfactio, uno verbo, non est formalis nisi per acceptationem poenae voluntariam [1], quia per eam tantum materialis seu poenalis peccati expiatio valorem habet moralem Deoque grata et accepta esse potest : « In satisfactione, ait S. Thomas (*cont. Gent.* IV, 55 ad 20[m]), dum quis, ad placandum eum quem offendit, voluntarie poenam assumit, satisfacientis charitas et benevolentia aestimatur ». « In satisfactione magis attenditur affectus offerentis quam quantitas oblationis » (III, q. 79, a. 5 c).

Constat ergo omnino satisfactionem, sub duplici respectu quem habet ad Deum, includere quidem *poenam ut elementum materiale,* at habere etiam, ut *elementum formale et proprie constitutivum, acceptationem illius poenae voluntariam illiusque ordinationem ad solvendum Deo debitum.*

Hinc sequitur : a) Poenae perpessionem materialem pertinere quidem ad satisfactionis essentiam, non eam tamen se sola, nec formaliter, constituere. — b) Satisfactionis definitionem adaequatam non esse, quae vel perpessionis poenae vel ejus ad Deum ordinationem non habeat rationem. — C) Deum tandem satisfactionem posse exigere et gratam habere, non praecise qua et quia est perpessio poenae materialis, sed qua et quia est professio tum sui juris tum ordinis moralis, cujus ipse principium est ac tutor. « Deus [enim] non delectatur in poenis propter ipsas, sed delectatur in ordine suae justitiae, quae hoc requirit. » (I. II, q. 87, a. 3, ad 3[m]).

II. Notio satisfactionis vicariae

470. 1° **Definitio.** — *Vicaria* satisfactio dicitur ubi fit ab uno pro altero. Differt ergo a satisfactione in genere per hoc tantum quod qui poenam subit, non ipse eam meruit ; qui debitum solvit, non ipse illud contraxit ; qui offensam compensat, non ipse illam intulit. Reus ergo non est, at vices agit rei in satisfactione praestanda. Definiri ergo potest : *Voluntaria perpessio alicujus mali, ex intentione impetrandi alteri alicujus debiti condonationem.* Debitum illud potest esse

(1) Cf. *Supplem.*, q. 15, a. 2, quomodo « flagella praesentis vitae sint satisfactoria ». « Quamvis illa flagella non sint omnino in potestate nostra, tamen, quantum ad aliquid, sunt, prout scilicet eis patienter utamur » (ad 1[m]). Ratio datur (in c) quia, « si flagella, quae pro peccatis a Deo infliguntur, fiant aliquo modo ipsius patientis, rationem satisfactionis accipiunt. Fiunt autem ipsius, in quantum ea acceptat ad purgationem peccatorum, eis utens patienter. Si autem omnino eis per impatientiam dissentiat, tunc non efficiuntur aliquo modo ipsius, et ideo non habent rationem satisfactionis, sed vindicationis tantum ». Et cf. *cont. Gentes*, III. 158, ubi dicitur poenas non esse satisfactorias nisi quatenus sunt *ex electione* patientis.

vel offensae resarciendae vel poenae ob delictum luendae ; intentio vero potest esse vel compensandi offensam, vel placandi eum qui indixit poenam, ut reo condonet, vel etiam, ut accidit in Christo, obtinendi utrumque simul. Christus enim intellegitur obiisse mortem ex charitate, id est, tum ex zelo gloriae Patris sui redintegrandae, tum ex amore generis humani in gratiam et amicitiam Dei restituendi.

471. Hinc apparet :

A) **Quid non sit** : a) *Non est assumptio debiti vel culpae unius ab altero.* Hoc enim intrinsece repugnat, nec juvaret, sed potius impediret, satisfactionem. Valoris enim eo majoris est satisfactio quo majoris est dignitatis et innocentiae satisfaciens ; offenso scilicet eo gratius est obsequium praestitum quo minus est ab ipso satisfaciente debitum : tunc enim magis apparet illud procedere formaliter ex intentione compensandi offensam : — b) *Non est proprie et formaliter poena aut punitio innocenti pro reo inflicta ;* nam puniri proprie et formaliter dicitur de eo tantum, qui ipse reus sit et causam in se habeat unde poena infligatur. Unde « si loquamur de poena simpliciter, secundum quod habet rationem poenae, sic semper habet ordinem ad culpam propriam » (I. II, q. 87, a. 7). « Si [ergo] loquamur de poena pro peccato inflicta, in quantum habet rationem poenae, sic solum unusquisque pro peccato suo punitur, quia actus peccati aliquid personale est » (a. 8). Ille proinde qui, sine ullo suo debito, poenam assumit ex mera pro reo charitate, dici sane potest aliquo modo puniri pro alio, nam patitur materialiter poenam alii debitam, sed tamen illa poena non habet pro illo rationem poenae. Ubi quis, ait S. Thomas, patitur poenalitates peccato alterius debitas, si et ipse « est particeps culpae, hujusmodi poenalis defectus habet rationem poenae quantum ad utrumque, scilicet et eum qui punitur et eum pro quo punitur ; si vero non sit particeps culpae, habet rationem poenae quantum ad eum [solum] pro quo punitur » (*Ibid.*).

B) **Quid supponat** : a) *Inter reum et satisfacientem aliquam veram solidaritatem,* quae potest esse etiam naturalis, — qualis datur inter cognatos, inter Christum in specie et homines, ratione humanitatis, — at debet esse saltem moralis, per unionem scilicet voluntatum [1], qua amans velit pro amato satisfacere. — B) *Ex parte ejus, qui of-*

(1) « Quia contingit eos, qui differunt in reatu poenae, esse unum secundum voluntatem unione amoris, inde est quod interdum aliquis qui non peccavit poenam voluntarius pro alio portat ; sicut etiam, in rebus humanis, videmus quod aliquis in se transfert alterius debitum » (III, q. 87, a. 7). « Dicendum quod, si loquamur de poena satisfactoria, quae voluntarie assumitur, contingit quod unus portet poenam alterius, in quantum sunt quodammodo unum » (a. 8).

fensam passus est, vel legislatoris qui poenam indixit, acceptationem illius substitutionis, acceptationem scilicet ut, propter praedictam solidaritatem, alius pro alio sibi satisfaciat.

472. 2° Unde proprie sit ei pro aliis valor satisfactorius.

A) **Excluditur explicatio quae dicitur expiationis proprie et simpliciter poenalis,** quasi vis placativa et liberativa exinde proprie et simpliciter adfuerit passioni Christi quia perpessio fuit poenarum peccato debitarum. Hoc quidem intellegi potest dupliciter : a) *Sensu absoluto,* quasi Christus nostri loco sustinuerit *totam* Dei de peccato vindictam. Iniquitates proinde nostras ita susceperit in se ut factus sit « peccatum » seu « peccator universalis », qui, vice nostra, poenas peccato debitas, haud excepta poena damni, pateretur. Explicatio ea est, qua protestantes olim delectabantur ; at adeo est impia et adeo sensui christiano repugnat ut etiam ab ipsis jamdiu abjecta sit [1]. Apud catholicos est inaudita, et a doctoribus catholicis ab initio impugnata est [2]. — b) *Sensu relativo,* quasi Christus ideo praecise Deum nobis fecerit placatum quia passus sit certum poenae gradum, seu certam peccati poenam, quam Deus statuisset esse conditionem nostrae restaurationis [3].

At ea non est notio satisfactionis apud doctores catholicos : S. Thomas, v. gr., ubi recenset modos, quibus passio Christi causavit salutem nostram (q. 48), non loquitur de illa expiatione poenali.

Et, re vera, ea esset *satispassio* potius quam *satisfactio :* Christus Deo persolvisset summam dolorum ab ipso taxatam ut nos in amicitiam recipere posset. Repugnat autem Deum alligasse conditioni hujusmodi nostram a peccato liberationem. Hoc enim supponeret satisfactoniem Deo esse perpessionem mali qua talem, seu dolorem ei valere atque gratum esse qua dolor est, ita ut *tanta praecise esset*

(1) Stentrup : *Soteriologia, thes.* 21, p. 234 sqq. ; Rivière : *La rédemption, étude theol.* p. 385-401.

(2) Cf. v. gr. : Maldonat : *In Matth.* 27, 46 ; Bellarmin : *De Christo,* l. 4, cp. 8 ; Suarez : *De myst. vit. Chr. disp.* 33, s. 1.

(3) Sensus is est, quo oratoribus etiam catholicis accidit haud raro exponere satisfactionem pro peccatoribus Deo Patri exhibitam : Christus tantum passus sit quantum, dato delictorum numero et gravitate, requirebat justa Dei severitas. (Exempla collegit Rivière : *La Rédemption : essai d'étude historique,* p. 8-9 ; *Etude théologique,* p. 231-240). Plerumque quidem exaggeratio ea est mere rhetorica et poëtica, quae ad commovendum auditoribus pietatem et gratitudinem aptissima est ; quia tamen ignorantibus aut male dispositis scandalum facile aut errorem ingerere potest, melius et rectius vitetur.

satisfactio quantum malum a satisfaciente toleratum : quod tyrannum forte deceret, qui terrere praecise vellet, minime vero eum ordinis tutorem, qui per poenae acceptationem velit imprimis satisfieri justitiae morali : « Deus, ait S. Thomas, non delectatur in poenis propter seipsas, sed delectatur in ordine suae justitiae, quae hoc requirit » (I. II, q. 87, a. 3, ad 3^{m})[1]. Nec, in explicatione illa, appareret ulla Dei personalis offensae compensatio : perpessio enim mali, etiam voluntaria, non est seipsa in ullum ulli obsequium, nec proinde, etiam apud Christum, dici posset resarcire offensam Deo illatam.

473. B) **Exponitur explicatio vera.** — a) *Praesupponit :* α) *Solidaritatem Christi et generis humani,* Deo volente et acceptante, talem ut, sicut in Adamo peccante et poenam incurrente omnes peccaverunt et poenae debitores effecti sunt, ita in Christo patiente et per passionem suam injuriam Deo illatam resarciente omnes, pro quanto Christum per fidem habent ut caput, suum Deo debitum persolvisse censeantur [2]. — β) Christum *iniquitates nostras habuisse sibi a Deo impositas,* seu *peccata nostra suscepisse atque pertulisse,* — non hoc sensu quod ipse sit unquam a Deo habitus ut iniquitatum nostrarum reus proptereaque expertus sit vindictam divinae justitiae in se saevientis [3] neque hoc sensu quod unquam desierit esse Patri suo dilectissimus, — sed *hoc sensu quod Deus Christum ipse fecerit, qui libera sua voluntate acciperet munus satisfaciendi pro peccatis* hominum ac propterea *libere assumeret poenalitates seu infirmitates propter peccata eis inflictas.* Eo ipso enim quod Christus hoc officium libere suscepit ac Deus hanc ejus voluntatem ratam habuit, dici jure

(1) Quo non excluditur justa Dei severitas, qua « peccatum sine poena dimitti noluit » (III, q. 47, a. 3, ad 1^{m}). Haec enim « severitas, [quae] attenditur circa externam inflictionem poenarum » (II. II, q. 157, a. 2, ad 1^{m}) seu circa « punitionem », ostensa est in hoc quod sibi satisfieri voluit, et non, ut potuisset, condonare sine ulla poenae inflictione. At hic non agitur de justa peccati punitione sed de ratione formali, ex qua poenae perpessioni sit apud Deum valor satisfactorius pro alio. Porro, ait S. Thomas « in puniendo peccata [seu]... dum poena pro peccato infligitur, pensatur ejus qui punitur iniquitas ; *in satisfactione* vero, dum quis, ad placandum eum quem offendit, voluntarie poenam assumit, *satisfacientis charitas et benevolentia aestimatur, quae maxime apparet cum quis pro alio poenam assumit* » (*C. Gentes.* IV. 55, ad 20^{m} et 22^{m}).

(2) Solidaritas illa consequitur ad generationem Christi humanam, qua factus est novus Adam et « *participavit carni et sanguini, ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium* » (*Hebr.* 2. 14).

(3) Hoc utrumque est omnino alienum a doctrina catholica et sapit potius praedictam protestanticam theoriam de expiatione proprie et simpliciter poenali.

potest Deum Christo imposuisse iniquitates et Christum pertulisse peccata, de quibus jam ejus onus erat et Dei consensus ut compensatio fieret per assumptam voluntarie peccati poenam.

b) *Dicit satisfactionem ascribi in concreto* passioni et morti Christi, at *constitui formaliter voluntaria illius acceptatione,* ita ut illius satisfactionis passio et mors sint elementum vere quidem constitutivum sed mere materiale. Elementum formale proinde seu determinativum, unde sit passioni et morti vis atque valor apud Deum, admittitur esse voluntas obsequium Deo praestandi ideoque offensam compensandi per eam, etsi personaliter indebitam, legis mortis observationem.

Admittitur ergo Christus *peccatum materialiter expiare,* siquidem eam re vera poenam subit, quae contra peccatum statuta est ; at, quia illam subit libere et cum pleno jure atque potestate eam, si vellet, detrectandi, ideo expiatio ejus jam non est proprie poenalis sed formaliter satisfactio. Et, re vera, poena peccati sic a Christo suscepta *formalis est solutio debiti,* siquidem Christus eam non subit nisi quia et qua ab humano genere debita, seu quia et qua a Deo propter peccatum decreta est. Eo ipso autem est etiam formalis *compensatio offensae Dei personalis*, nam Christus, mortem adeundo praecise ac tantum quia ex Dei voluntate est, se exhibet divinae voluntatis observantissimum ; cum posset incedere Deo aequalis, se prae illo usque ad mortem deprimit. Jamvero obedientia et sui abnegatio hujusmodi, cum procedat tum ex zelo et amore divinae gloriae, tum ex detestatione offensae Deo illatae, tum ex amore generis humani in Dei amicitiam restituendi, Deo non potest non esse tantae, imo et majori, complacentiae quam fuit ei displicentiae offensa omnium peccatorum.

Ea notio est in Ecclesia communis.

474. 1° **Quoad materiale satisfactionis,** res est obvia. Christus enim ubique dicitur « *quae non rapuit exsolvisse* », debitum scilicet alienum morte sua extinxisse. Dicitur in specie « non dedignatus mortis legibus subjacere » [1] ; suscepisse « peccatum » et « maledictum », quod dicitur esse mors pro peccato inflicta;.. « suscepisse poenam peccati nostri sine peccato nostro » [2] ; « suscepisse et mortem,

(1) D-B 144.

(2) S. Augustinus : *Cont. Faustum manich.* XIV. 3 et 7 et 6 (PL 42 296 et 298.

ut impleretur sententia, [ut] satisfieret judicato »[1] : implevisse legem mortis ut solveretur lex mortis[2]. Apud S. Thomam in specie, susceptio debiti seu poenae nostrae patet esse de ratione satisfactionis Christi.

Christus « de statu culpae assumpsit necessitatem subjacendi poenalitatibus hujus vitae » (III, q. 13, a. 3, ad 2[m]). « Conveniens [enim fuit] corpus assumptum a Filio Dei humanis infirmitatibus et defectibus subjacere... primo... quia ad hoc Filius Dei, carne assumpta, venit in mundum ut pro peccato humani generis satisfaceret. Unus autem pro peccato alterius *satisfacit, dum poenam pro peccato alterius debitam in se suscipit...* Unde conveniens fuit... quod hujusmodi poenalitates in nostra natura susciperet *vice nostra* » q. 14, a. 1 c). « Conveniens fuit [in specie] Christum mori,.. ad satisfaciendum pro humano genere, quod erat morti adjudicatum propter peccatum... Est [enim] conveniens satisfaciendi pro alio modus, cum aliquis *se subjicit poenae, quam alius meruit.* Et ideo Christus mori voluit, ut moriendo pro nobis satisfaceret » (q. 50, a. 1 c). « Qui absque peccato erat, *mortem peccato debitam* pati voluit, ut in se *poenam aliis debitam* pro aliis satisfaciendo susciperet » (*cont. Gent.* IV. 55, ad 19[m] ; cf. ad 20[m] ; item *in* 3, *dist.* 19, q. 1, a. 1).

Hinc intellegitur *Catechismum Romanum ad parochos* docere : « *Poenam peccatis nostris debitam persolvit* »[3], et theologos, qui in concilio Vaticano *Schema primum de Doctrina catholica* confecerant, cap. 14, *de Christi satisfactione vicaria,* subjunxisse annotationem ubi aiebant : « Homo Christus non punitus est eo sensu quo poena proprie significat malum inflictum reo in vindictam culpae ab ipso contractae. Sed Christus ipse voluntate etiam humana vadem se constituit coram Deo ad satisfaciendum Deo offenso pro culpa et poena totius humani generis. Si igitur nomine poenae significatur laboriosa satisfactio pro delictis hominum, quorum caput et vades Christus erat constitutus, ipse sane *pro nobis et vice nostra poenas sustinuit* » (*Collectio Lacensis,* t. VII, p. 543, nota 33, 3).

Manifestum est ergo doctrinam de Christo *satisfaciente per peccati expiationem vicariam pertinere ad ordinariam et explicitam Ecclesiae praedicationem.*

475. 2° **Quoad formale satisfactionis.** Doctrina quod hoc sit mortis acceptatio voluntaria, etsi minus solemnis et obvia, tamen est

(1) S. Ambrosius : *De fuga saeculi,* 7. 44 (PL 14. 589).

(2) S. Athanasius : *De Incarn. Verbi.* 8 (PG 25. 109 B).

(3) *De Symbolis, art.* 4, q. 23, 3. — Intellegitur etiam accidisse ut Christus diceretur « *punitus* » — materialiter — pro peccatis nostris. Cf. Rivière : *Dante et le châtiment du Christ,* apud *Rev. des sc. relig.* 1921, p. 401-402.

etiam communis. Agnoscitur enim ubicumque valor reparativus mortis Christi repetitur ex intentione aut virtute unde procedit.

Rarius sane, prioribus saeculis, propter jam assignatas causas, speculationes hujusmodi occurrunt. Attamen, jam apud S. Paulum, obedientiae Christi in morte ascribitur formaliter tum complacentia, ex qua Deus eum exaltavit (*Philipp.* 2. 8-11), tum compensatio et reparatio inobedientiae Adami (*Rom.* 5. 19). Apud S. Irenaeum, docetur explicite inobedientiam Adami solutam esse formaliter per Christi morientis obedientiam (*supra*, n° 456). Eodem sensu S. Augustinus ascribit peccati reparationem « *justitiae* », quae eluxit in hostia propitiationis pro eo oblata. « Quoniam stipendum justitiae vita et pax, per *justitiam* conjunctam Deo evacuavit mortem justificatorum impiorum » (*Conf.* X. 46, 68). « Sicut enim diabolus *superbus* hominem *superbientem* perduxit ad mortem, ita Christus *humilis* hominem obedientem reduxit ad vitam ; quia sicut ille *elatus* cecidit et dejecit consentientem, sic iste *humiliatus* surrexit et erexit credentem » (*De Trinit.* IV. 10, 13). « Mundandi eramus. Porro *iniquorum* et *superborum* una mundatio est sanguis *justi* et *humilitas* Dei... Merito quippe mors *peccatoris*, veniens ex damnationis necessitate, soluta est per mortem *justi*, venientem ex misericordiae voluntate » (*Ibid.* 2, 4). « Nos enim ad mortem per *peccatum* venimus, ille per *justitiam ;* et ideo, cum sit mors nostra poena peccati, mors illius facta est hostia pro peccato » (*Ibid.* 12, 15).

476. Postea, ubi de natura propria satisfactionis Christi quaestio posita est explicite, vis et valor illius communiter repetitur, non ex nudo facto expiationis aut ex intensitate doloris tolerati, sed *ex obsequio, quod Deo est*, seu *ex complacentia, quam Deo movet*, acceptatio passionis hujusmodi a persona tantae dignitatis, sub influxu tantae obedienttae atque tantae in Deum et homines charitatis.

Ita jam apud S. Anselmum, ubi satisfactio dicitur in eo esse quod Deo reddatur honor violatus, at praemittitur ex sola voluntate esse Deo honorem : « Omnis voluntas rationalis creaturae subjecta debet esse voluntati Dei. Hoc est debitum, quod debet angelus et homo Deo ;.... hic est solus et totus honor, quem debemus Deo et quem a nobis exegit Deus. Sola namque talis voluntas opera facit placita Deo... Hunc honorem debitum qui Deo non reddit, aufert Deo quod suum est et Deum exhonorat ; et hoc est peccare. Quamdiu autem non solvit quod rapuit, manet in culpa ; nec sufficit solummodo reddere quod ablatum est, sed pro contumelia illata plus debet reddere quam abstulit.... Ergo debet omnis qui peccat *honorem, quem rapuit Deo, solvere ;* et *haec est satisfactio*, quam omnis peccator debet Deo facere » (*Cur Deus homo*, I. 11 PL 158. 376-377).

Satisfactio vero Christi explicatur in eo fuisse quod obedientem se Deo Patri exhibuit usque ad mortem, aut potius in eo quod « veritatem et justitiam vivendo et loquendo [ita] indeclinabiliter tenuit » ut mortem incurreret : « Sponte sustinuit mortem, non per obedientiam deserendi vitam, sed *propter obedientiam servandi justitiam,* in qua tam fortiter perseveravit ut inde mortem incurreret ». Ea est satisfactio Christi, seu, ut ait S. Anselmus, illud « *magnum aliquid* », sine quo non fuisset restauratio generis humani : « Humanum genus restaurari nolebat Pater, nisi faceret homo tam *magnum aliquid,* sicut erat mors illa... Non aliter voluit mundum salvari, nisi homo *tam magnum aliquid* faceret » (*Ibid.* 9 ; 371 B et 373). Manifestum ergo est, ex S. Anselmo, Deo a Christo satisfactum esse, non simpliciter perpessione mortis, sed proprie et formaliter acceptatione passionis et mortis ex fidelitate justitiae, seu ex obedientia, quae sola Deo honori sit.

Nec aliter Magister *Sententiarum* intellexit mortem Christi contulisse ad reparationem peccati Adami ; ait enim nos ideo per eam redemptos esse quia « tanta fuit humilitas... quanta fuerat in homine primo superbia » (III, *dist.* 18, cp. 5).

477. Satisfactionem porro eodem modo intellexere scholastici magni doctores.

S. Bonaventura, ad ostendendam convenientiam satisfactionis per mortem Christi, ait : « Verum est quod Deus non delectatur in poena, secundum quod est afflictiva et naturae corruptiva ; delectatur tamen, et placet sibi optima voluntas per quam poena sustinetur et ad honorem Dei ordinatur et ad absolutionem hominis rei » (*In* 3, *dist.* 20, q. 5, ad 3^{m}). Item in *Breviloquio,* 4. 10 : « Quia reparare debuit, *salvo honore Dei,* ideo reparavit offerendo *obsequium satisfactorium*. Est autem satisfacere *honorem Deo debitum* rependere. Honor autem Deo subtractus per superbiam et inobedientiam respectu rei, ad quam homo astringitur, nullo modo melius restituitur quam per humiliationem et obedientiam ad eam rem, ad quam nullatenuus tenebatur. Quoniam ergo Chr. J..., in quantum homo innocens, nullatenus erat debitor mortis, dum... *factus est obediens* usque ad mortem, exsolvit Deo quae non rapuit *per obsequium* satisfactionis perfectae » (Ed. Quaracchi, V, p. 250^{a}).

S. Thomas, etsi tam clare, ut dictum est, dicit peccatum expiatum esse a Christo vice nostra, tamen explicite etiam docet satisfactionem repeti formaliter ex motivo unde fuit acceptatio mortis : « Ille proprie satisfacit pro offensa, qui exhibet offenso id *quod aeque vel magis diligit quam oderit offensam.* Christus autem, *ex charitate et obedientia patiendo,*

majus aliquid Deo exhibuit quam exigeret recompensatio totius offensae generis humani » (III, q. 48, a. 2). « Sciendum [enim] est quod mors Christi *virtutem satisfaciendi habuit ex charitate* ipsius, qua voluntarie mortem sustinuit » (*C. G.* IV, 55, ad 22[m]), nam « in satisfactione, dum quis, ad placadum eum quem offendit, voluntarie poenam assumit, *satisfacientis charitas et benevolentia aestimatur,* quae maxime apparet cum quis pro altero poenam assumit » (ibid. ad 20[m] et cf. ad 23[m]). « Nullus enim est actus charitatis perfectior quam quod homo pro amore alicujus etiam mortem sustineat... Sic igitur invenitur Christus, *mortem sustinens pro salute hominum et ad gloriam Dei Patris, Deo maxime obediens fuisse,* actum *charitatis perfectum* exsequendo » (Ibid. ad 13[m]). « Et sic voluntas Dei fuit de morte Christi, in quantum Christus eam ex charitate suscepit et fortiter sustinuit... *Complacuit ei voluntas, qua ex charitate Christus mortem suscepit* » (*ad* 15[m] et 16[m]) : « *Tantum bonum fuit quod Christus voluntarie passus est,* quod *propter hoc bonum* in natura humana inventum, Deus placatus est super omni offensa generis humani, quantum ad eos qui Christo passo conjunguntur » (III, q. 49, a. 4).

478. Quae doctrina de ratione formali satisfactionis ut constet esse communis et **extra scholarum controversias,** addendum est eam a Scoto admitti eamdem.

Doctor subtilis enim, etsi ab Angelico dissentit de satisfactionis sufficientia intrinseca, tamen admittit eam, cujuscumque sit valoris et dignitatis, constitui formaliter ac valere, quatenus est voluntaria operum poenalium susceptio ideoque obsequium Deo praestitum.

Voluntarietatem etiam ipse ait ita esse de ratione satisfactionis ut sine ea esset mera satispassio : « Si esset involuntaria, non esset satisfactio sed satispassio, et hoc modo ille, a quo exigitur in inferno poena debita, culpae commissae satispatitur et non satisfacit ». (*In* 4, *dist.* 15, q. 1, n° 3). Ratio est quia « *passiones poenales,* et maxime mors, » non sunt *laudabiles nisi ratione virtutis ex cujus actu accipiuntur* (*In* 3, *dist.* 10, n° 11, ad 2[m]). Sic « actus voluntatis, quo Christus voluit pati, habuit bonitatem non solum ex potentia volitiva sed ex summa charitate (*ibid. ad aliud*). [Nam] « quod Christus voluit sic pati, processit ex amore intenso finis et nostri, quo dilexit nos propter Deum » (ad 1[m]).

Hinc est cur quodlibet peccatum, etiam crucifigentium, remediabile fuerit per passionem Christi, nam « non potuerunt habere actum tam difformem in malitia, sicut fuit *bonus bonitate morali* actus voluntatis, quo Christus voluit pati... [Unde] *plus dilexit Deus illam passionem.... quam odisset eorum malum* » (*ad aliud*).

Hinc etiam est cur ad satisfactionem « suffecisset obtulisse Deo majus bonum quam fuit malum hominis peccantis... Nam amor, quem offerre debet [quis] satisfaciendo, debet... diligere magis objectum nobilius.. quam dilexerit ignobilius peccando » (*Ibid.* n° 8).

Jamvero satisfactio hujusmodi ideo accepta est Deo ejusque justitiae satisfacit quia ei obsequio est : « Homini [enim] facto Dei inimico per culpam disposuit Deus non remittere illam culpam... nisi per aliquid sibi oblatum, *quod gratius acceptaret quam offensa illa esset sibi displicens vel ingrata ;* nihil autem potest inveniri gratius Trinitati quam sit tota culpa et offensa generis humani displicens vel ingrata, nisi sit *aliquod obsequium* personae magis dilectae quam tota communitas illa quae offendit... debebat esse cara si non offendisset. Talem personam sic dilectam non potuit genus humanum ex se habere... ; ergo disposuit Trinitas personam sic sibi dilectam dare generi humano, ac ipsam ad hoc inclinare ut ipsa *offerret obsequium* pro toto illo genere : talis persona non est nisi Christus... et *tale obsequium est illud, in quo maxima apparet charitas,* quod est offerre se ad mortem pro justitia » (*In* 4, *dist.* 2, q. 1, n° 7).

Excellentia, uno verbo, illius obsequii, quod Deo est passio Christi, ratio est cur remedium collatum generi humano justitiae satisfecerit : Nam « *maximae justitiae est propter obsequium tam gratum personae tam dilectae tantum remedium conferre illis pro quibus illa persona obtulit illud obsequium.* Justum enim est *acceptare obsequium personae tam dilectae pro illo pro quo offert obsequium* » (*Ibid.* n° 8).

479. Recentiores scholasticos satisfactionis notionem servasse eamdem constare potest per tres sequentes :

Bellarminus, in sua *Controversia de Christo,* contra Calvinum ascribentem redemptionem perpessioni qua tali poenarum inferni, notat Scripturam econtra [*Philipp.* 2. 9-11] « omnia tribuere obedientiae usque ad mortem » (*lib.* 4, *cp.* 8) et addit : « Pretium redemptionis a Christo persolutum non debet pensari ex multitudine, vel qualitate, vel diuturnitate poenarum, sed ex *dignitate personae,* quae patiebatur, et *ex charitate,* qua patiebatur » (*Ibid. secund. argum,.. Respondeo..)*

Suarez, eadem occasione iisdemque fere verbis, ait : « Hujus satisfactionis dignitas non ex identitate poenae sed ex proportione, neque ex sola qualitate et quantitate poenae, sed maxime *ex dignitate personae* et *perfectione charitatis* pensanda est » (De myst. vit. Chr. disp. 33, s. 2).

Franzelin : « Christus... vicem subit generis humani rei coram Deo, *per obsequium* infinite meritorium in morte crucis consummatum, pro genere lapso *satisfaciens* Deo... Hic Deus Homo,.... nomine ac vice totius generis lapsi, Deo *infinitum honorem* exhibuit et infiniti valoris satisfactionem ac

meritum... Non in passione et morte Christi materialiter spectata, sed in voluntaria oblatione erat formalis ratio meriti et satisfactionis » (*De Verbo Incarnato*, p. 502 et 504).

480. Conclusio : Ex dictis constat quanto jure Christus dicatur nos redemisse per modum satisfactionis. Mors ejus fuit vera *satisfactio vere vicaria* seu vice nostra ab ipso oblata et a Deo acceptata ; fuit *vera expiatio peccati*, quatenus qui nihil habebat sibi luendum, peccati poenalitates humano generi communes, et mortem in specie, assumpsit quia in poenam peccati erant ; pleno ergo jure satisfactio Christi dici potest pretium redemptionis pro nobis a Christo solutum. « Nam ipsa satisfactio qua quis satisfacit, sive pro se, sive pro alio, pretium quoddam dicitur, quo seipsum vel alium redimit a peccato et a poena, secundum illud [Dan. 4. 24] : *Peccata tua eleemosynis redime*. Christus autem satisfecit, non quidem pecuniam dando aut aliquid hujusmodi, sed dando id quod fuit maximum, seipsum scilicet pro nobis » (III, q. 48, a. 4 c).

Hinc sequitur plenissimo jure oratores exponere et fideles meditari quot et quanta pro nobis Christus passus sit ; nec ullo modo falluntur ubi ea omnia considerant ut a peccato, Deo sic volente, in Christum derivantia : ea enim omnia sunt in poenam peccatorum nostrorum a Deo decreta et a Christo suscepta ; nec fieri potest quin summa exinde moveatur gratitudo in Christum, qui tanto pretio nos redemerit.

At qui velit redemptionem et redemptorem vere et plene cognoscere, is contemplari in primis debet quo sensu et animo Christus ea omnia adierit et pertulerit ; tunc intelleget *ea omnia fluere ex summa Christi in Deum et in homines charitate*. Ea enim est, quae tantum ei movit zelum gloriae Patris et peccati odium ut offensam Dei personalem compensare vellet tanto illo suo obsequio, quod est obedientia usque ad mortem ; eadem fecit ut homines susciperet a multiplici sua servitute liberandos et in Dei gratiam restituendos. Sed ea etiam est, qua Deo Patri tanto fuit honori tantaeque complacentiae ut non solum nobis placatus exsisteret sed etiam nos in pristinam amicitiam reciperet [1].

(1) Duplex is est respectus, qui in Dei placatione distingui potest, negativus scilicet et positivus. *Negativus*, quatenus Deus placatus se haberet quasi negative erga hominem, hoc est deponeret suam animi aversionem et offensionem ita ut in eum jam saevire nollet, quin tamen restitueret dona positiva gratiae sanctificantis et consequentia. *Positivus*, quatenus, semota aversione, restituatur simul pristina amicitia et gratia. De facto haec duo connectuntur, non ita necessario tamen ut Deus, de potentia saltem absoluta, non potuisset condonare peccatum quin restitueret gratiam.

Redemptio igitur nostra fructus quidem est satisfactionis Christi, at satisfactio ipsa non habet fructum nisi *vi et virtute summae charitatis,* qua Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis *ad majorem Dei gloriam.*

PARS II. **Vindicatur satisfactio Christi, qualis in Ecclesia catholica intellegitur.**

481. 1° **Status quaestionis generalis.** Doctrina de satisfactione Christi vicaria a prioribus protestantibus perversa et a Socinianis abjecta, vix jam apud ullos acatholicos sincera retinetur [1]. Connexam enim habet de Deo personali et ordinis moralis principio ac tutore, de peccato ac de ordine supernaturali, doctrinam, quam plerique jam non retinent ; eis propterea videtur non tantum antiquata sed etiam in se repugnans atque primaevae doctrinae christianae contradicens. Eorum sane difficultates praeoccupatae sunt jam fere omnes mera expositione, quae praemissa est, illius genuinae notionis ; moventur enim praesertim contra eam satisfactionem, qualem protestantes olim sibi finxerant, vel qualem intellegunt qui doctrinam catholicam haud raro prius impugnant quam bene cognitam habeant. Attamen abs re non erit eorum objectionibus occurrere directe, ut plenius appareat doctrina catholica quam sit in se alta simul et rationalis atque altissimo Dei de salute nostra consilio plane consona.

482. 2° **Difficultates praecipuae.** — Contra satisfactionem vicariam objectiones dici possunt aliae philosophicae, aliae theologicae.

Philosophicae. Philosophis ea notio repugnare videtur, quatenus supponat Deum ex peccato posse offendi et manere offensum, de peccato sumere poenam nec placari nisi certi mali perpessione : quae omnia videntur eis evertere transcendentiam absolutam tum ordinis moralis tum ipsius Dei ; nam exinde putant sequi principium ordinis moralis posse a peccante labefactari aut quasi laesionem ac detrimentum pati, Deumque induci, non jam impassibilem, sed malo obnoxium atque vindicativum, qui jura sua nequeat nisi terrore ac poena

(1) Satisfactio quo sensu jam apud protestantes intellegatur, cf. LICHTENBERGER : *Encyclop. des sc. relig., art. Rédemption,* et praesertim RIVIÈRE : *La rédemption : essai d'ét. hist.* ch. 2 ; *étude théol.,* 3e partie. Brevius apud d'ALÈS, *art. Rédemption,* in DAFC, IV, *col.* 571-578.

tueri [1]. Immoralem praeterea judicant satisfactionem vicariam, quatenus, innocente poenas peccati luente, reus innocens habeatur.

Theologicae autem difficultates oriuntur aliae ex ipso Christi satisfacientis mysterio : quomodo possit Deus pati vel quomodo possit idem satisfactionem simul praestare et accipere ? — aliae ex dogmate gratuiti doni, quod est restauratio generis humani : quomodo dici possit Deus ex mera misericordia condonare peccatum, qui de peccato voluerit sibi satisfieri in rigore justitiae ? [2]

(1) « La sanction religieuse, étant au fond l'extension des rapports sociaux avec les dieux, a pris successivement les trois formes de la pénalité humaine. Au début elle n'est que *vengeance*, comme chez l'animal et l'homme voisin de la brute. C'est le mal rendu pour le mal. Le sentiment de la vengeance a subsisté et subsiste encore au fond de toute religion qui admet une sanction divine... L'idée de la vengeance, en se subtilisant, en passant pour ainsi dire du domaine de la passion dans celui de l'intelligence, devient l'idée d'expiation, qui est exclusivement *religieuse*, quoique des philosophes spiritualistes croient y voir une notion rationnelle et morale. L'expiation est une sorte de compensation naïve par laquelle on s'imagine que l'on peut contrebalancer le mal *moral* en y ajoutant le *mal sensible*. C'est une peine qui n'a aucune *utilité* comme *amendement* du coupable ou comme amendement de ceux qui pourraient suivre son exemple ; elle n'est ni *corrective* ni *préventive*, elle est une prétendue satisfaction de la règle et de la loi, une symétrie rétablie en apparence pour le plus grand plaisir de l'intelligence, en somme une pure et simple *vindicte*... (Guyau : *L'irréligion de l'avenir*, 1re partie, ch. III, 2, p. 88-89).

« Les fondateurs des religions ont cru que la loi la plus sainte devait être la loi la plus forte ; mais l'idée de force se résout logiquement dans le rapport d'une puissance à une résistance, et toute force physique est moralement une faiblesse. On ne peut donc considérer le lien suprême comme une force de ce genre. Si une loi humaine, si une loi civile ne peut se passer de sanction physique, c'est en tant qu'elle est civile et humaine. Il n'en est pas ainsi de la « loi morale », qu'on se représente comme immuable, éternelle et impassible en quelque sorte ; on ne peut être *passible* devant une loi *impassible*. La force ne pouvant rien contre elle, elle n'a pas besoin de lui répondre par la force. La seule sanction pour celui qui croit avoir renversé la loi morale doit être de la retrouver toujours en face de lui » (*Ibid.* 2e partie, ch. III, p. 159).

(2) « La théorie ecclésiastique de l'expiation, loin de bien rendre la pensée de l'apôtre [saint Paul], est arrivée à la contredire formellement. L'idée d'une satisfaction extérieure, accordée à Dieu pour lui arracher le pardon des pécheurs, est étrangère à toutes nos épîtres. Paul ne dit nulle part que Dieu ait besoin d'être apaisé. Il est parti d'un point de vue contraire. Le pardon des péchés est toujours un acte libre de l'amour de Dieu. C'est sa grâce souveraine et absolue qui garde l'initiative dans l'œuvre de la rédemption... Paul n'admet point, en Dieu, le dualisme traditionnel entre l'amour et la justice » (A. Sabatié : *L'apôtre Paul*, p. 323). « Il ne s'agit point pour Paul de réconcilier en Dieu la justice et la miséricorde. Dieu n'a aucun besoin d'être réconcilié avec les hommes » (Idem. *La doctrine de l'expiation et son évolution historique*, p. 29).

Contra quae dicimus.

483. 1° **Satisfactio Christi vicaria non repugnat in se.**

A) **Satisfactionis exigentia non inducit Deum passibilem aut vindicativum.** Nam : a) *Impassibilitas,* quae dici possit, *passiva* inviolata manet, siquidem dicimus eum, ratione suae infinitae perfectionis, non pati ullum reale detrimentum intrinsecum ex denegata sibi, vel in aeternum a damnatis, ea gloria extrinseca, quae consistit in ejus amore super omnia. *Activa* vero impassibilitas, ex qua Deus non urgeret contra peccatorem consequentiam connaturalem peccati nec probaret reparationem ordinis laesi, quam prosequitur qui se deprimit ut obsequium illi praestet, haec, inquam, impassibilitas]non decet Deum, imo repugnat in eo.

b) *Indoles vero vindicativa* non apparet **nec** in eo quod urgeat, ut tutor ordinis moralis, poenam peccati, nam non ex inordinato amore eam urget, sed ex cura quam habet ordinis moralis inculcandi hominum mentibus ; **nec** in eo quod approbet vel exigat sibi satisfieri de offensa personali, nam, cum Deus personalis sit ipse ordinis moralis principium et finis, ita ut ille ordo laedi nequeat quin et ipsi Deo inferatur injuria personalis, restitutio illius ordinis de se requirit illam etiam offensam reparari : Deus igitur, ubi satisfactionem exigit et accipit, omnino secundum ordinem agit. Nec, re vera, delectatur malo satisfacientis qua tali, quasi *malum* ejus *physicum* compenset *detrimentum* suum *morale ;* delectatur tantummodo bono morali, quod est obsequium sibi ab illo praestitum. Violentia enim, quam satisfaciens sibi infert ex motivo reparandae offensae, est professio praeexcellentiae divinae, quam Deus non potest non habere acceptam.

Haec doctrina proinde non supponit Deum delectatum nescio quo sensu vindictae, nec Deum adeo infirmum et suae auctoritatis incertum ut in tuto nequeat esse ejus auctoritas aut dignitas nisi poenas inferat ; supponit simpliciter — α) homines adeo labiles ut intra fines legis moralis contineri nequeant nisi sanctione legis : unde poena contra peccatum ; — β) Deum, qui sit summum bonum finisque omnium ultimus, non posse ex una parte non improbare omnem aversionem a summo bono, ex alia vero parte non probare tum poenam, quam haec aversio connaturaliter secum trahit, tum bonitatem omnis actus quo quis, ad profitendam excellentiam summi boni, condemnat nimium boni creati amorem, quod est peccatum.

484. B) **Satisfactio Christi non est mere juridica et extrinseca** ; nam econtra consistit formaliter in obsequio morali, quod, sine ullo

suo debito et in compensationem obsequii moralis denegati, Deo praestat is qui Deus et ipse est. Honoratur ergo quam maxime is qui fuit a mera creatura inhonoratus. Includit enim illa satisfactio Dei amorem perfectissimum, quo simul peccatum odio habetur ultra quam ab ulla pura creatura fieri potest ; isque amor et odium est, ex quo poena assumitur et quo proprie compensatio fit ordinis moralis violati et offensae Dei personalis.

Neque odium illud illaque compensatio peccati est *peccatori omnino aliena et extrinseca* ; nam qui satisfacit illi connectitur non tantum caritatis vinculo, ex qua poenam ejus in se suscipit, sed etiam naturali et interna cognatione, ex qua frater ejus est, quippe qui ex eodem patre carnem et sanguinem assumpserit. Personaliter praeterea peccator debebit peccatum detestari ac pro eo praestare aliquam satisfactionem, quae vim ac virtutem non habebit nisi quatenus elicietur sub influxu satisfactionis Christi.

C) **Satisfactioni Christi non obstare quod idem sit satisfactionem praestans et accipiens**, jam dictum est, occasione meriti (*Supra*, n. 445).

485. D) **Satisfactio VICARIA non habet quidquam immorale**, dummodo rite intellegatur. Substitutione enim, quae ibi intercedit, non transfertur culpabilitas unius ad alterum, non luitur ab innocente poena peccati, qua poena est, seu non proprie punitur innocens, siquidem malum ei non infertur nolenti neque ex debito ; nec deletur culpa rei absque illius personali conversione ad Deum : redemptio enim a Christo facta non est nisi in actu primo ; ut fructum ejus in actu secundo quis percipiat, requiritur subjectiva illius activitas. Ex acceptata proinde substitutione, aliquis, suo Dei et hominum amore atque suo odio peccati ductus, *se offert* ad compensandum honorem divinum, ad restaurandum, quantum *fieri potest, ordinem rerum moralem, acceptando subire materialiter poenam* a Deo juste edictam, ad placandum Deum, id est, ad tantum ei obsequium praestandum ut jam, posita sua libera ordinatione, non possit reo non condonare delictum. In hoc porro nihil est quod faciat Deum innocenti patienti iratum ; eum econtra tanto magis diligit quo magis eum videt ex peccati detestatione et ex perfecta charitate poenas hominibus debitas subeuntem. Satisfacienti ex alia parte nihil imponitur aut ulla poena infligitur invito ; ipse acceptat libere ; imo, ex acceptato hoc suo munere redemptoris, satisfaciens nobilitatur quam maxime et glorificatur, quippe quod ipse sit sanctissimus, Deo gratissimus, et jus sibi acquirens, si jam non haberet, ad obedientiam et gratitudinem omnium redemptorum.

486. 2. **Satisfactio Christi non contradicit dogmati de gratuito redemptionis beneficio.** Nam : — A) dicimur quidem nos « *justificati gratis* », sed nostra justificatio non est gratuita nisi quoad nos, quibus gratuito Deus et dedit reparatorem et applicat fructus satisfactionis ab illo praestitae. Christo vero nostram justificationem valde onerosam fuisse ipsi Apostoli docent, ubi aiunt nos « emptos esse pretio », « non corruptibilibus auro vel argento,... sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi ». — B) Neque in hoc detrahitur quidquam misericordiae et bonitati divinae, a qua sola est ut talem satisfactorem habeamus et ut ejus satisfactio nobis computetur. Nam haec duo inter se non pugnant, nempe velle hominibus ita subvenire ut, per unum ex suo genere, condignam de suo peccato praestent satisfactionem, — quod solius Dei bonitatis est, antecedenter et independenter ab omni praevio merito Christi, — nec tamen velle eos in suam amicitiam restitui nisi prius eam satisfactionem praestiterint [1], — quod est ex cura tum tuendi ordinem moralem, tum manifestandi, in ipso exercitio misericordiae, quanto Deus odio peccatum habeat. « In hoc [enim] ostenditur et Dei severitas, qui peccatum sine poena dimittere noluit : quod signat Apostolus dicens [*Rom.* 8. 32] : Proprio Filio suo non pepercit ; et bonitas ejus in eo quod, cum homo satisfacere non posset per aliquam poenam quam pateretur, ei satisfactorem dedit : quod signavit Apostolus dicens : Pro nobis omnibus tradidit illum, et [*Rom.* 3. 25] quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius » (III, q. 47, a. 3, ad 1[m]).

487. Redemptio proinde nostra ascribenda est *justitiae* quidem Dei qua voluit sibi satisfieri ; et, re vera, ita ejus justitiae objective satisfactum est ut jam non possit non condonare ei qui sibi appropriet satisfactionem Christi ; at ascribenda est etiam et imprimis divinae *misericordiae*, qua factum est ut homo, simul ac gratias agendas haberet de restituta sibi gratuito amicitia divina, laetari tamen posset et gloriari de sua Dei offensa plene reparata. « Videri poterat major misericordia, si gratis peccatum condonasset et omnes trans-

(1) Quam gratuito autem dicatur S. Paulo aliena notio Dei hominibus irati, cui placato homines indigeant reconciliari, constat per doctrinam ejus generalem : a) omnes homines, antecedenter ad Christum, esse « *filios irae* » (*Eph.* 2. 3), ita ut « *ira Dei* » sit super omnes homines sine distinctione (*Rom.* 1. 18 — 2. 13) et « *omnes egeant gloria Dei* », seu « *propitiatione... in sanguine Christi* » (*Ibid.* 3. 23-24) ; b) in hoc « *commendari charitatem Dei in nobis* », quod, cum « *adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus sit,* » ita ut « *justificati in sanguine ipsius, salvi simus ab ira per ipsum...* [et] *reconciliati Deo per mortem ejus* » (*Ibid.* 5. 8-10) : nam ipse est, qui « *eripuit nos ab ira ventura* » (1 *Thess.* 1. 10).

tulisset in caelum ; sed re vera amplior non fuisset, quia infinite amplius est dare Filium quam quodvis bonum creatum ; et longe praestantior est haec salvandi ratio, qua satisfit justitiae, quam illa gratuita, qua absque satisfactione salvaremur. Si Rex, deposito diademate, suscipiat statum servi ut ipsum a morte liberet, longe majorem illi charitatem et misericordiam exhibet quam si, sola auctoritate, nihil pendens justitiae, morti eximat. Justitia divina instar severi judicis hominem tenebat captivum vinculis peccatorum constrictum, ut eum morte aeterna plecteret ; accessit misericordia et, oblato divini sanguinis pretio, justitiae abunde satisfecit et hominem redemit » (LESSIUS : *De perf. div.* IV. 12, 16).

Si quando proinde, ut redemptionis consilium ostendant esse justitiae simul et misericordiae Dei opus, oratoribus accidit imaginari aliquem apud SS. Trinitatem utriusque illius divini attributi quasi conflictum, haud ideo anthropomorphismus denuntiandus est aut oblivio et perversio doctrinae revelatae de gratuitate tanti beneficii nobis collati. Sua etiam oratoribus agnoscenda est libertas rhetoricam, ut aiunt, colendi ac vivido colore depingendi quod nec ipsi nec fideles ignorant esse ab aeterno simplicissimo actu decretum ab eo, in quo justitia et pax ita obviaverunt sibi ut utraque sit Deus ipse, qui charitas est (Cf. *supra* n. 142).

§ 3 DE PERFECTIONE SATISFACTIONIS CHRISTI

THESIS XXXIV — Christi satisfactio fuit seipsa, seu in actu primo, condigna et superabundans.

488. PRAENOTANDA. — I. **Notiones :** 1° *Valor actus* in genere est ejus aestimabilitas, seu ejus aptitudo ad aliquod bonum procurandum. Potest distingui physicus et moralis : *physicus,* qui fundatur in ipsa actus entitate, prout habet tale vel tale objectum materiale aut formale, procedit a tali vel tali virtute, elicitur cum tali vel tali intensitate ; *moralis*, qui fundatur in ipsa agentis dignitate personali.

Perfectio satisfactionis Christi commensuratur ejus *valori in ordine ad compensandam peccati offensam* et ad Deum propitiandum.

Valor ejus consideratur tum physicus tum moralis, at ratio habetur imprimis valoris ejus moralis.

2° *Condigna* dicitur satisfactio, quae tantum valet in compensando quatum valet peccatum in offendendo. — *Superabundans,* quae offensam excedit, seu quae excedit compensationem debitam pro omnibus etiam gravissimis peccatis. — *Infinita,* quae offensam excedit ultra limites omnes finitos, ita ut vis ejus satisfactoria numquam exhauriri possit.

3° *In actu primo,* valor dicitur, qui repetitur ex ipso actu prout in concreto est, talis scilicet naturae objective et talis agentis. Valor is est *intrinsecus.* — *In actu secundo,* valor dicitur, qui repetitur ex acceptatione illius, cui actus offertur, quatenus, abstractione facta ab illius intrinseco valore, accipitur ut qui tali vel tali pretio habeatur. Valor is est *ab extrinseco.*

4° Satisfactionem igitur esse *condignam in actu primo* idem est ac esse condignam ab intrinseco ; quo non intellegitur eam esse *efficacem* independenter ab acceptatione Dei : jam enim dictum est satisfactionem non dari pro altero nisi offensus admittat sibi satisfieri per hujusmodi substitutionem ; sed intellegitur eam sufficere ad compensanda peccata ratione sui ipsius et non ex hoc tantum quod admittatur ut sufficiens a Deo, quia ipse benignus sit, et quia ea sit optima, quae possit a debitoribus offerri, satisfactio : ea enim esset condignitas ab extrinseco tantum.

489. II. **Status quaestionis.** 1° Satisfactionem Christi fuisse *de facto* condignam et superabundantem pertinet ad doctrinam fidei, nam Scriptura dicit : « *Una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos* » (*Hebr.* 10. 14) et « *Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia* » (*Rom.* 5. 20) ; Clemens autem VI, post Patres, docet guttam modicam sanguinis Christi *suffecisse* ad Redemptionem, sed *copiose* effusum esse, et per eum Ecclesiae acquisitum esse thesaurum infinitum satisfactionum et meritorum [1].

2° Eam vero esse condignam, a fortiori superabundantem et infinitam, *ex sese* seu *ab intrinseco,* negant Nominales, Durandus atque Scotistae ; quibus concinunt Guentheriani. Ceteri theologi thesim nostram tenent ut *certam.*

490. Probatur. I. **Condigna et superabundans in actu primo.**

1° **Condignitatem** Scriptura affirmat : — A) dicendo sanguinem Christi esse « *pretium* » (τιμήν) Redemptionis (1 *Cor.* 6. 20 et 7. 23) : pretium enim intellegitur habere valorem condignum pro re acquisita ; — B) ducendo necessitatem sacrificii Christi ex insufficientia ceterorum (*Hebr.* 9. 13-14 coll. cum 10. 1-2 et 9-14).

Ibi enim sanguis hircorum et vitulorum ab aaronico pontifice oblatus non

(1) D-B 550 et 552 ; C. 1263. — Exinde tamen thesis non potest dici *de fide catholica,* nam S. P. non agit ex professo de hac quaestione, sed hoc dicit tantum ad justificandam concessionem indulgentiarum et jubilaei ; praeterea non constat utrum « infinitum » intellegat simpliciter an secundum quid tantum.

dicitur simpliciter insufficiens ad ullam emundationem (9. 13-14) sed ad emundationem perfectam (9. 9-11 et 10. 1-2), eaque dicitur esse causa cur non una sui oblatione sufficeret mundare pro semper sed singulis annis iterum offerendus esset. Sanguis econtra Christi dicitur una sui oblatione sufficienter consummare in sempiternum sanctificatos (10. 9-14).

Jamvero haec auctoris inspirati argumentatio implicat disparitatem quoad sufficientiam oriri, non ex ipsa Dei acceptatione, sed ex ipsa disparitate tum sanguinis oblati tum pontificis offerentis : secus enim necessitas non explicaretur sanguinis Christi, nam qui sanguinem hircorum dignabatur habere ut sufficientem ad aliquam emundationem, idem potuisset eumdem accipere ut sufficientem ad perfectam et universalem emundationem.

2° **Superabundantiam** docet S. Paulus (*Rom.* 5. 15) dicendo satisfactionem Christi fuisse majoris efficacitatis ad salvandum quam peccatum Adami ad damnandum. Et, re vera, ex Adamo non inficiuntur homines nisi uno peccato, ex Christo vero emundantur ab innumeris. Praeterea gratia per Christum recuperata est amplior et firmior quam gratia per Adamum amissa.

3° **Utrumque** probatur *ratione theologica,* quatenus ex infinita dignitate personae satisfacientis valor ejus demonstratur esse infinitus, ut constat per alteram theseos partem.

491. II. **Infinita.** Nam persona satisfaciens est dignitatis infinitae, et satisfactionis valor aestimandus est imprimis ex ipsa satisfacientis dignitate personali. Prius est extra controversiam. Posterius autem probatur : A) *A posteriori,* nam ita fit tum in humanis et inter homines, tum in divinis seu in supernaturalibus, ubi videmus ex sua diversa dignitate personali esse quod justus apud Deum satisfacere et mereri possit, peccator non possit. — B) *A priori,* nam sicut, in offensa, gravitas offensae commensuratur dignitati personae offensae, ita, in satisfactione, valor obsequii compensativi commensurari debet dignitati satisfacientis. Ratio est quia satisfactio fit per obsequium, *non reale,* v. gr. per eleemosynam aut oblationem rei materialis quae ex quantitate aestimetur, *sed personale,* quod est unius prae alio demissio voluntaria : demissio vero hujusmodi eo major est quo major est dignitas se demittentis.

492. QUAERES : I. **Utrum plus fuerit valoris omnibus Christi actibus quam uni, v. gr. morti ?**

RESPONDEO. 1° Si agitur de *valore intrinseco,* singulae Christi actiones habuere de se, seu data dignitate personae cujus erant et charitate ex qua

procedebant, vim satisfaciendi et merendi aequalem. Mors igitur et omnes actiones, collective sumptae, valoris et efficacitatis non fuere majoris propter majorem charitatem sed tantummodo propter specialem eorum aptitudinem sive ad charitatem Christi vividius manifestandam, sive ad homines magis commovendos et efficacius ad virtutem incitandos. (III, q. 48, a. 1, ad 3[m] et q. 46, a. 3 et 4).

2° Si autem agatur de earum *deputatione ad effectum intentum*, quia constat eas deputatas et acceptatas esse ad redemptionem, non singulas seorsim, sed complexive, seu prout per mortem consummandae erant, ideo satisfactio non potest ascribi in concreto ulli Christi actioni seorsim a morte consideratae, bene vero morti ipsi, ut qua opus redemptivum consummatum sit (S. Thomas : *Quodl.* 2, q. 1, a. 2 ; cf. Suarez : *Disp.* 4. s. 4, n° 44 sqq ; Franzelin : *De V. incarn.* p. 486-488). Et jure quidem, nam mors est maxima peccati poenalitas, ex cujus voluntaria assumptione elucet quam maxime charitas Christi ad Deum simul et ad homines.

493. II. Utrum Christus dici possit satisfecisse — aut meruisse — ex stricta justitia ?

RESPONDEO. 1° Aliquam veram fuisse justitiam nemo negare potest, cum certum sit etiam ad nos retribuendos Deum se habere ut « justum judicem ». Quae ratio justitiae, qualiscumque sit, non tollitur ex eo quod valor satisfactionis in actu secundo pendeat ab acceptatione Dei, qui consensit eum posse nobis injustis applicari.

2° Posita igitur illa acceptatione, quaeritur utrum illa vera justitia, quae intercedit inter Deum offensum et Christum satisfacientem, sit stricta. *Justitia* porro *stricta* requirit satisfactionem esse 1° ad alterum simpliciter, 2° ex rebus satisfacienti propriis, 3° non aliunde jam alteri debitis, 4° ad aequalitatem, 5° ita ut, vi interpositae acceptationis, ille, cui satisfit, teneatur acceptare.

3° Quaestione sic posita, *duae* dici solent esse *solutiones :* A) *Negantium* esse justitiam strictam, quia non adaequate verificentur ejus duae primae conditiones : satisfaciens enim est sub dominio ejus cui satisfacit, proindeque non simpliciter alter ab eo ; ab eo praeterea habet virtutem operandi, proindeque non ex vere propriis satisfacit. Ita Vasquez (*disp.* 7, c. 1), Molina (*in* I, q. 21, a. 1), Lugo (*disp.* 3, s. 1, n° 4), Billot (*thes.* 51). — B) *Affirmantium*, non obstante hoc, justitiam posse dici strictam. Ita Thomistae O. P. in genere, Suarez (*disp.* 4, s. 4, n° 5 et s. 6, n° 2), Gregorius a Valentia (*disp.* 1, q. 1, p. 5), Pesch, n° 440 sqq.

4° Quas inter sententias ut eligatur, advertendum est sententiam affirmativam : A) Non admittere justitiam strictam, qualis dari potest inter aequales, sed qualis adesse potest inter Deum et creaturam. — B) Non contendere Deum, vi illius justitiae, ita obligari erga creaturam ut ab illa ullo mo-

do pendeat, sed contendere Deum, posita sua acceptatione ut Christus pro nobis satisfaciat, jam *sibi debere* ut propitium se exhibeat (I. II, q. 114, a. 1, ad 3[m]). — C) Contendere illud debitum revocandum esse : — a) *non ad meram* fidelitatem, nam Deus ita promisit ut postularet aliquod opus a Christo : intercessit igitur aliquod quasi bilaterale pactum ; — b) sed ad veram justitiam, nam vera est etiam justitia ubi aliquid alteri debetur, etsi non ex jure alteri inhaerente, tamen ex aliqua lege illi extrinseca. Porro, in casu, lex hujusmodi suppletur per ipsam Dei essentiam, quae Deo lex est eum obligans ad concedendum quod promissum est [1]. Nec justitia hujusmodi dici potest repugnare Deo, nam econtra debet illi tribui secundum suam formalem rationem, quae est dare alteri id quod alter, innixus illa quasi lege sibi extrinseca, conatus est sibi acquirere ; — c) et quidem *ad justitiam* vero quodam sensu *strictam*.

Hoc porro ultimum est, de quo solo potest esse controversia cum negantibus. Controversia vero ea non est fere nisi de vocibus : Nam : a) Nemo, ex dictis, intellegit justitiam strictam qualis esset inter duos, quorum merens aut satisfaciens nihil conferret quod ab alio accepisset... Christus enim satisfaciens accepit a Deo humanam voluntatem, qua satisfacit, et unionem hypostaticam, ex qua suae satisfactioni valor est. — b) Nemo, ex alio capite, negare potest Christum, satisfaciendo, obtulisse libere, — et cum nihil ipse deberet, — id quod est sibi omnino proprium, quatenus est persona distincta et usum libertatis humanae habet proprium.

§ 4 DE SATISFACTIONIS PER CHRISTUM NECESSITATE

THESIS XXXV — Satisfactio per Christum necessaria fuit ad satisfactionem de peccato condignam (III, q. 1, a. 2 ; *de verit.*, q. 28, a. 2).

494. Status quaestionis. 1° Jam supra (n. 151-152) dictum est Deum potuisse hominem sine ulla satisfactione restaurare ; a fortiori sine satisfactione, quae praestaretur a Verbo incarnato. Dictum est etiam Incarnationem fuisse necessariam, consequenter ad decretum de restauratione cum satisfactione condigna praestanda ab aliquo

(1) Justitia illa referri potest ad distributivam, etsi continens eminenter quidquid perfectionis est in justitia commutativa. Etenim : a) Justitiae distributivae est distribuere bona subditis prout aequitas postulat, seu proportione servata ad ea quae singuli exhibuerunt. Jamvero ita formaliter Deus Christo pro satisfactione sibi exhibita. — b) Justitiae commutativae est servare aequalitatem rei ad rem. Jamvero, in casu, aequalitas est satisfactionis ad offensam. Attamen, quia Deus nihil utilitatis ex satisfactione accipit, non potest dici formalis commutatio.

qui esset de stirpe Adami : hoc enim consequitur necessario ad transmissionem peccati originalis, qua fit ut, seclusa satisfactione per Christum, omnes ab Adamo oriundi maneant privati gratia, sine qua nulla possit esse apud Deum condignitas.

2° Nunc ulterius quaeritur utrum Incarnatio fuerit necessaria ad restaurationem cum satisfactione de condigno simpliciter, quasi *ne ulla* quidem *pura creatura,* quamvis justa, possit condignam praebere Deo satisfactionem [1]. Sed quaestio non ponitur nisi de satisfactione pro offensa mortali qua tali, nam, pro poena temporali de peccato jam condonato et pro peccato veniali, alibi probatum est quemlibet hominem justum posse satisfacere de condigno (*De paenitentia tract. dogmatico-hist.*, n. 475 sqq. et 484 sqq.).

3° Quaestioni sic positae thesis respondet negative *cum theologis communiter,* ita ut dici possit *certa* [2]. Supponitur a *catechismo conc. trident.*, ubi docet « nostrum genus... restitui non potuisse hominum aut angelorum viribus : quare reliquum fuisse... ut Dei Filii infinita virtus, assumpta carnis nostrae imbecillitate, infinitam tolleret peccati vim et nos reconciliaret Deo in sanguine suo » (P. I, *art.* 2, n° 2). Proponitur explicite a concilio Coloniensi anni 1860.: « Si vero, integram exigens satisfactionem, justitiam non minus quam misericordiam manifestando, reparare volebat, nemo poterat satisfacere nisi qui Deus simul esset et homo » (P. I, cp. 18).

495. Probatur. — 1° **Patres** docent Christum *ideo* potuisse *solum* satisfacere Deo condigne, quia *solus* Deus et homo est. Imo ex dogmate redemptionis cum satisfactione condigna inferunt ejus divinitatem. Cf. Petavium : II. 14, n° 6 sqq.

2° **Ratione theologica,** quia nullus actus purae creaturae potest, *in ratione satisfactionis,* aequivalere gravitati offensae Dei personali : haec duo enim sunt *in ordinibus infinite distantibus,* hoc saltem sen-

(1) Cujus disquisitionis ea saltem est utilitas quod pensatur simul alia quaestio num *nos,* jam justificati, possimus per proprios actus satisfacere condigne Deo, quem olim offenderimus, seu utrum *nos,* gratia et meritis Christi jam aucti, plus an minus pro Deo possimus quam contra eum valuerimus. Imo non extranea est haec consideratio controversiae de praevalentia mali in mundo. (Cf. Grimal : *Jésus-Christ étudié et médité,* t. I, p. 308-321).

(2) Attamen contradicunt tum scotistae, tum alii pauci, inter quos Cajetanus (in III, q. 1, a. 2, ubi « ad alteram vero objectionem » dicitur in hanc sententiam propendere) et Vasquez (*in* III, *disp.* 2, *cp.* 3, *n.* 20 sqq), quatenus argumenta, quibus nititur sententia communis, valere negat.

su quod offensa Dei personalis transcendit, *in ratione specifica offensae*, omnem valorem finitum seu creatum.

Probatur, nam offensa est depressio cognita et volita personae, infra gradum ei jure competentem, ad alium gradum ea indignum. Jamvero depressionis mensura desumitur ex eminentia gradus competentis prae gradu ad quem fit depressio [1]. Gradum porro personae divinae competentem patet esse divinum ; gradus autem, ad quem, in omni peccato mortali, deprimitur, est ordo creatus, siquidem Deus a peccante — etsi sufficienter cognitus tanquam summum bonum — ita parvi penditur ut suo proprio creato bono postponatur. Depressio ergo, in qua consistit offensa Dei personalis, est ab ordine divino ad ordinem creatum et infra. *Ergo offensa Dei* est *in ordine infinito*, seu, ut ait S. Thomas, « quandam infinitatem habet ex infinitate divinae majestatis » [2]. — Actum vero satisfactorium purae creaturae patet esse *in ordine finito*. — Ergo haec duo sunt in ordinibus infinite distantibus.

496. *Aliter*. Ut satisfactio sit condigna, oportet personam satisfacientem esse aequalem personae offensae, aut saltem non adesse inter eas tantam distantiam, quae nulla operum excellentia morali exaequari nequeat. Atqui inter Deum offensum et creaturam satisfacientem tanta est disparitas, quae nulla possit operum excellentia exaequari. Ergo inter Deum et creaturam satisfactio non potest esse condigna.

(1) **Dices.** — 1° Haec depressio, cum sit inefficax, seu non laedat intrinsecam offensi excellentiam, non debet ita computari. — **At,** n. b. : A) Haec inefficacitas oritur ex offensi transcendentia, non ex defectu malae voluntatis in offendente, qui, sua appretiatione et electione, eum minori bono postponit. Jamvero, ut inefficacitas minueret offensam, deberet arguere, in offendente, minorem contemptum. — B) Etsi non laeditur objectiva seu intrinseca bonitas, tamen laeditur jus, quod habet et vult servari offensus, ut appretietur summe nec ulli creaturae postponatur. Ita diffamatione non laeditur valor intrinsecus diffamati, bene vero jus ut appretietur.

2° Quo magis transcendit offensus, eo minor est ac parvi penditur offensa. — **At,** *distingue :* eo minus detrimentum objectivum ei causat, *conc. :* et, propterea, transcendentia offensi facit offensam posse negligi vel absque satisfactione condonari ; eo minor est, in actu offensivo, indignitas, indecentia, contradictio rerum ordini, *nego*. — Jamvero hujus indignitatis et contradictionis ratio habenda est, ubi aestimanda est sive offensa, sive satisfactio, sive mutua utriusque proportio.

(2) III, q. 1, a. 2, ad 2[m]. Cf. *de verit.* q. 28, a. 2 : « Cum Deus in infinitum creaturam excedat, erit peccantis mortaliter contra Deum *infinita offensa ex parte ejus, cui per peccatum quodammodo injuria fit,* dum ipse Deus contemnitur, et ejus praeceptum ». Item I. II, q. 87, a. 4.

Major fundatur principio, ubique practice admisso, quod offensae gravitas commensuretur dignitati personae offensae prae offendente; et satisfactio pariter, cum sit obsequium compensativum, aestimetur ex dignitate personae obsequentis (Supra, n. 491).

Minor est evidens, quatenus asserit Dei offensi et creaturae satisfacientis disparitatem: patet enim creaturae depressionem, quantacumque sit, numquam posse exaequare depressionem quam persona divina passa est. — Quatenus autem asserit duarum illarum depressionum disparitatem non posse ulla operum excellentia exaequari, probatur ex triplici capite, nam: a) illa disparitas est infinita; operum vero creaturae excellentia manet semper finita; — b) creatura, quantumcumque Deo offerat, etiam ultra quod praeceptum est, tamen non praestat quidquam, quod, in ratione honoris et obsequii, sit Deo indebitum: non eo ipso proinde resarcit id quod, sub hac ratione, de debito subtractum est; — c) excellentia praesertim operum moralis, qua talis, cum sit alius rationis seu ordinis ac ipsa offensa et offensae satisfactio, non apta est exaequare earum disparitatem: actus v. gr. charitatis, quamvis perfectus, quia alius ordinis est ac ipsa irreligio, se ipso non est nec esse potest perfecta reparatio honoris laesi; ratio est quia, nisi agatur de rebus materialibus, quarum valor ex utilitate tantum repetatur, compensatio non fit per oblationem rerum, quae non sint ejusdem ordinis: antiquae et eximii alicujus sculptoris statuae surreptio aut confractio non compensatur per donationem novae statuae ex auro sculptae; diffamationis non est per pecuniae summam reparatio, nec amicitiae laesae per affectatam reverentiae demonstrationem [1].

(1) Male igitur **objiciatur**: Tanta est *bonitas moralis* actus, quo creatura se convertit ad Deum super omnia absolute amandum, quanta fuit *malitia moralis* in creatura se convertente ad bonum creatum prae Deo amandum. Atqui ea est adaequata mali moralis per bonum morale compensatio; ergo adaequata etiam satisfactio pro peccato. Conclusio enim transit a compensatione peccati, quatenus est simpliciter malum seu absentia boni ordinis moralis, ad compensationem peccati, quatenus est offensa Dei personalis. Jamvero, verum est actum creaturae se convertentis ad Deum ponere illud ipsum bonum ordinis moralis, cujus peccatum est absentia aut potius privatio; eo sensu dici potest illud abolere aut removere. Sed peccatum non est tantummodo absentia seu privatio hujusmodi; est etiam offensa Dei personalis, cujus ratio, ideoque etiam reparatio, est alius ordinis ac bonitatis moralis simplex defectus.

§ 5 DE UNIVERSALITATE SATISFACTIONIS CHRISTI

THESIS XXXVI — Christi satisfactio oblata et acceptata est non tantum pro peccato originali sed etiam pro peccatis actualibus, et quidem omnium omnino hominum.

497. Satisfactionem Christi, cum sit valoris de se infiniti, patet sufficere ad compensandas omnes omnino offensas Deo illatas, proindeque aptam esse, quae ad omnia omnium hominum peccata extendi valeat.

Jam igitur quaestio non est nisi de facto : utrum, ex intentione satisfacientis et ex acceptatione offensi, ordinata sit ad omnia peccata, an ad aliqua tantum et quidem aliquorum tantum hominum.

Quaestio tamen, ut patet, non est nisi de universalitate in actu primo seu quoad sufficientiam ; nam universalitas in actu secundo, seu quoad efficaciam, pendet a creaturarum praesertim liberarum cooperatione, quam notum est haud raro deficere.

498. I. Christum satisfecisse **pro peccatis etiam actualibus** est *de fide*, quatenus : 1° *Scriptura affirmatur*, nam Christus dicitur venisse ut « *salvum faciat populum suum a peccatis eorum* » (*Mt.* 1. 21) ; se obtulisse « *in redemptionem earum praevaricationum, quae erant sub priori testamento* » (*Hebr.* 9. 15) ; « *dedisse semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate* » (*Tit.* 2. 14), ita ut « *sanguis ejus emundet nos ab omni peccato* » (1 *Jo.* 1. 7) et, « *si quis peccaverit, advocatum habeat apud Patrem, Jesum Christum,* [qui] *est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi* » (*Ibid.* 2. 1-2). — 2° *Explicita est Ecclesiae doctrina,* ut constat, in specie, per Tridentinum, ubi declarat Christum esse a Deo propositum « propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris [*Rom.* 3. 25], non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi [1 *Jo.* 2. 2] (D-B 794 ; C. 874) ; eos autem qui « ab accepta justificationis gratia per peccatum exciderint, posse rursus justificari... merito Christi » (D-B 807 ; C. 887).

N. B. Satisfactionem tamen fuisse **principaliter pro peccato originali,** doctrina est communis et certa ; nam : A) hoc constat ex Scriptura et traditione, quae Christum exhibet imprimis ut novum Adam, qui peccatum a primo inductum ipse amoveat (*Rom.* 5. 15 sqq ; 1 *Cor.* 15. 21-22) ; B) hoc autem explicatur ex eo quod peccatum originale est majus extensive, quippe quod multo plures, imo totum genus humanum, inficiat (III, q. 1, a. 4).

499. II. Christum satisfecisse et Deum Christi satisfactionem acceptasse **pro omnibus omnino hominibus,** negatum est a Praedestinatianis, saeculo 9°, a Calvinistis, saeculo 16°, a Jansenistis, saeculo 17°. — Christum vero mortuum esse *non pro solis praedestinatis,* est *de fide ;* pro omnibus saltem *adultis,* est *fidei proximum ;* pro omnibus etiam *infantibus,* qui de facto non salvantur, est *certum.*

Hanc tamen partem theseos satis sit hic indicasse ; nam ex professo tractatur ubi agitur de voluntate Dei salvifica aut de distributione gratiae. Cf. *De Deo uno* vel *De gratia.*

ARTICULUS III

DE SACERDOTIO ET SACRIFICIO CHRISTI

Christum nos redemisse per modum sacrificii duo secum fert : 1° Eum esse sacerdotem. — 2° Eum, qua sacerdotem, obtulisse Deo sacrificium, cujus gratia a peccato liberaremur. Agendum igitur in hoc articulo tum de sacerdotio tum de sacrificio Christi. At, in paragrapho 1°, statuetur factum sacerdotii et sacrificii Christi ; in 2°, inquiretur de natura illius sacrificii et de modo quo contulerit ad redemptionem nostram.

§ 1 FACTUM SACERDOTII ET SACRIFICII CHRISTI

THESIS XXXVII Christus sacerdos est praestantissimus, qui nos redemit per modum sacrificii in morte sua perfecti.

I. De sacerdotio Christi (III. q. 22).

500. 1° **Notio sacerdotii.** Sacerdotis quaenam sint munera et officia commemorat *epistola ad Hebraeos,* initio *capit.* 5°. Sacerdos est mediator Dei et hominum, ideoque ex hominibus assumitur et non ex seipso sacerdotio ingeritur sed a Deo « vocari » debet aut ei saltem gratus et acceptus esse. Ejus est offerre Deo ea quae sunt populi, dona scilicet, orationes et praesertim sacrificia, et vicissim quae Dei sunt deferre ad homines.

Ea est notio sacerdotii, qualis invenitur de facto apud omnes gentes ubi, praeter cultum, qui dici posset individualis, exstitit cultus socialis : eo enim vel societatis duces ipsi funguntur vel ad illud rite fungendum certi homines deliguntur et deputantur. Attamen epistola ad

Hebraeos sacerdotium seu pontificium definit non abstractum aut in genere, sed *quale fuit apud Judaeos* et *pro hominibus peccato infectis*. Ex eo enim quod homines in statu peccati versantur est cur pontifex dicatur imprimis constitui ut offerat « sacrificia pro peccatis ».

501. 2° **Christum esse sacerdotem** adeo manifeste *de fide* est ut in concilio Ephesio et Tridentino (D-B 122 et 938) hoc assumatur per modum dogmatis extra controversiam positi. Nec ullus, re vera, hoc unquam negavit haereticus. *Epistola enim ad Hebraeos*, capp. 5° et 7° — 6ᵐ est digressio paraenetica — asserit et probat ex professo Christum esse vere sacerdotem et sacerdotem praestantissimum. — A) *Vere sacerdos :* nam, ut omnis sacerdos (5. v. 1-4), — a) non ipse sibi hoc munus assumpsit sed ab ipso Deo « *clarificatus est ut pontifex fieret* ». Pater enim ipse est, qui, sicut eum Filium suum vocavit, ita, in *ps.* 109, « *juravit : Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech* » (v. 5-6). — b) « *Condolere potest iis qui ignorant et errant* », nam, « *in diebus carnis suae... etsi est Filius,* [tamen] *didicit ex iis quae passus est obedientiam* » (v. 7-8), seu « *et ipse circumdatus est infirmitate* » (v. 2). — B) *Sacerdos praestantissimus,* nam sacerdotium ejus praestat sacerdotio aaronico, quia est secundum ordinem Melchisedech et in aeternum (v. 6 et 10).

502. Hanc autem praestantiam cp.7ᵐ probat : a) *Ex praecellentia Melchisedech* prae Abraham et leviticis sacerdotibus. Rex enim ille est et sacerdos (v. 1-2). Cum, *Genes.* 18, inducatur quin, ut fieri solet, de ejus genealogia aut de ejus antecedente vel consequenti vita quidquam referatur, apparet ut « *neque initium dierum, neque finem vitae habens* », sed in hoc « *assimilatus filio Dei* » et « *manens sacerdos in aeternum* » (v. 3). Narratur praeterea benedixisse Abraham et ab eo decimas accepisse, quo ejus praecellentia arguitur, nam « *quod minus est a meliore benedicitur* » et, decimato ab eo Abraham, decimatus invenitur Levi, qui « *adhuc in lumbis patris erat* » (v. 4-10). — b) *Ex* « *reprobatione* », *quae facta est sacerdotii aaronici* « *propter infirmitatem ejus et inutilitatem* », ut introduceretur « *alius sacerdos, qui non secundum legem mandati carnalis factus esset, sed secundum virtutem vitae insolubilis* ». Substitutio enim hujusmodi arguit imperfectionem prioris sacerdotii : « *nihil ad perfectum adduxit* » (ἐτελείωσεν). Si enim « *consummatio* » (τελείωσις) per sacerdotium leviticum fuisset, « *quid adhuc necessarium fuit, secundum ordinem Melchisedech, alium surgere sacerdotem et non secundum ordinem Aaron dici* » ? (11-19). — c) *Ex perpetuitate* « *in aeternum* » futura novi sacerdotis (v. 20-28), qui factus est cum jurejurando (20-22), qui « *sempiternum habet sacerdotium, eo quod maneat in aeternum* », ita ut « *seipsum*

semel offerendo salvare in perpetuum possit accedentes per semetipsum ad Deum » (23-28).

503. *Patres* et *scriptores ecclesiastici* idem uno ore docent : S. Clemens Rom. vocat Christum « pontificem oblationum nostrarum » (1 *Cor.* 36. 1). S. Polycarpus « sempiternum pontificem » (*Epist.* 12. 2). Origenes de eo dicit : « Fit ipse hostia et sacerdos ». « Ipse esse ostenditur et hostia et sacerdos et altare ». « Hostia est, quae pro peccato offertur, et sacerdos, qui offert hostiam » (*In Gen. hom.* 8. 6 ; *in lib. Jesu hom.* 9. 6 ; *in Levit. hom.* 5. 3 PG 12. 206 ; 868 C ; 450-451). S. Cyprianus : « Christus Jesus Dominus et Deus noster ipse est summus sacerdos Dei Patris et sacrificium Patri se ipsum obtulit » (*Epist.* 63. 14). S. Ambrosius : « Idem igitur sacerdos, idem et hostia, et sacerdotium tamen et sacrificium humanae condicionis est officium. Nam et agnus ad immolandum ductus est et sacerdos erat secundum ordinem Melchisedech » (*De fide* III. 11, 87). S. Augustinus : « Pro nobis Deo victor et victima, et ideo victor quia victima ; pro nobis Deo sacerdos et sacrificium, et ideo sacerdos quia sacrificium » (*Confess.* X. 43, 69).

504. 3° **Qua ratione sacerdos.** Sacerdos formaliter non est nisi *secundum naturam humanam*, nam sacerdotium arguit veram Deo subditionem. Attamen natura humana non habet in eo dignitatem sacerdotalem nisi quatenus subsistens in persona Verbi, ita ut existentia, dignitas, virtus et praestantia sacerdotii ejus derivetur ex *unione hypostatica*. Illa enim humanae Christi naturae est *per modum consecrationis sacerdotalis*, quae facta est proinde ipsa Incarnationis hora, in utero B. Mariae Virginis, tanquam in sanctuario ad id specialiter dedicato, et, quia est indissolubilis, illa etiam ratio est cur Christus sit sacerdos in aeternum.

Ex eo ergo etiam capite apparet *praestantia illius sacerdotis prae participibus suis omnibus* : a) Consecratio ejus non est quid accidentale sed omnino substantiale ; eadem ratione sacerdos est qua Christus est. — b) Consecratio ejus facta est independenter ab omni alio sacerdote : ipsum enim Verbum se hominem factum consecravit sacerdotem ipsa sui naturae humanae conjunctione. — c) Eo ipso quod se fecit sacerdotem praestantissimum, se etiam fecit victimam infiniti valoris, nam sicut sacerdotis ita etiam victimae dignitas repetitur tota ex dignitate personae, in qua subsistit. — d) Potest alios sacerdotes instituere, quorum dignitas et potestas defluat tota ex ipso, ita ut quidquam non habeant nec valeant nisi quatenus unum cum ipso sint : haec autem potestas sacerdotii in saecula saeculorum continuandi derivatur et ipsa ex unione hypostatica. Pleno proinde jure di-

citur Christus esse sacerdos eo ipso quod Filius Dei est, vel Filius Dei eo ipso factus esse sacerdos quod Christus factus est [1].

Sacerdos porro *in aeternum* dicitur tum *aeternitate relativa*, quatenus non habet in tempore successorem et usque ad finem temporis offert ipse per ministros humanos sacrificium suum incruentum, tum *aeternitate absoluta*, quatenus dignitas sacerdotii ei in aeternum manebit, effectus ejus sacrificii in aeternum erunt, aliquas sacerdotii functiones secundarias, qualia sunt adorare, gratias agere, in tota aeternitate adimplebit.

II. De sacrificio Christi.

In thesi duo asseruntur : 1° Christum, in passione sua, sacrificium obtulisse. 2° Illud sacrificium fuisse in morte Christi perfectum.

505. I°. **Christum in passione sua sacrificium obtulisse** *de fide* est [2], nec ab ullo christiano unquam negatum est. Contradixere *Sociniani*, quatenus passionem et mortem Christi voluere non fuisse nisi praeparatonem sacrificii, quod Christus obtulerit formaliter in caelo tantum, ubi *apparuit* et se obtulit vultui Dei pro nobis tanquam agnus qui pro nobis occisus est. At is eorum error demonstrat ipse quam sit ex Scriptura evidens Christi sacrificium. Et, re vera :

1° Isaias (53.7) futurum Messiam describebat jam tanquam « *agnum, qui ad occisionem ducitur* ».

2° Sanctus Paulus autem affirmat et late exponit indolem sacrificalem mortis Christi : — A) « *Pascha nostrum immolatus est* (ἐτύθη) *Christus* » (1 *Cor.* 5. 7). — B) « *Tradidit semetipsum pro nobis obla-*

(1) S. Cyrillus Hierosolymitanus (*Catech.* X. 4. 11. 14 ; XI. 1 PG 33. 664. 676. 680. 692), cum paucis antiquioribus, putat sacerdotis, sicut et Christi, nomen competere Filio Dei ab aeterno. Hoc autem cum ii omnes intellegant de munere, quod dicunt esse Filii, ut per eum Pater operetur ac dona sua conferat hominibus, non propterea censendi sunt tenuisse Filium esse, qua Deus, Patre minorem aut ei formaliter subditum (Cf. notas a D. Touttaeo, S. Cyrilli editore, locis indicatis appositas et praesertim *Dissertationem* ejus *cyrillianam tertiam* n. 20-24 apud PG 33. 188-192; cf. etiam Petav. *De incarnat.* l. XII, cp. 3). Modus tamen loquendi hujusmodi post controversias arianas in desuetudinem abiit nec jamdiu tolerari posset.

(2) Cf., praeter testimonia Patrum n° 503 recitata, in quibus dicitur idem fuisse sacerdos et hostia, anathematismum S. Cyrilli 10^{m} (D-B 122) tum Tridentini iteratam assertionem de sacrificio missae, quod sit incruenta repraesentatio sacrificii in cruce peracti (*Sess.* XXII, *cp.* 1 et *can.* 3-4).

tionem et hostiam Deo in odorem suavitatis » (*Eph.* 5. 2). — C) Mors ejus est sacrificium, quod transcendit veteris Testamenti sacrificia.

Ea est doctrina, quam exponit *Hebr.* 8-10 : a) Cum « *omnis pontifex ad offerendum munera et hostias constituatur* », et jam demonstratum sit (5-8) Christum esse Novae Legis sacerdotem, « *necesse est eum habere aliquid quod offerat* (8. 3), hostiam scilicet. — b) Jamvero, comparatione instituta cum Pontifice Vet. Testamenti, qui non ingrediebatur semel in anno in Sancta Sanctorum nisi post oblatum prius sacrificium [*Levit.* 16. 11 sqq] et non purificabat nisi aspergendo sanguinem [*Num.* 19. 3-4 ; *Levit.* 4. 5, etc] victimarum jam immolatarum, Christo proprius sanguis dicitur fuisse, loco sanguinis hircorum aut vitulorum, quo, *aeterna redemptione inventa,* introïvit semel pro semper in Sancta caelestia, et emundat conscientiam nostram ab operibus mortuis (9. 6-14). — c) Christus enim, « *semetipsum obtulit immaculatum Deo* » (9. 14), et haec ejus oblatio in hoc transcendit antiquas oblationes, quod, semel Deo facta ad multorum exhaurienda peccata, non indigeat per singulos annos iterari (9. 25-28). — d) Hujus enim hostiae, quod est corpus suum (10. 10 et 12), « *una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos* » (10. 14), ita ut, jam facta peccati remissione, non sit locus oblationi pro peccato (10. 18) et omnibus pateat introitus Sanctorum in sanguine Christi (10. 19).

Unde manifestum est Novi Testamenti Sacerdoti Christo corpus suum fuisse hostiam, cujus sanguinis virtute hominibus a peccato mundatis introitum aperuerit ad vera Sancta Sanctorum, quod caelum est. Mors ejus ergo fuit ad modum immolationis victimarum, quae, juxta Testamentum Vetus, in sacrificium offerebantur ut sanguinis earum virtute consecratio aut purificatio fieret, vel aditus ad Sancta Sanctorum summo Pontifici aperiretur.

506. II. **Sacrificium in cruce perfectum.** — 1° *Statuitur doctrina.* Doctrina etiam catholica est sacrificium Christi in ipsa sua morte perfectum esse, ita ut omnem suam vim ac virtutem jam tunc habuerit. Hoc enim significant : — A) Praemissae *Tridentini* assertiones Christi sacrificium peractum esse in cruce. — B) Affirmatio apud antiquos solennis liberationem a peccato per Christum fuisse in ligno. — C) Doctrina *epistolae ad Hebraeos* « *auctorem salutis nostrae consummatum esse per passionem* » (2. 10) *et, sic* « *consummatum, factum esse causam salutis aeternae* » (5. 9). Is enim eorum verborum sensus est missionem Christi salvificam in ejus morte consummatam et perfectam esse. Posito ergo Christum ad salutem nostram obtulisse sacrificium, exinde omnino sequitur illi sacrificio suam vim ac virtutem fuisse in morte integram et perfectam. — D) Assertio ejusdem

epistolae Christum « PER MORTEM *destruxisse eum qui habebat mortis imperium... et liberasse eos qui... obnoxii erant servituti* » (2. 14-15). Quod vividius affirmat *epistola ad Ephesios,* ubi ascribit « SANGUINI » Christi quod, « *soluta inimicitia* », ei qui erant longe facti sint prope (*Eph.* 2. 13), et addit Christum « *fecisse pacem et reconciliasse* ambos [populos: gentiles scilicet et judaeos] *in uno corpore Deo* PER CRUCEM », quatenus « INTERFECIT INIMICITIAS IN SEMETIPSO » (2. 14-16). Haec enim excludunt sacrificio Christi in cruce quidquam defuisse quo, in ratione sacrificii, perficeretur in ordine ad vim et efficaciam habendam.

507. 2° *Excluditur haeresis Socinianorum.* Hinc intellegitur cur ab haeresi Socinianorum abhorruerint non tantum catholici sed etiam protestantes, ii omnes scilicet qui non ferunt « *evacuari crucem Christi* » nec volunt « *gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi* ». Socinianis enim doctrina salutaris jam non est « verbum crucis », sed redemptio ascribitur tota exemplis Christi in terra ejusque in caelis pro nobis intercessioni. — Fundamentum vero erroris sui sibi videntur invenire in *epistola ad Hebraeos.* — a) Ex 5. 5-6 deducunt Christum non factum esse pontificem nisi in resurrectione, id est, in glorificatione sua. Nam, arguunt, Christus ibi dicitur factus esse a Deo pontifex quatenus ei a Patre dictum est : « *Filius meus es tu, ego hodie genui te* ». Jamvero, ex *Act.* 13. 33, constat eum hoc nomine non esse a Deo appellatum nisi in die suscitationis ejus a morte. Ergo sacerdos non fuit nisi hoc eodem die constitutus. — b) Ex *cap.* 9 deducunt pariter Christum non obtulisse sacrificium nisi post « *penetratum caelum* », ubi scilicet « *apparuit vultui Dei pro nobis* » et sanguinem suum ei coram obtulit. Eo tendere putant « *parabolam* » sacrificii expiationis, quale revocatur oblatum esse a Pontifice aaronico. Is enim « *offerebat sanguinem pro sua et populi ignorantia* », postquam ingressus erat Sancta Sanctorum ; jamvero Sociniani putant sacrificium fuisse formaliter ac tantum in illa sanguinis oblatione vel propitiatorii inunctione (*Levit.* 16. 11-16). Cum proinde haec dicantur esse « *exemplaria caelestium* » et verificata esse, quatenus Christus, « *non in manufacta Sancta,.. sed in ipsum caelum.. introivit per proprium sanguinem.. ut appareat nunc vultui Dei pro nobis* », exinde concludunt sacrificium ejus non esse formaliter nisi in illa, quae fit in caelis, sanguinis oblatione.

508. A) *Dissipatur fundamentum haereseos.* — a) De *Hebr.* 5. 5-6. Christus ibi non asseritur constitutus pontifex *quatenus* « Filii » appellationem suscepit. Sane, ut patet ex supra dictis, est sacerdos qua homo, quia est Filius Dei incarnatus ; sed non hoc ibi dicitur. Auctor epistolae, cujus hoc loco scopus est tantummodo affirmare

Christum non ex se ipso sed ex Deo vocante habere quod sit sacerdos, asserit tantummodo eum, a quo cum juramento constitutus sit sacerdos, esse eum ipsum, qui vocavit eum Filium. — Ceterum, etiam admisso duas illas voces et appellationes hoc loco asseri prolatas eodem die, tamen ex *Act.* 13. 33 non probatur Christum « Filii » appellationem suscepisse a Patre die tantum suscitationis suae a morte. Nam vox « *resuscitans* », qua nititur ea hujus versiculi interpretatio, male ponitur in Vulgata pro voce graeca « ἀναστήσας », cujus sensus ibi, ex collatis locis parallelis (*Act.* 3. 22 et 26 ; 7. 37), constat esse « *suscitans* », id est, mittens Jesum, quo adimpleretur « *repromissio ad patres nostros facta* » « SUSCITANDI *prophetam* ». De ejus a morte « *suscitatione* » non agitur nisi in versiculo 14, qui subsequitur.

b) *De* « *parabola* », quae dicitur, *sacrificii expiationis*. Comparatio instituta (*Hebr.* 9) inter Pontificem aaronicum et Christum versatur, *non circa sacrificium ipsum, ejus essentiam aut circumstantias rituales, sed circa fructum ejus aut effectum*, quatenus unum, quia non sanctificat in aeternum, singulis annis iterari debet, alterum autem, semel oblatum, non indiget repeti. Illegitime proinde assumitur ea quae de sacrificio expiationis dicuntur verificari omnia et singula materialiter et formaliter in sacrificio Christi [1]. Illegitime etiam assumitur sanguinis aspersionem aut inunctionem a sacerdote factam constituisse se ipsa sacrificium, vel fuisse quo sacrificium formaliter offerretur Deo. Nam ille ritus, etsi integrabat actionem sacerdotis sacrificalem et vim significativam habebat maximam, tamen significabat imprimis sacrificii oblati efficacitatem et applicationem, seu sacrificii fructus dispensationem [2].

(1) Quo v. gr. sensu dicas *ipsa caelestia Sancta* mundata esse sicut « *necesse erat exemplaria caelestium mundari* » (v. 23), vel sanguinis aspersionem a « *mediatore novi Testamenti* » factam esse, qualis commemoratur a Moyse facta ubi « primum testamentum dedicatum est » (v. 15-22) ?

(2) Cf. v. gr., in consecratione Aaron et filiorum ejus in sacerdotes, quomodo Moyses, immolato jam ariete, de sanguine ejus postea ponit eis « *super extremum auriculae dextrae... et super pollices manus eorum ac pedis dextri* » (*Exod.* 29. 20 et *Levit.* 8. 24) ; in purificatione pariter leprosi mundati, sacerdos leprosum aspergit sanguine passeris ad hoc immolati, immolatoque postea agno, de sanguine ejus « *ponit super extremum auriculae dextrae ejus qui mundatur, et super pollices manus ac pedis dextri* » (*Levit.* 14. 5-6 et 14) ; item altaris inunctio, quae fit cum sanguine vituli pro peccato oblati, dicitur explicite esse ad illud expiandum (*Levit.* 8. 15). — Cf. praeterea dictum S. Pauli : « *Sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulae aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis* (*Hebr.* 9. 13).

Hoc constat in specie de sacrificio oblato in die *Expiationis*. Nam ritus illius sacrificii, qualis describitur in *Levit.* 16 et commemoratur in *Hebr.* 9. 6 sqq., supponit sacrificium jam esse perfectum, ubi sanguis in Sancta defertur. Pontifex etenim, quando « *ultra velum intrat in Sancta* », supponitur esse jam suo sacrificio mundatus : debuit enim prius pro se et pro domo sua vitulum ad hoc immolare (v. 6 et 11) nec sane ingrederetur in Sancta, ad offerendum prius incensum, (v. 12-13), nisi censeretur jam expiatus ; sanguinem proinde vituli pro se immolati, quem postea in Sancta defert et aspergit (v. 14), non ideo defert et aspergit ut Deo tunc sacrificium pro peccato suo offerat. Idem vero dicendum est de sanguine hirci pro populi expiatione sacrificati, nam praescribitur ut de sanguine ejus fiat aspersio sicut praeceptum est de sanguine vituli (v. 15), et explicite additur (v. 16) aspersionem illam fieri ut « *expietur Sanctuarium ab immunditiis filiorum Israël et a praevaricationibus eorum cunctisque peccatis* ». Ritus proinde procedit quasi et sanctuarium et tabernaculum testimonii — nam et ipsum sanguine hirci dicitur aspergendum (v. 16), — per aspersionem sanguinis, purificetur et ipsum de immunditiis per annum ex consortio sacerdotum et populi contractis. Nihil ergo in eo est, quo significetur sacrificii sanguinem tunc tantum Deo offerri cum de eo fit aspersio aut inunctio [1].

509. B) *Confutatur directe haeresis.* Doctrina enim epistolae ad *Hebraeos* aperte excludit sacrificium Christi non esse formaliter oblatum nisi quatenus sanguinem suum ipse in « *Sancta caelestia* » jam ingressus Patri obtulerit. Ex ea enim epistola: a) Testamentum novum, cujus Christus mediator est, ut « *confirmetur* » et « *valeat, necesse est* » et sufficit « *mors intercedat* » (9. 16-17). — b) « *Repromissionem accipiunt, qui vocati sunt, æternae haereditatis* », eo ipso quod illius mediatoris « *mors intercedit* » (15). — c) Non aspersio, sed « *sanguinis effusio* » (αἱματεκχυσία) est, sine qua « *non fit remissio* » (v. 22). — d) « *Oblatio* (προσφορά) *corporis sui* », per quam « *sanctificati sumus* » (10.10), facta est « *semel in comummatione saeculorum* » (9. 26. 28 ; 10.14) : non ergo est ea quae fit quotidie et in aeternum in caelis. — e) Christus dicitur « *introisse in Sancta per proprium sanguinem* », id est, virtute et merito sui sanguinis, siquidem ingressus est *post* seu *consequenter ad* « aeternam redemptionem inventam » : αἰωνίαν λύτρωσιν εὑράμενος (9. 12) : ergo non ad faciendam oblatio-

(1) Uberiora de significatione propria sanguinis aspersione praebebit Thalhofer : ***Das Opfer des alten und des neuen Bundes,*** p. 53-64.

nem, qua perficeretur aut compleretur sacrificium redemptivum. Et, re vera, exaltatio, ex qua « *in aeternum consedit in dextera Dei* », dicitur explicite *consecuta* ad unicam illam hostiae pro peccatis oblationem, quam in terra obtulit: προσενέγκας θυσίαν... ἐκάθισεν (10.12). Mors igitur est, qua sacrificium ejus, sicut et alia omnia, « consummatum est », nec jam reliquum erat nisi ut fructus illius ipse consequeretur et ad nos defluere faceret.

510. 3° *De quadam catholicorum opinione.* — Exclusa haeresi Socinianorum, qui negant mortem crucis ullo modo pertinere ad sacrificium [1], jam aliquid de opinione nonnullorum catholicorum, qui tenent quidem Christum esse inde ab Incarnatione sacerdotem ac in subeunda morte sacrificium vere obtulisse, at putant eam non fuisse sacrificii nisi partem essentialem, ita ut *completum* non fuerit sacrificium nisi consequenter ad ejus resurrectionem et ad oblationem, quam sui facit in caelis continuam et aeternam. Putant enim eam ultimam oblationem esse de ratione essentiali sacrificii, imo in ea *praecipue* Christum fungi munere suo sacerdotali, ita ut sacrificium ejus non fuerit absolutum nisi in caelo post Ascensionem [2].

Ea porro opinio, quatenus conatur inculcare Christi munus, actionem et dispositionem sacerdotalem, non fuisse mere transitoriam — in passione scilicet et in morte — sed ab initio ejus existentiae conti-

(1) Excluditur etiam eo ipso error quorundam protestantium qui, etsi admittunt mortem pertinere ad sacrificium, tamen, quia putant sacerdotis in sacrificiis non fuisse nisi sanguinem Deo offerre vel aspergere, volunt Christum in morte subeunda non egisse sacerdotaliter sed laïce tantum, ad modum ejus qui, apud Judaeos, victimam ipse offerebat et mactabat. — De quibus cf. THALHOFER, *op. cit.* p. 170 et LAMIROY : *De essentia sacrif. missae,* p. 16, n. 2.

(2) Sic v. gr. THOMASSINUS asserit Christum « post resurrectionem suam *tum vel maxime* pontificis dignitatem atque provinciam vindicasse sibi... *Tum maxime* inauguratus est sacerdotio cum, positis exuviis mortalitatis, suae se reddidit aeternitati » (*De Incarn.* X, 11, n° 1 et 3). Unde, occasione alicujus expositionis in *ps.* 4, 9 [PL 79. 587], quam putabat esse S. Gregorii Magni — cf. *art.* a D. MERCATI in *Rev. bénédict.* 1914, p. 250-256 — et in qua dicitur Christus « sui corporis hostiam obtulisse in ara crucis », idem paraphrastice haec inserit : « Quia pontifex Christus est futurorum bonorum, etsi occisus hic est in sacrificium, *non ut hic tamen perficeretur totum ejus sacrificium* » (*Ibid.* 12, n° 2). — Eadem doctrina apud LEPIN : *L'idée du sacrifice dans la relig. chrét.* p. 39-40 ; 78-80 ; 148-168. Item apud GRIVET ; *La messe de la terre et du ciel.* Contra quem scriptum est in *Rev. cl. fr.* mai 1918, p. 179-191 et cf. juin 1918, p. 459 sqq.

nuam et in aeternum perseverantem [1], non tantum pia sed etiam certissima est. Christus enim, ab initio existentiae suae, se sacerdotaliter obtulit Deo in sacificium morte consummandum, nec unquam in caelo desinet Deo se sistere ut hostiam adorationis et propitiationis ab initio illi dicatam et in cruce immolatam.

511. Quatenus autem oblationem post Ascensionem requirit, ut qua sacrificium Christi compleatur et absolvatur, destitui videtur omni fundamento in Scriptura et traditione. Etiam si admitteretur notio theoretica sacrificii qua nititur — immolationem scilicet victimae non esse de ratione formali sacrificii, quod constituatur proprie et formaliter rei donatione et oblatione [2] : de quo infra, — tamen videretur abjicienda. Contradicit enim aperte eis quae dicta sunt constare de sacrificio Christi in morte consummato ; nec, re vera, videtur qui dici possit Christum *oblationem sui sacrificalem* non peregisse perfectam nisi post consummatam sui immolationem, cum toties antea ipse se devoverit Deo in hostiam et sacrificium :

Vix « *ingrediens mundum dicit : Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi... Tunc dixi : Ecce venio* » (*Hebr.* 10. 5-7) : quo se

(1) Quae potissimum fuit intentio DD. de Condren et Olier, a quibus imprimis illa opinio commendationem habet. Pios enim illos viros delectabat considerare Christum in statu victimae, sicut et in dignitate sacerdotis, ab initio Incarnationis constitutum et in aeternum perseverantem. In eo scilicet contemplabantur adimpletos mystice ritus omnes, qui in sacrificiis Judaeorum observabantur : victimae dedicationem et quasi consecrationem intuebantur in *Incarnatione* peractam ; adductionem sacerdoti, in *Praesentatione* Christi ad templum ; immolationem, in mortis per crucem *perpessione* ; consumptionem, quae per ignem fiebat, in *Resurrectione,* qua Christi humanitatis passibilitas divinitate consumpta est ; sanguinis oblationem sacerdotalem, in oblatione, quam, die *Ascensionis,* Christus ipse fecit in caelis corporis et sanguinis sui olim immolati ; communionem tandem, in unione cum Christo *eucharistica.*

(2) Eorum, re vera, qui oblationem volunt esse formam essentialem sacrificii, multi negant eam non esse peractam nisi post resurrectionem, et eam agnoscunt in ipsa mortis susceptione voluntaria. Sic. v. gr. Scheeben : *Dogmatik,* t. III, p. 440 et cf. 436 ; Schanz : *Die Lehre von den heil. Sakramenten,* p. 470 ; de la Taille a fortiori, qui vult Christum oblationem proprie sacrificalem suae mortis in cruce perferendae non fecisse nisi in ipsa coena, quando symbolicam ipse sui peregit immolationem (*Myst. fidei., elucid.* 3-9) : quod non paucis tamen visum est sat arbitrarie et nimis systematice dictum. — Cf. quae contra scripsere v. gr. *L'ami du clergé,* 1 février 1923, p. 70-71 ; Barrois O. P. : Le *sacrifice du Christ au Calvaire,* apud *Rev. des sc. phil. et théol.* avril 1925, p. 145-166 ; Grégoire O. S. B. apud *Ephemerides theologicae lovan.* II (1925), p. 403-406 ; praesertim Mac Nabb O. P. apud *Blackfriars* 1923, p. 1086-1100 (Cf. *Rev. thomiste* mai-juin 1925, p. [286].

jam in hostiam consecrasse manifestum est; discipulis aperte significavit se venisse ut « *daret animam suam redemptionem pro multis* » (*Mt.* 20. 28) et addidit se « *animam ponere a seipso... [juxta] mandatum a Patre acceptum* » (Jo. 10. 17-19); quod opere explevit ubi, in oratione sua sacerdotali, Patri dixit : « *Pro eis ego sanctifico* — [id est, sacrifico] — *meipsum* », (*Jo.* 17. 19); in horto, quaerentibus se ipse tradidit ut calicem biberet quem dedit ei Pater (*Jo.* 18. 4-11); in cruce, « *Patri in manus commendavit spiritum* » (*Lc.* 23. 46) et, exclamato « *Consummatum est* », emisit spiritum [1]. Eo igitur ipso quod voluntarie, cum posset impedire, se permittebat occidi, Christus se Deo tanquam victimam offerebat atque, ut talem, se videbat acceptatum [2].

512. QUAERES utrum ullo vero sensu dici possit Christum **in caelo se Deo in sacrificium offere ?**

Ea est quaestio a praecedenti diversa. Thalhofer [3] et alii, etsi negant sacrificium crucis ullo modo post resurrectionem compleri, tamen putant Christi etiam nunc in caelo esse sacrificium. Rationes dant : a) Pontifex noster dicitur « *consedisse...* in caelis, *sanctorum minister* (λειτουργός) *et tabernaculi veri* », ita ut « *melius sortitus sit ministerium* (λειτουργίας)

(1) Omitti proinde potest interim id quo quam maxime nitiur illa opinio, immolationem scilicet victimae non fuisse actionem proprie sacerdotalem. Notetur tantummodo illud, etiam si forte valeat de sacrificiis in genere, saltem non valere de sacrificio magnae Expiationis, cui in specie in *epist. ad Hebr.* comparatur sacrificium Christi. Eo enim die, quia sacrificium offerebat primum nomine sui, postea nomine populi, sacerdos victimam ipse immolare praecipitur (*Lev.* 16. 11 et 15). Christus autem, in die passionis suae, offerebat et ipse nomine populi ; ratio proinde specialis erat cur se tanquam sacerdos ipse immolaret. — Cf. LAMIROY, *op. cit.*, p. 148.

(2) « Quia anima Christi non repulit a proprio corpore nocumentum illatum, sed voluit quod natura corporalis illi nocumento succumberet, dicitur suam animam posuisse vel voluntarie mortuus esse » (q. 47, a, 1).

« Occisio Christi, per comparationem ad voluntatem patientis, qui voluntarie se obtulit passioni,... habet rationem hostiae » (q. 22, a. 2, ad 2[m]). « Passio Christi fuit sacrificii oblatio, in quantum Christus propria voluntate mortem sustinuit » (q. 47, a. 4, ad 2[m]). « Passio Christi, ex parte occidentium ipsum, fuit maleficium ; sed, ex parte ipsius ex charitate patientis, fuit sacrificium. Unde hoc sacrificium ipse Christus obtulisse dicitur » (q. 48, a. 3, ad 3[m]). Christus hostia simul fuit ac sacerdos, nam, etsi « non se occidit », tamen « seipsum voluntarie morti exposuit, secundum illud [Is. 53. 7] : *Oblatus est, quia ipse voluit ;* et ideo dicitur seipsum obtulisse » (q. 22, a.2, ad 1[m].

(3) *Das Opfer des Alten und des Neuen Bundes*, p. 200 sqq ; *Handbuch der kathol. Liturgik*, p. 195 sqq.

quam terrenus olim pontifex (*Hebr.* 8. 1-2 et 6) : quod, aiunt, supponit eum offerre sacrificium, nam (*ibid.* 3) dicitur : « *omnis pontifex ad offerendum munera et hostias constituitur, unde necesse est et hunc habere aliquid quod offerat* ». — b) Christus, de facto, etiam nunc « *apparet vultui Dei... interpellans pro nobis* » (9. 24 et 7. 25) et, cum se Deo offerat ut agnum occisum, jure dici potest offerre sacrificium : cicatrices enim, quas in glorioso suo corpore servat, haberi possint ut illius sacrificii elementum sensibile et affectus interni signum.

Respondeo — : A) *De modo loquendi.* Cum Christus nunc se sistat et « appareat vultui Dei » qualis est, sacerdos scilicet constitutus in aeternum et victima olim in cruce immolata, cujus in glorioso corpore vestigia sacrificii olim oblati remanent, non est cur non dicatur sacrificium ejus, sicut et sacerdotium, in caelo aliquo sensu perseverare. Imo actus adorationis, gratiarum actionis, interpellationis, etc, pro nobis eliciti, sunt actus ejus vere sacerdotales, quibus impetrat sacrificii sui fructus nobis applicari[1] : sacerdotis enim est non tantum sacrificium offerre sed etiam pro hominibus adorare, rogare ; nec sane Christo sacerdoti deest in caelo donum quod offerat eximium, seipsum scilicet agnum olim occisum. Is sensus est quo S. Thomas explicat sacerdotium Christi permanere in aeternum : « In officio sacerdotis « duo possunt considerari : primo quidem ipsa oblatio sacrificii ; secundo « ipsa sacrificii consummatio, quae quidem *consistit in hoc quod illi, pro « quibus sacrificium offertur, finem sacrificii consequuntur.* Finis autem « sacrificii quod Christus obtulit non fuerunt bona temporalia, sed aeterna, « quae per ejus mortem adipiscimur. Unde dicitur [*Hebr.* 9. 11] quod « Christus est assistens Pontifex futurorum bonorum, ratione cujus Christi « sacerdotium dicitur esse aeternum... Unde dicitur [*Apoc.* 21. 23] quod « claritas Dei illuminat illam, scilicet, civitatem sanctorum, et lucerna ejus « est agnus ; sancti [enim] in patria, [etsi] non indigebunt ulterius expiari « per sacerdotium Christi, [tamen] expiati jam indigebunt consummari per « ipsum Christum, a quo gloria eorum dependet... Licet [ergo] passio et

(1) De Christi interpellatione haec habet S. Thomas : « Dicitur interpellare pro nobis dupliciter : Uno modo pro nobis orando, secundum illud *Jo.* 17. 20 : *Non pro his rogo tantum sed pro his qui credituri sunt...* Nunc autem ejus interpellatio pro nobis est voluntas ipsius de nostra salute (*Jo.* 17. 24 : *Volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum*). Alio modo interpellat pro nobis, humanitatem pro nobis assumptam et mysteria in ea celebrata conspectui paterno repraesentando » (*In Rom.* 8. 34). « Excellentiam pietatis ostendit, quia, licet sit ita potens, ita altus, tamen cum hoc est pius, quia interpellat pro nobis... Interpellat autem pro nobis, primo humanitatem suam, quam pro nobis assumpsit, repraesentando ; item sanctissimae suae animae desiderium, quod de salute nostra habuit, exhibendo » (*In Hebr.* 7. 25).

« mors Christi non sint iteranda, tamen *virtus illius hostiae semel oblatae* « permanet in aeternum, quia, ut dicitur [Hebr. 10. 14], una oblatione con- « summavit in aeternum sanctificatos » (III. q. 22, a. 5 c et ad 1^m et 2^m).

513. B) *De re ipsa.* Cum « sacrificium offerre » sit actionem sacrificalem ponere, non videtur posse dici Christum nunc in caelo sacrificium vere seu formaliter offerre. Haec enim ejus actio sacrificalis vel esset ejus sacerdotii actus primus, ita ut sacrificii nunc oblati mors in cruce non fuerit nisi praeparatio — quae haeresis est Socinianorum — vel esset relativa quidem ad sacrificalem actionem olim in cruce perfectam sed ab ea tamen realiter distincta : quae est catholicorum illorum opinio. Actualis haec actio sacrificalis Christi se haberet ergo ad sacrificium crucis eodem modo quo ad illud se habet actio sacrificalis eucharistica. Jamvero actio sacrificalis hujusmodi, quam Christus in caelo, non per ministrum humanum, sed ipse per se iterum poneret, est quid inter catholicos inauditum, imo, ut videtur, intolerabile. Ex hoc enim sequeretur Christum, sicut in sacrificio eucharistico immolatur a sacerdote, ita se ipsum in caelo actu immolare, quod in Scriptura aut apud Patres non legitur[1].

Quae proinde, in Epistola ad Hebraeos, locis citatis, leguntur de pontificis nostri in caelis sedentis ministerio, intellegi debent, cum S. Thoma, *loc. cit.*, de sacrificii non « oblatione » sed « consummatione », quatenus Christus « ad dexteram majestatis sedens » interpellat ut virtus et meritum sacrificii olim oblati nobis applicetur et nos, *habentes* pontificem, qui per proprium sanguinem penetravit caelos, adeamus cum fiducia thronum gratiae, misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno (*Hebr.* 4 14-16 ; 9 11-12).

514. Scholion. **De sacrificio Christi per resurrectionem consummato:** quo sensu resurrectio possit intellegi conferre ad justificationem nostram, ut videntur non tantum intellexisse scriptores ecclesiastici[1] sed etiam innuisse S. Paulus, ubi dicit Christum non solum mortuum esse sed etiam resurrexisse pro nobis (2 *Cor.* 5. 15).

(1) Contra Thalhofer, cf. Pesch, n° 549-550 ; Schanz : *Die Lehre von den heil. Sakram.*, p. 471 ; Scheeben : *Dogmatik*, t. III, p. 445-446. — Sensu alio, exclusa scilicet omni actione proprie sacrificali, De la Taille, in suo *Myst. fidei*, loquitur et ipse saepe de sacrificio caelesti (Cf. etiam apud RSR. 1923, p. 227-236). Sacrificium intellegit non activum sed mere passivum, victimam scilicet sacrificii in cruce oblati, quae cum maneat apud Deum semper grata et acceptata, possit aut debeat « sacrificium » vocari. At ea est verborum translatio aequivoca, contra quam jure scripsit d'Alès apud RSR. 1922, p. 366-367 et 1923, p. 240-243.

(2) Textus aliquot collegit Thomassimus : *De Incarn.* X. 11-14, et iterum de la Taille : *op. cit. elucid.* 12, *m.* 2.

Respondeo: A) Hoc non potest intellegi: a) eo sensu quod Christus constitutus sit, aut authentice declaratus, sacerdos in die resurrectionis: saltem, ut jam dictum est (n° 508), hoc male infertur ex *Hebr.* 5. 5-6 coll. cum *Act.* 13. 33; — b) neque hoc sensu quod sacrificium non fuerit qua tale in morte completum et absolutum, aut aliquid valoris seu meriti accesserit illi ex resurrectione: hoc enim contradicat, ut probatum est, epistolae ad Hebraeos; et praeterea, resurrectio est opus solius virtutis divinae, ex quo proinde non potest esse ullum meritum aut satisfactio.

B) Intellegi potest hoc sensu quod opus redemptivum, per sacrificium seu mortem Christi vere consummatum in actu 1°, per resurrectionem ejus jam manifestatur valere apud Deum seu efficax esse. Jam enim effectum habet in ipso Christo, qui jam consequitur «salutem» qualem sibi mereri potuit, impassibilitatem scilicet et gloriam corporis, atque ea quae pertinent ad externam ejus excellentiam. (III, q. 19, a. 3). Tunc enim, quia «obediens factus est usque ad mortem», a Deo exaltatus est, factus est «primogenitus ex mortuis» (*Col.* 1. 18 et 1 *Cor.* 15. 20), constitutus est Filius Dei *in virtute* (*Rom.* 1. 4) et «factus est... in spiritum vivificantem» (1 *Cor,* 15. 45), ita ut influxum suum vivificantem jam plene exserat in actu 2° seu in singulos[1]. Haec porro capitis sui resurrectio, exaltatio, constitutio in statu «virtutis» et «vivificationis», generi humano non tantum est fundamentum ultimum fidei, qua accedat ad justitiam, et causa exemplaris futurae suae resurrectionis atque glorificationis, sed etiam: a) inchoata jam liberatio a servitute peccati et mortis: jam enim in resurgente Christo homines regrediuntur a morte ad vitam et, «*destructo eo qui habebat mortis impérium*», jam non sunt «*timore mortis obnoxii servituti*» (*Hebr.* 2. 14); — b) causa vera cur vitam suscipiat a Christo derivatam. Regeneratio enim non est nisi quatenus spiritualem vitam Christus homini influit; eam porro non influit nisi quatenus, per resurrectionem «*factus* est... *in spiritum vivificantem*»[2].

(1) Cf. Prat. I[6], p. 253 et 204-206. — (2) Propterea, apud antiquos, baptismus dicebatur vim et efficaciam habere quatenus signum est mortis simul et resurrectionis Christi: Illius «potentia, aiebat S. Leo Magnus, novam creaturam condit... in morte crucifixi et in resurrectione mortui, [ita] ut in renascentibus et mors Christi operetur et vita» (*Epist.* 16. 3 PL 54. 698 B). Hinc intellegitur, quod additur ibidem, «Christum voluisse regenerationis gratiam ex sua resurrectione coepisse» (699 A). Antea enim, ut jam arguebat Tertullianus, «dari non poterat, [utpote] nondum adimpleta gloria Domini, nec instructa efficacia lavacri per passionem et resurrectionem, quia nec mors nostra dissolvi posset nisi Domini passione, nec vita restitui sine resurrectione ipsius» (*De baptismo,* 11 PL 1.1212 C).

§ 2 DE ESSENTIA ET DE VIRTUTE REDEMPTIVA SACRIFICII CHRISTI

Statuto per documenta fidei facto sacrificii Christi, quod fuerit in cruce perfectum, inquirendum venit in quo proprie fuerit hoc sacrificium et quo modo contulerit ad redemptionem.

THESIS XXXVIII – Christus ideo dicitur nos redemisse per modum sacrificii quia ipse se in cruce immolavit, et mors ejus, ex obedientia et amore suscepta, obsequium Deo fuit acceptissimum atque satisfactio pro peccatis condignissima.

PARS I. asserit sacrificium Christi in **hoc proprie ac praecise fuisse** quod **se in cruce immolavit,** id est, se voluntarie tradidit morti in cruce subeundae. Immolationem igitur habet ut sacrificii illius constitutivum formale ac specificum.

Sacrificii enim distingui debet elementum genericum et specificum.

515. 1° **Elementum genericum** est *actus externus, quo res sensibilis, ex intentione quadam religiosa, Deo offertur.*

A) *Actus externus,* nam sacrificium pertinet ad cultum Dei externum nec sacrificium dicitur invisibile, spirituale et internum nisi per metaphoram.

Nec obstat quod S. Augustinus definit « verum sacrificium esse omne opus, quod agitur ut sancta societate adhaereamus Deo » (*Civit. Dei* 10. 6 PL 41. 283). Sacrificium enim ita definitum non dicitur « verum sacrificium » nisi eo sensu quo, *ps.* 50, « *spiritus contribulatus* » dicitur « *sacrificium Deo* », per oppositionem ad « *holocausta* » et « *sacrificia* », quibus non delectatur Deus. Et, re vera, Deo, qui vult « in spiritu et veritate » coli, planum est non posse placere proindeque non esse vere sacrificium nisi quod procedat ex intentione ei adhaerendi : quod ipsum Deus siginificavit quoties Judaeorum dixit sibi non placere holocautomata. Pleno proinde jure S. Augustinus actus cultus interni dixit esse verum sacrificium, et S. Thomas vestigiis ejus insistens declarat « interius sacrificium, quo primum bonum hominis, quod est bonum animae, offertur Deo per devotionem et orationem et alios hujusmodi interiores actus », esse « principale sacrificium » (II. II, q. 85, a. 3, ad 2^{m} et cf. a. 4).

Attamen appellatio hujusmodi non adhibetur nisi per translationem vocis « sacrificium » ad sensum figuratum, quo « omne illud, quod Deo

exhibetur ad hoc quod spiritus hominis feratur in Deum, potest dici sacrificium » (III, q. 22, a. 2 c). Quod fatetur S. Augustinus, ubi praemissae sacrificii definitioni haec praemittit : « Illud quod ab omnibus appellatur sacrificium signum est veri sacrificii » (*Ibid.* 5 ; 283), seu, ut paulo supra scripserat : « Sacrificium visibile invisibilis sacrificii sacramentum, id est, sacrum signum, est » (*Ibid.* 282). S. Thomas pariter, in ipso articulo (II. II, q. 85, a. 3), in quo dicit sacrificium internum esse « principale », aperte significat se hoc loco non intellegere sacrificium proprie dictum quale definit in responsione ad 3[m] ; loquitur enim ibi (ad 2[m]) de « *quodam* » sacrificio, seu de sacrificio intellecto eo sensu lato, quo, in corpore ejusdem articuli, dicit actus omnium virtutum [1], si fiant propter reverentiam divinam, posse dici sacrificia. Manet ergo *sacrificium proprie dictum intellegi externum, seu esse in genere signorum.*

B) *Quod res sensibilis, ex intentione quadam religiosa, Deo offeratur :* hoc enim secum fert vox latina, — quae etymologice et ex usu significat *sacrum facere* [2], — et ita intellexere gentes omnes, ubi sacrificia offerebant. Hinc est sacrificii *significatio* quae dicitur *moralis* et *generica*, ex qua externa actio habet laudem et ad virtutem religionis pertinet [3]. Hoc etiam est quod sibi vult vox S. Augustini saepe laudata : « Sacrificium visibile invisibilis sacrificii sacramentum, id est, sacrum signum, est ». Haec autem oblatio, cum sit de ipsa ratione sacrificii, etsi aliquando fit verbis explicitis, includitur tamen ipsa actione sacrificali nec proinde de se requirit ritum specialem quo manifestetur [4].

516. 2° **Elementum specificum,** utrum et quid sit praeter oblationem rei sensibilis Deo factam, aliquatenus controvertitur.

A) *Status quaestionis :* Admittunt quidem communiter theologi

(1) Et quidem exteriores, ut clarius enunciat in a. 4.

(2) Cf. lexicographos et S. Augustinum : *De civit. Dei.* X. 6 (PL 41. 283).

(3) II. II, q. 85, a. 3. — (4) Quaeras utrum de ratione sacrificii sit quod *auctoritate publica,* id est, *a sacerdote ad hoc constituto,* offeratur ? — Respondendum videtur *negative,* si res a priori judicetur, praecisione facta ab omni legislatione positiva. Nec, re vera, tum apud gentes, tum apud Judaeos, exempla desunt sacrificiorum a privatis oblatorum (I. II, q. 103, a. 1 c et ad 1[m] atque 2[m] ; II. II, q. 85, a. 1 et 4. Cf. Vasquez : *De Eucharist. disp.* 120, n° 19, contra Suarez : *De Eucharist. disp.* 73, s. 4 ; Lugo : *De Eucharist. disp.* 19, s. 1, n° 10-16 : Lesètre : *art. Sacrifice,* apud Vigouroux : *Dict. de la Bible*). — *A posteriori* tamen, seu data revelatione positiva de cultu Deo exhibendo, qualis est in lege mosaïca, respondetur *affirmative,* et ea est conditio rerum, in qua, apud *Hebr.* 5, doctrina exponitur de pontificum institutione et muneribus.

sacrificii specificum esse quod circa rem Deo oblatam aliquid fiat : « Sacrificia proprie dicuntur, ait S. Thomas, quando circa res oblatas aliquid fit, sicut quod animalia occidebantur et comburebantur, quod panis frangitur et comeditur et benedicitur. Et hoc ipsum nomen sonat, nam sacrificium dicitur ex hoc quod homo facit aliquid sacrum. Oblatio autem directe dicitur, cum Deo aliquid offertur, etiamsi nihil circa ipsum fiat, sicut dicuntur offerri denarii, vel panes in altari, circa quos nihil fit. Unde omne sacrificium est oblatio, sed non convertitur » (II. II, q. 85, a. 3, ad 3[m]). Admittunt etiam communiter theologi id quod fit circa rem oblatam esse actionem, qua illa res aliquatenus immutetur. At in quo proprie sit illa immutatio disceptatur.

a) *Opinio communior*[1] est illam immutationem esse rei oblatae aliquo modo *destructivam et consumptivam*. Hoc enim apparet in sacrificiis, quae sunt libationes diis factae, incensi vel aromatum combustiones, animalium immolationes cum sanguinis effusione et carnium crematione[2].

b) *Alia opinio,* qua, post Suarez[3], nonnulli recentiores[4] delectantur, actionem immutativam in sacrificio ita intellegit ut putet rei oblatae destructionem, proindeque hostiae immolationem, non esse proprie de ratione formali sacrificii. Non in omni sacrificio, aiunt, res oblata destruitur, et, in eis sacrificiis ubi destruitur vel consumitur, per eam ejus destructionem vel immolationem manifestatur tantum vivide id quod est in omni sacrificio formale et proprie constitutivum, oblatio seu consecratio Deo facta. Actio proinde circa rem oblatam, quam S. Thomas dicit fieri in sacrificiis proprie dictis, intellegitur esse rei oblatae non destructiva sed *immutativa in melius ;* per eam res oblata, quin consumatur, novum aliquatenus esse accipit, quatenus, eo ipso quod Deo offertur, usui profano subtrahitur et in cultum Dei transfertur : fit *sacra*. Sacrificium consequenter dicitur *constitui formaliter illa actione, qua aliquid Deo offertur et dicatur ut jam sit sacrum et ad Dei cultum ordinatum*. Hinc

(1) Cf. Lamiroy : *De essentia SS. missae sacrificii*, p. 79 ; 92 sqq. ; 107 sqq. ; 147 sqq.

(2) Ex hac ergo sententia, etsi esse possunt sacrificia proprie dicta quin adsit immolatio, ubi scilicet res oblata non est vivens, tamen in sacrificiis animantium, immolatio victimae est sacrificii constitutivum formale et specificum.

(3) *De Eucharistia, disp.* 73, s. 5.

(4) Scheeben, v. gr. : *Dogmatik*, p. 400 ; Schanz : *Die Lehre der heil. Sakramenten*, p. 478 ; Lepin : *L'idée du sacrifice dans la religion chrétienne*, p. 64-65, et in tote opere ; J. Bruneau : *The sacrifice of Christ* in *New-York Review*, janv. 1906.

sacrificium Christi concipitur fuisse non in hoc praecise quod se morti tradidit et immolavit sed in hoc quod se Deo usque in morte colendo dedicavit.

517. B) *Improbatur secunda opinio*,[1] quia: — a) Aperte contradicit eis quae S. Thomas habet, ubi ipse aperit cujusmodi actionem intellegat in sacrificio fieri circa rem oblatam. Ibi enim confirmat sacrificium per se addere oblationi seu dedicationi ad Dei cultum rationem consumptionis, ita ut, prout ea ratio adfuerit vel non, oblatio sit vel non sacrificium: « Sicut dictum est [q. 85, a. 3, ad 3^{m}], nomen oblationis commune est ad omnes res quæ in cultum Dei exhibentur, ita quod, si aliquid exhibeatur in cultum divinum, quasi in aliquod sacrum quod inde fieri debeat, *consumendum*, et oblatio est et sacrificium... Si vero sic exhibeatur ut *integrum* maneat divino cultui deputandum, vel in usus ministrorum expendendum, erit oblatio et non sacrificium » (II, II, q. 86, a. 1).

b) *Contradicit notioni sacrificii, qualem constat ubique viguisse.* Sacrificia enim apud omnes gentes constat inclusisse rei oblatae aliqualem destructionem aut consumptionem [2]. Jamvero admitti nequit id, quo sacrificia ab aliis religiosis actibus vel oblationibus distinguebantur, non fuisse in eis nisi quid accidentale, sine quo sacrificium vere et formaliter adesse posset. Sacrificium sane concipi potest et dici aliud: consecratio v. gr., qua, in ordinatione sacerdotali vel in professione religiosa, homo in Dei cultum offertur et ordinatur, dici potest et non raro dicitur sacrificium. At sacrificium hoc non esse quale intellegi solebat tempore Christi vel S. Pauli nemo, ut puto, negabit: consecratio pariter calicis vel altaris, cum rem Deo dicatam mutet in melius, ita ut jam fiat usibus humanis inepta sed in Dei cultum exclusive translata et vere sacra, dici potest sacrificium quale definitur in illa opinione; nemo tamen adhuc dixit hujusmodi consecrationem esse sacrificium proprie dictum.

(1) De qua cf. plura apud Lamiroy: *op. cit.* p. 111-121 et 146 sqq.

(2) Cf. Lagrange: *Etudes sur les religions sémitiques*, cp. 7; in specie, p. 266 sqq. Contradicit Schmidt S. V. D. quoad paucissimas archaïcae culturae gentes: *Notions générales sur le sacrifice dans les cycles culturels*, apud *Semaine d'ethnologie relig. à Tilbourg*, 1923, *compte-rendu analyt*,. p. 235-236. Sed controversiam reducit potius ad notionem sacrificii rationalem. Non diffitetur (p. 230) pro Judaeis: quod nobis satis est, nam sacrificium Christi, quale sit intellegendum, non est determinandum *a priori*, ex notione quam quis sibi effingat virtutis religionis, sed *a posteriori*, id est, ex usu aetatis ac populi, apud quem de Christi sacrificio sermo incepit haberi. Hoc enim sacrificium non innotescit nisi per Scripturam Sacram.

c) *Niti tandem videtur confusione inter sacrificii constitutionem et significationem formalem.* Ponit enim ideo posse praescindi ab omni rei destructione, quia oblatio per seipsam adimplet significationem sacrificii adaequatam. Jamvero — transmissa interim quaestione de illa significatione adaequata — planum est aliud esse determinare in quo proprie consistat actus religiosus, qui vocatur sacrificium, aliud determinare quaenam sit illius actus significatio propria et adaequata ; sic, ubi agitur de sacramento, aliud est assignari materiam et formam qua constituatur, aliud determinari quaenam sit sacramenti ita constituti significatio et efficacitas propria. Porro haec duo, ubi agitur de notione propria sacrificii haud raro confundi videntur ; imo non desunt auctores, qui illius significationem adeo praejudicatam habeant ut ex ea quaestionem de illius constitutione dirimant. Attamen illogicus est hujusmodi processus, nam per quid sacrificium ab aliis actibus religiosis distinguatur seu specifice constituatur, dato omnium populorum usu et consensu, multo facilius et clarius elucet quam quae sit illius significatio propria et formalis : de hac enim, ut modo dicendum venit, consensus est valde minor.

C) *Conclusio de ratione formali sacrificii Christi.* Manet igitur conclusio communis sacrificii constitutivum specificum in hoc esse quod res Deo oblata aliqualiter destruatur. Christi proinde sacrificium recte dicitur in hoc proprie fuisse quod se ipse tradidit morti in cruce subeundae [1]. Voluntaria enim illa traditio fuit vera sui immolatio.

Pars II. De modo quo sacrificium Christi contulit ad redemptionem.

Quaestio solvi nequit nisi prius constet unde sit, I°, *sacrificio in genere* et, II°, sacrificio in specie *pro peccato,* suus specialis valor. Haec ergo prius determinanda veniunt ; postea dicetur, III°, unde fuerit *sacrificio Christi* suus valor redemptivus.

518. I. De sacrificii in genere vi seu significatione propria.

1° *Agitur de significatione illius specifica.* Praeter enim significationem illam genericam, seu, ut dictum est (n. 515), moralem, quae illi communis est cum omnibus oblationibus religiosis externis, signi-

(1) Quo modo et sensu ipse se morti tradiderit Deoque in sacrificium obtulerit, dictum est supra n° 511. — Voluntas autem subjectiva eorum qui Christum occiderunt manet omnino praeter rationem sacrificii illius. Ea fuit iniquitas eorum nec seipsa confert ad sacrificium nisi quatenus occisio Christi materialis, perpetrata ab illis, volita est ab ipso et ad finem sibi proprium ordinata. (III, q. 22, a. 2, ad 1^{m} et 2^{m}).

ficationem habet specificam et propriam, ex qua suus illi est valor eximius. Qualis vero sit non potest determinari modo universali, nam, etsi sacrificia constat apud omnes gentes viguisse, ita ut in hoc se prodere videatur vel aliqua suasio naturae, vel aliqua revelatio primaeva, tamen non constat ea eodem ubique sensu intellecta esse.

Nemo sane negabit ea ubique oblata esse « in protestationem divinae subjectionis » (II. II, q. 85, a. 4c), seu « in signum debitae subjectionis et honoris secundum similitudinem eorum qui dominis suis aliqua offerunt in recognitionem dominii » (a. 1 c). Hoc enim pertinere, ut addit S. Thomas, ad rationem sacrificii evidens est. At eam esse totam et specificam significationem eximii illius actus vix etiam quis admittat, nam communis est omnibus oblationibus Deo factis, nec proinde specialis illi rei oblatae destructioni seu hostiae immolationi, qua specificatur sacrificium.

519. 2° *Solutiones impertinentes.* Hujus autem elementi specifici quae sit significatio propria inter auctores non convenit. Alii volunt immolationem factam esse ut *hostia in cibum diis* offerretur ; alii ut per hostiae, in convivio sacrificali, manducationem seu communionem iniretur cum diis vel innovaretur foederale pactum aut mystica quaedam et socialis cognatio. Nec negandum videtur eum fuisse vel esse saepe *sacrificiorum finem.* At hic non agitur de sacrificiorum fine assignando nec de significatione determinanda convivii, quod sacrificium re vera saepe subsequi et velut integrasse solet ; quaestio est de immolationis ipsius sensu formali, proindeque explicationes hujusmodi, etsi vera dicunt, tamen scopum non attingunt.

520. 3° *Assignatur vera significatio.* Melius et verius cum theologis communiter dicitur eam esse immolationis vim et sensum ut per eam homo *profiteatur Dei in ipsam rerum substantiam et vitam dominium supremum.* Quo sane non excluditur ab offerente sacrificium posse, ut finem et scopum, intendi Dei benevolentiam sibi conciliandum vel reconciliationem aut conjunctionem cum Deo assequendam ; at is est scopus et sacrificii sensus pendens ab illius consilio et voluntate nec proinde ingreditur sacrificii qua talis objectivam et formalem significationem. Agnitio econtra et professio supremi Dei dominii intrinseca est rei destructioni vel hostiae immolationi, quae in Dei honorem fiat, eaque causa est cur inveniatur etiam vel imo praesertim in sacrificiis mere latreuticis, id est, directe vel exclusive ordinatis ad adorationem, gratias aut laudes Deo agendas.

521. 4° *Improbatur theoria substitutionis.* — Specificae illi sacrificii qua talis significationi alii velint aliam superaddi. Alii v. gr.

velint victimam, *in omni sacrificio,* intellegi *substitutam homini,* qui, per illius immolationem significet, se *in suam specialiter vitam* agnoscere plenum et supremum Dei dominium [1]. Alii *substitutionem* intellegunt esse de *ratione sacrificii in statu naturae lapsae,* ita ut homo, victimam loco sui aliquatenus immolando, agnoscat et profiteatur se esse Deo, propter reatum peccati, mortis debitorem ; sacrificium proinde, in statu naturae lapsae, sit essentialiter et ratione sui Dei placativum seu peccati expiativum, victima vero semper munere vicario fungatur [2]. Substitutionem autem hujusmodi putant significari ritu impositionis manuum in victimam, qui, juxta Legem mosaïcam, praemittitur omni sacrificio ab illo pro quo vel cujus nomine offertur.

Sed ea omnia, cum nitantur consideratione status aut intentionis specialis ejus qui offert sacrificium, sunt *extra significationem objectivam et communem immolationis,* nec proinde dici debent esse *de ratione sacrificii qua talis.* — Non constat praeterea sacrificiis ubique subesse eum sensum reatus aut debiti poenalis, quo supponitur moveri qui victimam Deo immolat : cum gaudio potius et exultatione sacrificia plerumque offerebantur, nec raro victimae ad altare ducebantur floribus, vittis et coronis adornatae.

Apud Judaeos quidem certa referuntur sacrificia, in quibus agnosci possit aliquatenus substitutio, sacrificium v. gr. arietis pro Isaac, immolatio agni paschalis et primogenitorum in genere, pro primogenitis hominum (*Exod.* 13. 12-15) ; at ea sunt specialia, unde nefas sit doctrinam educere generalem. Nec ritum impositionis manuum constat significare per se substitutionem victimae. Utrum ea sit ejus significatio in sacrificio pro peccato, ubi res magis obvia videtur, mox inquiretur ; at certe non in omnibus sacrificiis hoc sibi vult : in holocausto v. gr. pro consecratione Aaron et filiorum ejus (*Exod.* 29. 15 et 19), cum jam (*ibid.* 10-14) praemissum sit sacrificium pro peccato, haud videtur qui possit esse locus substitutioni victimae. (Cf. *Levit.* 8. 14 sqq). Nec magis intellegitur cur aut quo sensu, in sacrificio pacifico vel gratiarum actionis (*Levit.* 3. 1-17 ; 7. 12 sqq), offerens per manum impositionem victimam sibi substituerit.

5° *Conclusio.* Manet ergo sacrificii in genere eam tantum esse significationem propriam et specificam ut homo per rei oblatae destructionem vel victimae immolationem agnoscat et profiteatur Dei in ipso esse rerum ac vita absolutum et supremum dominium.

(1) Ita v. gr. Lugo (*De Eucharistia, disp.* 19, s. 1, n° 5) recitando Eusebium.
(2) Ita Franzelin : *De Eucharistia,* p. II, *thes.* 2.

522. II. **De sacrificii pro peccato significatione speciali.** — Sacrificii pro peccato *scopus et finis* est obvius. Per illud homines volunt Deum placare et propitium sibi facere, ita ut a debito sui peccati soluti maneant. Quomodo vero sacrificium qua tale, seu qua est formaliter immolatio victimae, ad hunc effectum conferat, per legislationem mosaïcam non ita constat.

1° *Theoria substitutionis poenalis*. A) *Exponitur*. Supponunt quidem multi hic imprimis intercedere substitutionem poenalem. Homo scilicet, cum se sciat Deo pro peccato mortis debitorem, victimam vicariam, Deo annuente, immolet, qua suum reatum simul profiteatur et solvat ; mors proinde victimae, cum sit pro poena a peccato personaliter luenda, Deum se ipsa placatum faciat atque peccatori jam reconciliatum.

Explicatio fundatur in eo quod : — a) « *anima carnis* », id est, viventium vita, habeatur esse « *in sanguine* » atque Deus propterea dicat se « *illum dedisse* » hominibus, « *ut super altare in eo expient pro animabus suis, et sanguis pro animae piaculo sit* » (*Levit.* 17. 11) : quo significasse censetur se acceptare substitutionem sanguinis animalium pro eorum vita ; — b) per manus autem impositionem homo in victimam transtulerit peccata sua. Hujus enim ritus eam volunt esse significationem, quam constare putant per caeremoniam hirci emissarii. Nam pontifex legitur in caput ejus imposuisse manus et confessus esse omnes iniquitates, peccata et delicta populi, quae dimissus in desertum auferet a conspectu Domini (*Levit.* 16. 21-22). Jamvero, cum, in omni sacrificio pro peccato, fieret pariter victimae manuum impositio ab eo cujus nomine offerebatur, exinde inferunt per eam factam esse pariter translationem et impositionem peccatorum expiandorum. Hinc, applicatione facta ad Christum, facile intellegatur quomodo « *posuerit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum* », et ille, vi substitutionis hujusmodi, « *Agnus fuerit qui tollit peccata mundi* ».

B) *Judicatur :* **a)** Gratuito assumit victimae mortem in sacrificio esse pro morte, cujus peccator ipse debitor sit, nam lex mosaïca excludit praecise sacrificia offerri pro peccatis, quae sint plectenda poena mortis (*Num.* 15. 30), et permittit econtra, loco victimae quae immoletur, offerri in sacrificium pro peccato similam quae super altare cremetur (*Levit.* 5. 11). — **b)** Gratuito etiam assumit per manus impositionem fieri peccatorum in victimam translationem, nam : — α) Nullibi dicitur explicite eam esse illius ritus significationem. In casu hirci emissarii, translatio hujusmodi, si qua fit, ascribitur potius confessioni conjunctae. Praeterea, hoc praecise in casu, hircus, in quem peccata dicuntur transferri, non immolatur, ideoque tunc non est sacrificium ; caeremonia potius ea est mere symbolica,

qua significatur peccata populi, vi sacrificiorum prius peractorum, expiata jam esse, ita ut de medio populi jam penitus ablata appareant. — β) Manus impositio fiebat ab offerente, etiam in sacrificiis ubi non erat locus peccatorum translationi, v. gr. in holocaustis (*Levit.* 1. 4); in sacrificiis pacificis (2. 2; 4. 8 et 13); imo facta est ab omni populo filiis Levi in sacerdotes Deo consecrandis (*Num.* 8. 9-10). — γ) Si in victimam peccata transferantur, non intellegitur quomodo fiat sancta, ita ut a sacerdotibus comedi debeat et solo suo attactu sanctificet (*Levit.* 6. 24-7. 10), cum econtra hircus emissarius, translatis in eum peccatis, fiat impurus (*Levit.* 16. 23-28). — **c)** Gratuito tandem illa explicatio assumit ea, quae in *Levitico* (17. 11) de sanguine dicuntur, intellegenda esse de sanguine victimarum, quem Deus *accipiat pro sanguine peccatorum.* Hoc enim loco inculcatur solummodo quam sit exclusivum Dei in vitam dominium et quam velit Deus homines a sanguine abhorrere : sanguinis non permittit usum nisi qui sit ad altare in peccatorum expiationem.

523. 2° *Solutio quaestionis.* Abjecta porro illa theoria, manet sacrificiorum valorem et efficacitatem diversam repetendam esse *ex intentione offerentium.* Omnibus hoc erat commune quod homines, per ea profitentes supremum Dei in omnia dominium, summum ei praestarent obsequium ; pro intentione tamen offerentium, obsequium illud ordinabatur ad alium et alium scopum, ad adorationem scilicet, vel ad gratiarum actionem, vel ad peccati purificationem. Pro varietate intentionum diversitas erat rituum accidentalium, sed sacrificio qua tali manebat semper sua essentialis et specifica significatio, nec Deo gratum et acceptum erat, seu valorem apud eum habebat nisi quatenus in illo se prodebat offerentium intentio. Hinc est cur toties apud prophetas Deus significaverit se non « *placari millibus arietum aut in multis millibus hircorum pinguium* », seu sacrificia non sibi placere nisi sint in signum veri recessus a peccato ; eodem sensu David, in psalmo, profitetur Deum holocaustis non delectari sed *sacrificium* Deo esse *spiritum contribulatum, cor contritum et humiliatum.* Uno verbo, sacrificiis pro peccato inde valor et efficacitas erat quod, per eam sui et rerum omnium absolutae a Deo dependentiae professionem, peccator obsequium Deo praestat, quo eum faciat sibi propitium : sacrificium PLACENDO PLACAT.

524. III. **De sacrificii Christi valore redemptivo,** seu quomodo sacrificium Christi contulerit ad nostram redemptionem. — Quaestio duo complectitur : 1° quomodo sacrificium Christi potuerit *nobis valere ;* 2° undenam fuerit illi ejus sacrificio *suus influxus redemptivus.*

1°. *Quomodo potuerit* NOBIS *valere* explicatur per solidaritatem naturalem et moralem, quam Deus per Incarnationem inter Christum et nos instituit (*Supra* n° 471 et 473). Exinde enim Christus est novus Adam, in quo operante nos aliquo vero sensu operari censemur, ita ut, illo uno mortuo, omnes qui illi per fidem adhaeserint censeantur et ipsi mortui ac fructum mortis ejus consecuti seu participasse. Ex illa proinde solidaritate est ut Christus, tanquam *substitutus hominibus*, possit haberi atque dici non tantum in utilitatem ac favorem sed etiam loco hominum adorare, obedire, pati ac mori.

525. 2°. *Influxus autem redemptivus undenam fuerit illi,* explicatur per praemissa de sacrificiis in genere. Sacrificio enim Christi hoc quidem proprium est quod victima sit in se valoris infiniti, quod ipsa se offerat et immolet, quod hostia sit vicaria, id est, oblata ac se offerens pro peccatis alienis ; sed, his sepositis, in hoc convenit cum sacrificiis pro peccato, nempe quod illa immolatio fuit de se obsequium Deo praestitum et ex voluntate offerentis ordinata ad Deum pro peccato placandum.

A) Fuit *de se in obsequium Deo,* nam ex dictis supra (n° 473), mors Christi, quatenus voluntarie, ex obedientia simul et ex charitate, suscepta est, obsequium Deo fuit acceptissimum : « Hoc [enim] ipsum, ut ait S. Thomas, quod voluntarie passionem sustinuit, Deo maxime acceptum fuit, utpote ex charitate maxima proveniens »[1]. Et, re vera, obsequium in illo sacrificio praestitum eo majus erat quod offerens ejusdem erat cum Deo dignitatis et auctoritatis, nec se hostiam immolabat, cum potuisset summo jure ab hoc abstinere, nisi ad profitendum supremum et absolutum Dei etiam in vitam dominium. De se proinde seu quatenus erat sacrificium proprie dictum, passio Christi erat quae *placendo placaret.*

B) *Illa autem immolatio* ex una parte offerebatur ab eo, quem Deus ipse « *constituerat ut pro hominibus esset in iis quae sunt ad Deum* », et, ex altera parte, *ordinabatur ab eo ad impetrandam hominibus liberationem a peccato ;* nihil ergo jam deerat ut a Deo acceptaretur, sicut illi offerebatur, in favorem hominum, seu ut, intuitu tanti obsequii sibi ea intentione exhibiti, jam se haberet hominibus placatum atque propitium. Ea est ratio, qua sacrificium Christi contulit ad redemptionem : mors ejus, quatenus ex obedientia et amore suscepta, obsequium Deo

(1) III, q. 48, a. 3 c — Caro Christi « erat Deo accepta propter ineffabilem charitatem suam carnem offerentis » (*ad* 1^m). « Passio Christi,.. ex parte ipsius ex charitate patientis fuit sacrificium » (ad 3^m),

fuit acceptissimum et satisfactio pro peccato condignissima ; se pro nobis immolando, Christus « *exhibuit offenso id quod* [*non poterat non*] *diligere aeque vel magis quam oderat offensam* ».

526. *Conclusio :* Notio porro ea est, ex praemissis, satisfactionis primaria. Sacrificium igitur redemptivum haud aliud est ac Christi ad Deum religionis actus perfectissimus, quo pro nobis Deo satisfecit. Quae ipsissima est S. Thomae doctrina de modo quo passio Christi nos Deo reconciliavit [1].

Posito enim (q. 22, a. 1 c) per modum principii « officium esse sacerdotis... pro peccatis hominum Deo aliqualiter satisfacere », ait explicite (a. 3) sacerdotium Christi reatum poenae per hoc sustulisse quod « pro nobis plenarie satisfecit » ; quod confirmat (q. 48, a. 6, ad 3[m]) ubi ait « passionem Christi... egisse per modum satisfactionis, in quantum per eam liberati sumus a reatu poenae » ; concludit tandem passionem Christi « nos Deo reconciliasse... per recompensationem acceptabilioris doni » (q. 49, a. 4, ad 2[m]), seu, ut explicat, eodem articulo, in corpore, « in quantum est sacrificium Deo acceptissimum. Est enim hoc proprie sacrificii effectus ut per ipsum placetur Deus, sicut etiam homo offensam in se commissam remittit propter aliquod obsequium acceptum, quod ei exhibetur... Et similiter tantum bonum fuit quod Christus voluntarie passus est, quod propter hoc bonum in natura humana inventum, Deus placatus est super omni offensa generis humani, quantum ad eos qui Christo passo conjunguntur ».

Redemptionis igitur per modum meriti, satisfactionis aut sacrificii diversitas non est nisi secundum considerandi modum. Posteriori formula significatur quousque Christus se ipsum abnegaverit ut homines a malo eriperet ; duabus prioribus suggeritur quotuplici sensu illa Christi abnegatio contulerit ad peccati condonationem et gratiae restitutionem. Nos in sanguine suo redemit, quatenus sacerdos pro nobis constitutus a Deo victimam se obtulit in satisfactionem Deo praestandam et in amicitiam Dei nobis impetrandam. Redemptor igitur proprie est qua sacerdos et victima ; sacrificium ejus est, quo pro nobis satisfecit nobisque meruit.

(1) Idem, ex mente S. Bonaventurae, concluditur a Guardini : « Mit dem Begriff der Genugtuung ist, seinem wesentlichen Inhalt nach, identisch der weitere des Opfers Christi. Er fasst in lebendiger, konkreter Weise dieselbe Tatsache, die der Begriff der Satisfaktion in abstrakter Form ausdrückt » (*Die Lehre des heil. Bonaventura von der Erlösung* (1921), p. 96.

CONCLUSIO

I

DE CORPORE CHRISTI MYSTICO

THESIS XXXIX — Ad Incarnationis et Redemptionis mysterium consequitur mysterium, quod dicitur, Christi corporis mystici, quatenus, pacificatis in Christo « sive eis quae in terris sive eis quae in caelis sunt », homines jam et angeli Christum caput habent, atque omnia, in Christo instaurata, ad Deum per Christum ordinantur (III, q. 8).

Thesis expositoria est potius quam argumentativa. Mysterium definit, in quod alia vergunt, illud scilicet « *divinae voluntatis sacramentum* », quo, secundum beneplacitum suum, Deus disposuit omnia instaurare in Christo (*Eph.* 1. 9-10), ita ut « *in omnibus ipse primatum teneat* » (*Col.* 1. 18). Illud enim « propositum » vult angelorum et hominum cum Christo constitui corpus, ad quod cetera ordinentur et per quod omnia ad Deum referantur.

Quatuor igitur exponenda veniunt : — I. Quid sit corpus Christi mysticum. — II. Quis sit in illud Christi capitis influxus. — III. Quae sint illius corporis membra. — IV. Quae sit omnium rerum ordinatio ad Deum per Christum [1].

527. I. **Notio corporis Christi mystici.** — 1° **Definitio nominalis.** Corpus Christi mysticum vocatur collectio eorum omnium qui Christum ut caput habent et ab eo, tanquam membra a capite, influxum aliquem vitalem habent aut habere nati sunt. Ita ii saltem qui, in vera Christi Ecclesia, fide illi et charitate conjuncti manent. Hinc est cur interim, donec pressius determinentur ejus varia membra, identificetur cum ipsa Ecclesia. Dicitur mysticum, ut distinguatur tum ab aliis entibus moralibus, quae corpus et ipsa dici solent, tum praesertim ab ejusdem Christi corpore naturali seu physico, quo, natus de Virgine et in cruce mortuus, jam sedet ad dexteram Patris.

(1) Doctrina eruitur imprimis ex epistolis S. Pauli, adhibita per modum subsidii theologici *Summa theologica*, III, q. 8. — Subsidio etiam exegetico simul et theologico erit PRAT : I[7], l. III, ch. 3, p. 359-371 et II[6], l. V, ch. 3. 2, p. 341 sqq.

Ratio vero appellationis est nexus, quo membra illius corporis coadunantur inter se et cum capite suo : non est tantum aliquid morale, sed aliquid essentialiter mysticum. Corporis illius mystici Christus ille historicus, una cum suo naturali corpore, intellegitur esse membrum praecipuum seu « caput », propterea que, loco « corporis Christi mystici », dicitur saepe simpliciter « Christus mysticus ».

Christus igitur mysticus complectitur tum Christum historicum tum Ecclesiam ejus, seu illos qui, ut dictum est, fide et charitate illi conjunguntur. Hi omnes, ut patet, non sunt Christi corporis naturalis membra [1] ; at, una cum Christo historico, constituunt corpus illud mysticum, quod S. Paulus haud raro vocat simpliciter « Christum ». Sic v. gr. *Gal.* 3. 16 : Semen Abrahae, cui « dictae sunt promissiones,... est Christus ». Item 1 *Cor.* 12. 12 : « Christus », sicut omne corpus, dicitur constare pluribus membris [2].

528. 2° **Definitio realis.** Corpus Christi mysticum non est corpus nisi « similitudinarie », seu ad modum quo « multitudo ordinata in unum » dici solet ens aut corpus morale (III, q. 8, a. 1, ad 2^{m} ; a. 4 c). Hoc igitur, *per modum « generis »*, habet commune cum aliis ejusmodi corporibus.

Specifice differt ab eis ratione specialis tum *finis*, ad quem ordinantur, tum *vinculi*, quo membra inter se connectuntur, tum *vitae* seu activitatis quae membris, qua corporis membris, communis est, tum praesertim *capitis sui influxus* in illam vitam communicandam atque fovendam. Singulis entibus moralibus suus est finis, sua forma socialis, sua vita, seu, ut dici solet, suum ingenium aut sua mens ; suum etiam caput, a quo non tantum motum communem ad finem sed etiam, aliquando, suam originem atque singularem suum sentiendi, judicandi procedendique modum habere possunt : sic familia patris aut avorum exprimit typum etiam moralem ; sic certae gentes dicuntur

(1) Nisi forte eo sensu quo, in uno corpore, manus aut pes dici possit capitis membrum. Sic, re vera, dicimur omnes in Christo esse « *singuli alter alterius membra* » (*Rom.* 12. 4-5 ; cf. 1 *Cor.* 12. 27 ; Cf. Prat. II^{6}, p. 343-346 ; S. Thomam, in III, *dist.* 13, q. 2, a. 1, ad 6^{m}).

(2) Plura apud Prat, II^{6}, p. 343. Eodem sensu S. Augustinus intellegit Saulum a Christo interrogatum esse : *Quid* me *persequeris ?* « Non enim Saulus *ipsum* sed membra ejus, id est, fideles in terra persequebatur... Noluit tamen dicere sanctos... servos... fratres *meos*, sed Me, hoc est membra mea, quibus ego sum caput ». Rationem dat quia « Christus totus in capite et in corpore. Quod ergo membra ejus, *ipse*... Nam, si non *ipse* essent membra ejus, non diceret : *Saule, quid* me *persequeris ?* » (*In Joan. tr.* 28, 1 PL 35. 1622).

ingenio certi magistri, tanquam capitis sui, manere imbutae ; sic societas religiosa dicitur spiritu fundatoris sui ita animari ut eum habeat in se aliquo vero sensu superstitem atque viventem.

Corpori porro Christi mystico hoc imprimis speciale est caput habere Deum Hominem, quocum et ex quo influente vitam supernaturalem habeat communem. Is igitur influxus indicandus est qualis sit, ut constet quantopere corpus illud differat ab aliis et quanto jure dicatur « mysticum ».

529. II. **Influxus Christi in suum corpus mysticum.** — 1° **Natura illius influxus.** — A) *In genere,* intellegitur influere ad modum quo, in corpore physico, caput influit in membra. Caput porro in membra influere notum est quatenus, praesupposita membrorum cum eo unione vitali, motus membris derivatur ex impulsu ac directione capitis. Ille vero capitis impulsus distinguitur internus et externus, nam, ut ait S. Thomas, « caput influit in alia membra uno modo quodam intrinseco influxu, prout scilicet virtus motiva et sensitiva a capite derivatur ad cetera membra ; alio modo secundum quamdam exteriorem gubernationem » (a. 6 c).

Quod observatur etiam in corpore morali, nam, praeter regimen sociale, quo tanquam externo motore movetur, agnoscere ibi est impulsum aliquem moralem, quo, tanquam interno spiritu, singula membra animantur et communem finem prosequuntur [1].

Hoc autem manifestum imprimis est apud corpus Christi mysticum, quale interim consideratur.

Ecclesia enim societas est, quae regimine, magisterio ac ministerio sacramentali, tanquam principio vitae supernaturalis externo, membra simul inter se connectit atque Christo conatur conformare ; singulis autem membris ejus inest praeterea Spiritus Sancti gratia, qua, tanquam ejusdem vitae supernaturalis principio interno et immediato, moventur ad eumdem finem.

B) Corpus tamen illud *duobus notis specificatur* et ab aliis *differt.*

(1) Utrumque potest ex eodem quasi fonte ac capite derivare. Sic singulae civitates aut gentes, praeter suam specialem regiminis formam, specialem habent sentiendi, judicandi aut in rebus procedendi modum, quem ab auctore suo tanquam a capite haustum retinent. Lacedaemonenses v. gr. a Lycurgo et Athenienses a Solone non tantum leges et formam politicam acceptam habuere ; Germani haud raro dicuntur Lutheri aut Kantii sui spiritu et mente adhuc vivere. Item in religiosis ordinibus : S. Francisci familiis haud sola sane regula paupertatis manet ab auctore et capite suo defluens ; S. Ignatius pariter Societati Jesu non tam forte *Constitutionibus* quam *Exercitiis* suis vitam influere pergit.

— *Prima* est quod societas, qua talis, non praescindit prorsus a principio vitae interno, siquidem potestas regendi, docendi et sanctificandi non confertur et exercetur nisi vi et virtute Spiritus Sancti et ordinatur praeterea tota ad gratiam Spiritus Sancti apud singula membra fovendam. — *Secunda* est quod interna membrorum vita commune quidem habet cum vita interna aliorum hujusmodi corporum quod implicet aliquod corpus doctrinale et aliquem sentiendi aut agendi modum communem ; at hoc *speciale* habet quod non constituitur sola operatione morali sed tum substantiali SS. Trinitatis habitatione, tum nova quasi natura eis indita, tum novis agendi principiis, tum novis actibus, quibus in ordine supernaturali ipsi se moveant. Haec imo vita nova vinculum est intimum et mysticum, quo quam maxime cum capite suo singula membra connectuntur.

Ea igitur est de qua imprimis inquiritur utrum et quomodo sit in nobis ex influxu Christi capitis, seu quomodo Christus, formaliter ut homo seu operatione sua humana, illam in nobis influat.

530. 2° **Quomodo exerceatur.** — A) *Non illam, qua homo,* EFFICIT. Nec enim in caelum assumptus, Christus, qua homo, dat gratiam aut Spiritum Sanctum « auctoritative » (q. 8, a. 1, ad 1[m]). Gratiam proinde sanctificantem non influit in nobis effective per modum causae principalis. Hoc modo non vivificat nos nisi qua Deus, dum nos suae divinae naturae facit esse participes et, una cum Patre et Spiritu Sancto, se nobis tradit possidendum simul et fruendum. Quo profundissimo sensu recte dicitur nos in Christo esse sicut et in Spiritu ; Christum, sicut et Spiritum, habitare in nobis (Cf. Prat. II[6], p. 344 et 353-355).

B) Illam tamen, etiam *qua homo formaliter,* INFLUIT multiplici sensu : a) Quatenus, etiam qua homo, est objectum fidei qua accedimus ad hanc vitam : justificatio enim non est nisi per fidem in ipsum. — b) Quatenus ille est cujus sensa in nobis transfundi debent ut, *sicut ille ambulavit, et nos ambulemus* (*Philipp.* 2. 5 ; 1 *Jo.* 2. 6). — c) Quatenus ille est magister, a quo hauritur nostra Dei cognitio, et auctor omnis potestatis in Ecclesia : ministri enim, a quibus regimur, docemur et sacramentaliter vivificamur, constituti sunt ab eo tanquam « *junctura* » per quam « *totum corpus compactum et connexum... augmentum faciat* » (*Eph.* 4. 16). — d) Quatenus sacramenta non tantum sunt ab eo instituta sed etiam efficacitatem suam non habent nisi ab eo, ita ut sint humanae operationis ejus quasi continuatio et applicatio. — e) Quatenus in Eucharistiae sacramento, quo vita in nobis supernaturalis conservatur et augetur, humanitas ejus realiter prae-

sens est et operatur ut divinitatis ejus instrumentum conjunctum. — f) Quatenus *imprimis et in genere* ipse est *principium et causa* nostrae regenerationis et vivificationis, ita ut quidquid gratiae habemus, hoc de ejus plenitudine accipiamus. Etenim : α) Ille pro omnibus de peccatis omnibus Deo satisfecit, omnibus gratias omnes suo merito acquisivit et sua apud Deum interpellatione impetrat : omnium igitur gratiarum actualium ille nobis est fons vivus. — β) Gratiae etiam sanctificantis ille fons est, siquidem eadem, qua et nos, ipse in sua humana natura donatus et ornatus est : suas satisfactorias et meritorias operationes non elicuit nisi illius ope, ita ut illa sit principium quo, ut homo, membris suis gratiam meruit (a. 5) ; jam tandem in gloria constitutus, Patrem ipse rogat nobis immitti Spiritum Sanctum, quo ad ejus imaginem conformemur eaque ipsa vita supernaturali vivamus qua ipse in sua humanitate vixit et vivit in saecula saeculorum.

Vere igitur vitam in nos influit, *non tantum secundum exteriorem gubernationem sed etiam secundum intrinsecum* impulsum, quo unusquisque nostrum, pro suo loco et mensura, augmentum corporis facit in charitate, donec occurrat in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi.

531. QUAERES **de nostra cum Christo unione, utrum sit physica ?**

1° *Quoad rem :* A) Christi sumus cognati naturales, sicut omnium hominum, ita ut Filii Dei naturalis tam vere simus in Adamo fratres quam patriarchae fuerunt « patres » et B. V. Maria « mater ». — B) Ejusdem Filii sumus cognati supernaturaliter, quatenus eadem vita supernaturali vivimus qua ipse vixit sua humana natura ; imo haec nostra vita derivatur, tanquam a fonte, ab illa ipsius vita. — C) Eodem Spiritu ungimur et signanum quo ipse unctus et signatus est (supra, n° 307), ita ut eamdem in nobis ac ipse in sua humanitate referamus SS. Trinitatis imaginem. — D) Hinc apparet nos, ratione humanitatis, habere ad 2^am^ Trinitatis personam, relationes physicas et morales, similitudinis, v. gr., dependentiae, gratitudinis, etc, quas ad duas alias nullatenus habemus. Illius solius, in specie, sumus fratres, non tantum quia cum illo solo nobis communis est gratia, qua nos adoptamur in filios, sed etiam et praesertim quia ille solus est Filius naturalis, ad quem possit esse adoptivorum fraternitas.

2° *Quoad modum loquendi.* A) Haec unio haud magis dici potest physica quam unio parentum cum filiis suis aut fratrum ejusdem familiae inter se. Si quis autem eam dici velit physicam, quia idem entitative Spiritus habetur tum Christi humanitati tum singulis justis substantialiter praesens,

quaestio est tantummodo de vocibus. Haud aliter dicat quis physice unitos eos omnes quibus imprimitur idem physice sigillum. Signum porro impressum, seu sigillatio passive considerata, cum sit ipsa gratia creata, id est, accidens substantiae animae infusum, patet non esse eadem numero entitas physica apud Christum et justos singulos. — B) Cum, ex dictis supra n° 273, 2°, Christi humanitas non adsit substantialiter justis, Christus non potest dici nobis physice praesens aliter ac Pater et Spiritus Sanctus.

532. III. **Quae sint corporis Christi mystici varia membra.** Vi nominis, ut dictum est, et per similitudinem ad naturale corpus hominis, ut quis dici possit habere Christum ut caput, seu pertinere ad corpus ejus mysticum, duo requiruntur : 1° habere aliquam in natura convenientiam cum ejus humanitate ; 2° accipere aut saltem esse aptum accipere ab illius humanitate aliquem influxum vitalem in ordine supernaturali. Jamvero utrumque verificatur non solum, ut patet, de hominibus sed etiam de angelis, nam etiam angeli, licet non conveniant cum homine in natura speciei, tamen, ratione animae (q. 8, a. 4, ad 1^m), quae est et ipsa spiritualis, conveniunt cum eo in ratione generis. Eo ipso igitur apti sunt qui influxum vitalem ab anima Christi accipiant. Inquirendum proinde non est nisi de facto ipso : utrum et quo sensu aut gradu tum homines tum angeli Christum habeant ut caput.

533. 1° **Homines omnes,** — exceptis reprobis, qui jam ne in potentia quidem sunt ut Christo uniantur [1], — dici debent aliquo sensu et gradu pertinere ad Christi corpus, nam omnes ab eo redempti sunt, proindeque omnem ordinationem quam habent ad Deum habent per Christum. Aliis verbis, omnis eorum vita supernaturalis, si qua est actu vel potentia, quantacumque aut quantulacumque sit, pendet ab ejus influxu.

Caput igitur omnium est Christus.

At corpus ejus mysticum in hoc a corpore naturali differt quod membra non habet « omnia simul, neque *quantum ad esse naturae,* quia... constituitur ex hominibus qui fuerunt a principio mundi usque ad finem ipsius, neque etiam *quantum ad esse gratiae,* quia eorum etiam qui sunt in uno tempore quidam gratia carent, postmodum habituri, aliis eam jam habentibus. Sic igitur membra corporis mystici accipiuntur non solum secundum quod

(1) Eorum non caput sed Dominus est. Non eis influit ullam vitam supernaturalem, sed eis non volentibus imperat eosque suae justitiae subditos tenet.

sunt *in actu* sed etiam secundum quod sunt *in potentia*. Quaedam tamen sunt in potentia, quae nunquam reducentur in actum ; quaedam vero sunt quae quandoque reducuntur in actum, et hoc secundum triplicem gradum, quorum primus est *per fidem*, secundus *per charitatem viae*, tertius *per fruitionem patriae*.

« Sic ergo dicendum est quod, accipiendo generaliter secundum totum tempus mundi, Christus est caput omnium hominum sed secundum diversos gradus.

« Primo enim et principaliter, est caput eorum qui actu uniuntur ei per gloriam.

« Secundo, eorum qui actu uniuntur ei per charitatem.

« Tertio, eorum qui actu uniuntur ei per fidem.

« Quarto, eorum qui ei uniuntur solum in potentia nondum reducta ad actum, quae tamen est ad actum reducenda secundum divinam praedestinationem.

« Quinto, eorum qui in potentia sunt ei uniti, quae nunquam reducetur ad actum, sicut homines in hoc mundo viventes, qui non sunt praedestinati » (q. 8, a. 3).

Membra igitur Christi non sunt *actu et simpliciter* nisi ei qui actu uniuntur ei *per gloriam aut saltem per charitatem*. Nam fides, etsi actu unit Christo secundum quid, tamen se ipsa non facit participem verae vitae quae est a Christo (ad 2[m]). « Fides, ait Tridentinum, nisi ad eam spes accedat et caritas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit ». (VI. 7 D-B 800, C 880).

Infideles autem eique omnes, qui ad corpus mysticum nondum ullo modo pertinent actu, tamen de illo jam sunt in potentia, quatenus Christus, cujus merita sufficiunt ad salutem totius generis humani, in illos influit gratias ad salutem sufficientes [1] (ad 1[m]).

534. 2° **Angelos** aliquo sensu ad Christi corpus pertinere exinde constat quod : A) Christum etiam qua hominem, habent supra se constitutum ; B) ad unitatem quamdam cum hominibus, sub Christo redemptore, constituti sunt ; C) verum aliquem influxum vitalem accipiunt a Christo.

(1) Damnata est ab Alexandro VIII, anno 1690, propositio : « Pagani, Judaei, haeretici aliique hujus generis, nullum omnino accipiunt a Christo influxum, adeoque hinc recte inferes in illis esse voluntatem nudam et inermem sine omni gratia sufficiente » (D-B. 1295 ; C. 906[5]).

A) *Christum, etiam qua hominem, habent supra se constitutum,* nam qui, ut « *primogenitus omnis creaturae* », jam erat « *ante omnes* », quatenus « *in ipso condita sunt universa in caelis et in terra,... sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates* » (*Col.* 1. 16-17), is, jam homo factus et « *suscitatus a mortuis, constitutus est ad dexteram* [*Patris*] *in caelestibus supra omnem principatum, et potestatem et virtutem, et dominationem, et omne nomen, quod nominatur non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro; et omnia* [*subjecta sunt*] *sub pedibus ejus* » (*Eph.* 1. 20-22).

Nec tantum post exaltationem suam, sed etiam ab initio Incarnationis, angeli sunt ei subjecti, siquidem, cum « *introducitur primogenitus in orbem terrae, adorare eum omnes angeli Dei* » jubentur (*Hebr.* 1, 6) et, re vera, post tentationem in deserto, « *angeli accesserunt et ministrabant ei* » (*Mt.* 4. 11).

B) *Ad unitatem cum hominibus, sub Christo capite, constituti sunt* — S. Paulus dicit eum esse finem ad quem tendit « *divinae voluntatis sacramentum... in dispensatione plenitudinis temporum* », scilicet « *instaurare omnia in Christo, quae in caelis et quae in terra sunt* » (*Eph.* 1. 9-10). « Instaurare » enim, aut melius « recapitulare » (ἀνακεφαλαιώσασθαι), etymologice et philologice potest, ex contextu et ex loco parallelo mox invocando debet, intellegi de ordinatione in unum quasi fastigium aut caput [1], ut interpretatur Chrysostomus : « Unum omnibus posuit caput, nempe Christum secundum carnem... Omnes uni subjecit capiti »[2]. « Quae in caelis » autem et « quae in terra sunt » significant imprimis entia rationabilia caeli et terrae, angelos igitur et homines.

Idem porro assignatur altissimum Dei consilium apud *Col.* 1. 19-20 : Ut ille, qui « *est caput corporis Ecclesiae,.. in omnibus primatum teneat* », complacuit Deo « *omnem plenitudinem habitare in ipso* ». Hunc autem finem assecutus est « *reconciliando omnia per ipsum* » simul et « *in ipsum* » (ἀποκαταλλάξαι τὰ πάντα εἰς αὐτόν), seu « *pacificando per sanguinem crucis ejus sive quae in terris sive quae in caelis sunt* ». Reconciliare porro in aliquem est plurium animos, prius

(1) Demonstrationis philologicae summam videas apud Prat., *op. cit.* II[6], p. 109-111.

(2) « Μίαν κεφαλὴν ἅπασιν ἐπέθηκε τὸ κατὰ σάρκα Χριστόν, καὶ ἀγγέλοις καὶ ἀνθρώποις'.. πάντας ὑπὸ μίαν ἤγαγε κέφαλήν » (*In h. l.* PG 62. 16).

ad invicem inimicos aut saltem alienos, in unum, ut in commune vinculum aut in communem amicum, ordinare [1].

535. C) *Verum influxum vitalem accipiunt a Christo :* De hoc tacet S. Paulus. Tacet etiam de omni eorum redemptione a Christo, et quia praeterea patet eos non convenire cum Christo in ulla natura, non dicuntur nec dici possunt Christum habere caput, seu ad ejus corpus mysticum pertinere, eodem pleno sensu quo homines. Attamen, aliquo vero sensu dici possunt Christum hominem habere caput, non tantum ratione praeeminentiae et dignitatis, sed etiam ratione alicujus realis influxus ab illo accepti. Nam, etsi non conveniunt cum eo secundum naturam specificam, tamen conveniunt secundum genus intellectualis naturae ; etsi non constat, saltem per documenta revelationis, eos ex ejus influxu habere gratiam et gloriam suam essentialem, tamen *ab eo certe habent gloriam et beatitudinem aliquam accidentalem.*

Hoc omnino suadet Scriptura, ubi exhibet eos vel adorantes Christum cum mundum ingreditur (*Hebr.* 1. 6), vel laudantes et glorificantes Deum de illius nativitate (*Luc.* 2. 13-14), vel ministrantes illi post tentationem in deserto (*Mt.* 4. 11), vel imo et praesertim « *desiderantes prospicere* » in ea quae de Christo per prophetas praeministrata erant (1 *Petr.* 1. 12). Iidem dicuntur « *in ministerium missi propter eos qui haereditatem capient*

(1) Cf. Prat. I[7], p. 352 ; II[6], p. 107-108. — Reconciliationem et pacificationem hic non intellegas angelorum simul et hominum cum ipo Deo, quasi angeli et ipsi redemptione indiguerint : hoc enim est S. Paulo prorsus alienum ; sed audias angelorum et hominum inter se reconciliationem. Quod facile apprehendas si oberves angelos, quia Deo et Christo fideles atque subditi ab initio erant, eo ipso exstitisse hominibus, quia Deo inimicis, alienos et aversos. Homines vero, ubi, redempti, Deo et Christo amici et subditi facti sunt, eo ipso inventi sunt cum angelis etiam reconciliati et pacificati. Haud aliter, in sua eidem duci communi subditione, reconciliantur inter se milites, quorum alii manserant illi fideles alii in illum rebellaverant. Pax inter utramque exercitus partem restituitur eo ipso quod rebelles dux iterum suscipit in suam obedientiam et amicitiam. Sensus is est quo (*Eph.* 2. 11-22) Judaei et Gentiles exhibentur ut prius ad invicem alieni et inimici, postea vero, quia pacificati in Christo, « *reconciliati ambo in uno corpore Deo* » (ἵνα... ἀποκαταλλάξῃ τοὺς ἀμφοτέρους ἐν ἑνὶ σώματι τῷ θεῷ. v. 15-16). Sic enim Gentiles, qui prius erant « *longe* » seu meri « *hospites et advenae* », facti sunt, sicut et Judaei, « *prope* » seu « *cives sanctorum et domestici Dei* » (v. 13 et 19) : Christus, « *medium parietem* », id est, « *inimicitiam solvens in carne sua, fecit utraque unum,.. ut duos conderet in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem* » (v.14-15) (Cf. Prat. II[6], p. 271-275). Duo igitur loca, *Col.* 1. 20-21 et *Eph.* 2. 11-22, se mutuo illustrant : quo modo Judaei et Gentiles exhibentur se habuisse ad invicem, eodem modo angeli et homines.

salutis » (*Hebr.* 1. 14), seu propter homines a Christo salvatos. Jamvero haec omnia supponunt eorum ad Christum ordinationem, quae non potest intellegi sine reali aliquo influxu Christi in illos.

Praeterea, « manifestum est quod ad unum finem, qui est gloria divinae fruitionis, ordinantur et homines et angeli ». Ex eis igitur est « una multitudo ordinata in unum », seu « unum corpus similitudinarie... Totius autem hujus multitudinis Christus est caput, quia propinquius se habet ad Deum et perfectius participat dona ipsius, non solum quam homines, sed etiam quam angeli. Et de ejus influentia non solum homines sed etiam angeli recipiunt, » nam « humanitas Christi ex virtute spiritualis naturae, scilicet divinae, potest aliquid causare non solum in spiritibus hominum, sed etiam in spiritibus angelorum, propter maximam conjunctionem ejus ad Deum, scilicet secundum unionem personalem » (q. 8, a. 4 c et ad 3^{m}. Cf. In 3, *dist.* 13, q. 2, a. 2, *sol.* 1 ; *de verit.* q. 29, a. 4, ad 5^{m} ; a. 7, ad 5^{m}).

536. COROLLARIUM. **De corpore Christi mystico et Ecclesia.** — Ex dictis sequitur corpus Christi mysticum, quocumque sensu intellegatur, non posse identificari *simpliciter* cum Ecclesia.

a) Prout intellegitur esse collectio eorum omnium qui, quia *aliquem* influxum accipiunt a Christo, illi uniuntur actu vel potentia, multos complectitur qui ad Ecclesiam, id est, ad societatem visibilem institutam a Christo non tantum re, sed etiam ne voto quidem, unquam pertinebunt.

b) Prout intellegitur esse complexus eorum omnium, sive angelorum sive hominum, qui Christo *actu, sive per gloriam sive per charitatem,* simpliciter uniuntur, multos extra se habet qui Ecclesiae tamen a Christo institutae sunt actu vere membra, eos scilicet adultos omnes qui, valide in ea baptizati, nondum tamen, propter indispositionem suam, consecuti sunt gratiam aut ullum habitum supernaturalem. Multos econtra complectitur qui ad Ecclesiam a Christo institutam nunquam *re* pertinuerunt: angelos scilicet, et justos omnes qui, vel vixerunt ante institutam illam Ecclesiam, vel, illa jam instituta, justitiam adepti sunt quin de illa quidquam noverint aut saltem re ad illam pertinuerint.

Haec quoad rem.

Quoad modum loquendi tamen, si Ecclesia intellegitur complexus eorum qui, *ex Dei voluntate,* ad Deum per Christum ordinari *debent,* jam planum est Ecclesiam identificari cum corpore Christi mystico priori sensu (a) intellecto: quo sensu S. Thomas dicit corpus Ecclesiae mysticum complecti tum angelos tum omnes homines qui adhuc sunt in via.

Si Ecclesia intellegatur complexus eorum qui per fidem gratiam Spiritus Sancti consecuti Christo jam saltem per charitatem uniuntur actu, ea jam

identificatur cum corpore Christi mystico posteriori sensu (b) intellecto. Corporis enim sic intellecti membra sunt actu ii omnes qui, ad Ecclesiam Christi saltem voto pertinentes, illius anima vivificantur. Isque sensus est quo S. Paulus Ecclesiam vocat simpliciter Christi corpus (*Col.* 1. 18 ; *Eph.* 1. 23 ; 4. 15-16). Quo non excludit aliquos posse ad Ecclesiam pertinere, qui sint illius membra mortua ; at, quia, pro more suo, non considerat nisi ea quae sunt de jure, propterea Ecclesiam intellegit complexum eorum qui, Christo ut capiti subditi, Spiritum simul in se habent, quo moveantur et vivificentur.

537. IV. **De creaturarum ad Deum per Christum ordinatione.**

1° **Factum ordinationis illius** constat, quatenus Scriptura affirmat tum omnes creaturas Christo subjectas esse, tum easdem ordinari ad fideles, qui per Christum ad Deum ordinantur.

A) *Prius manifestum est.* Nam : a) « *In nomine Jesu omne genu flectitur caelestium, terrestrium et infernorum... in gloriam Dei Patris* » (*Philipp.* 2. 10-11). — b) Omnia dicuntur ei subjecta (*Hebr.* 2. 8) et quidem eo modo ut « *oporteat illum regnare donec ponat omnes inimicos sub pedibus* », nec « *finis* » futurus sit nisi « *cum evacuaverit omnem principatum et potestatem et virtutem* » atque « *tradiderit regnum Deo et Patri* ». Tunc enim, « *subjecto Filio ei qui subjecit sibi omnia, Deus* [*erit*] *omnia in omnibus* (1 *Cor.* 15. 24-28).

B) *Posterius constat* ex eo quod : a) « *Omnia* » dicuntur « *cooperari in bonum iis qui secundum propositum vocati sunt sancti* » (*Rom.* 8. 28) : quod, sive intellegatur de omnium cooperatione activa, sive de cooperatione passiva, quatenus Deus ipse omnia ordinet in bonum electorum [1], aperte significat omnia ex Dei consilio vergere in bonum Christi fidelium. — b) « *Omnia,... sive praesentia, sive futura* », esse electorum, qui ipsi sint Christi, cum Christus ipse sit Dei : « *Omnia vestra sunt ; vos autem Christi ; Christus autem Dei* » (1 *Cor.* 3. 22-23).

2° **Ratio illius ordinationis** suggeritur a S. Paulo, ubi exhibet « *creaturam* » materialem, quae « *vanitati subjecta est non volens, expectare revelationem filiorum Dei* », quasi, liberatis hominibus a servitute « *vanitatis* » seu peccati, mortis et diaboli, « *et ipsa* » eo ipso liberanda sit « *a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei* » (*Rom.* 8. 19-21). Quo figurato loquendi modo non significat sane creaturam, quae peccato fuerit physice in deterius mutata, con-

(1) Ita, cum PP. Graecis, Prat., *op. cit.* I⁷, p. 288.

sequenter ad redemptionem innovari physice, seu in meliorem statum physicum reduci : hoc enim gratuito quis exinde velit deduci ; at suggerit creaturae etiam materialis esse aliquam per Christum restaurationem et quasi liberationem moralem.

Et, re vera, consequenter ad primi parentis peccatum, creatura jam non subserviebat seu non habebat ordinem ad hominem, qualem Deus illi ab initio praestituerat ; jam igitur concipi poterat ut « non volens » et « ingemiscens » subjecta illi homini qui, et ipse dolebat sub servitute peccati ac diaboli. Ubi vero homines per Christum restituuntur in libertatem filiorum Dei, restaurato jam ordine primaevo, creatura et ipsa exultat, laetabundaque jam subservit eis, quorum sibi videtur participasse liberationem.

Confirmatur ex sensu pleno et absoluto, quo « *omnia, sive in caelis, sive in terra* », dicuntur « *per sanguinem* » Christi « *pacificata* » et « *reconciliata in ipsum* » (*Col.* 1. 20). Haec enim absolute dicuntur, proindeque non de solis angelis et hominibus sed de omnibus omnino entibus audiri debet. Eum praeterea sensum contextus imponit. Nam ideo dicitur Deo « *complacuisse... reconciliare omnia in ipsum* » quia ei complacuit « *omnem plenitudinem inhabitare in ipso* » et, sicut « *in ipsum* », qua Deus est, « *universa in caelis et in terra... creata sunt* », ita « *ipsum* », qua homo est, « *in omnibus primatum tenere* » (*Ibid.* 16-20). Quod ipsum est divinae « *voluntatis sacramentum* » in epistola ad Ephesios (1. 9-10) revelatum : « *quae in caelis et quae in terra sunt, omnia in Christo instaurare* », id est, in Christum, ut in fastigium et caput suum, ordinare.

SCHOLION

DE REGIA CHRISTI POTESTATE

Aliud est esse alicui corpori caput ; aliud esse illi aut aliis regem. Caput enim movet influendo vitam ; rex autem movet leges ferendo, judicium exercendo, proemia aut poenas pro merito decernendo, etiam nolentes imperio coercendo.

Jamvero Christum, *qua Deus* est, evidens est esse regem universalem, cui sit potestas et imperium in saecula saeculorum. — Eum vero, *qua homo* est, utrum et quo sensu rex sit agnoscendus, opportunum est breviter declarare, tum ut constet quotuplici sensu sit omnium

hominum dux aut caput, tum ut de natura aut plenitudine regiae illius potestatis errores praecludantur atque aequivocationes dissipentur.

Doctrina jam exponitur tota apud Pium XI *Encyclicam de festo D. N. J. Christi regis instituendo.* (*Acta apost. sed.* 1925, p. 593).

THESIS XL. Christus homo rex est modo excellentissimo, in ordine spirituali; sed habet etiam in actu primo supremam potestatem in omnia temporalia (q. 59).

538. I. **Rex est modo excellentissimo,** id est, in natura sua humana gaudet potestate regendi homines, — non sane ut causa principalis, nam etiam in hoc, non est nisi causa instrumentalis animata et libera, — sed ut donata omnipotentia, qua possit uti tum ad statuendas leges, tum ad constituendos legislatores atque judices, legum suarum conservatores ac tutores, ita ut potestas legislativa, judiciaria et coercitiva Ecclesiae sit vera continuatio et exercitium regalis ipsius potestatis in populum suum. Limites proinde illius potestatis erunt necessitas et utilitas illius populi Christi.

1° *Factum revelatione constat.* Nam : A) Prophetae nuntiarunt : *Psalmus* 2. 6 sqq. inducit Deum constituentem eum regem et dantem ei gentes in haereditatem et in possessionem, ita ut possit eas plena auctoritate regere. — *Isaias* (9. 6-7) praedicit illi nato « *fore principatum super humerum* », nam « *super solium David et super regnum ejus sedebit... amodo et usque in sempiternum* ». — Danieli apparuit « *quasi filius hominis* », cui Deus « *dedit potestatem et honorem et regnum* », ita ut « *omnes populi, tribus et linguae ipsi serviant* » (7. 13-14). — B) Angelus Mariae praedixit : « *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis* » (*Lc.* 1. 32-33). — C) Ipse tum dictis tum factis se regem professus est : Respondit enim Pilato : « *Tu dicis quia rex sum ego* » (*Jo.* 18. 37), et apostolos auctoritative misit in omnes gentes vi plenitudinis suae potestatis : « *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra* » (*Mt.* 28. 18). — D) S. Paulus docet eum « *in omnibus primatum tenere* » (*Col.* 1. 18), « *omnia habere sibi subjecta* » (*Hebr.* 2. 8), ideoque « *regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus* » et « *tradat regnum Deo et Patri* » (*1 Cor.* 15. 25 et 24). — E) S. Joannes vocat eum : « *princeps regum terrae, dominus dominorum et rex regum* » (*Apoc.* 1. 5 ; 17. 14 et 19. 16).

2° *Ratio datur illius regiae potestatis.* A) Ratio ultima est *unio naturae humanae cum divina persona,* cujus participat, quantum pos-

sibile est ac utile suae missioni, tum dignitatem tum potestatem in universum genus humanum. Hoc sensu dici potest rex *jure nativo*, seu qua Filius Dei est. — B) Rex etiam est *jure acquisito, per redemptionem*, quatenus omnes homines, suo sanguine, « *eripuit de potestate tenebrarum et transtulit in regnum* » suum. (*Col.* 1. 13). — C) Accedit multorum devotio voluntaria, quae eum sibi elegerunt in caput et in ducem, ad cujus stent omnia beneplacita (Cf. Leo XIII : *Encyclica* « *Annum sacrum* », *data die* 25 *maii* 1899).

3° *Rex omnium excellentissimus est*, sive considerentur regis ipsius attributa : sapientia, bonitas, potentia, divitiae, etc ; sive regni ejus amplitudo, duratio et finis : « Christo sunt omnia subjecta quantum ad potestatem, quam a Patre super omnia accepit ; nondum tamen sunt ei omnia subjecta quantum ad executionem potestatis : quod quidem erit in futuro, quando de omnibus voluntatem suam adimplebit, quosdam quidem salvando, quosdam autem puniendo » (III, q. 59, a. 4, ad 2[m]).

539. II. **Rex est spiritualis**, id est, cujus potestas versatur essentialiter et primario circa spiritualia, exercetur mediis praesertim spiritualibus et ordinatur tota ad bona spiritualia. Hoc ipse aperte declaravit coram Praeside Romano ubi, « propter Pilatum, qui credebat Christum affectare regnum terrenum », professus est « *regnum suum non esse de hoc mundo* » et « modum atque rationem regni sui ostendit dicens : *Ego in hoc natus sum et ad hoc veni in mundum ut testimonium perhibeam veritati* » [1]. Idem eruitur ex fine missionis ejus, qui est homines ad Deum convertere ut illum « *adorent in spiritu et veritate* ». Regnat enim Christus ad statuendum « *regnum Dei* » in genere humano : quod non excludit, sane, includit econtra media etiam materialia necessaria aut utilia ad finem hujusmodi assequendum, at non fit formaliter nisi cordium illuminatione et perfecta ad Deum conversione tum singulorum hominum tum societatum omnium humanarum. Definitur propterea regnum Christi, in praefatione sui festi : « *Regnum veritatis et vitae ; regnum sanctitatis et gratiae ; regnum justitiae, amoris et pacis* ».

540. III. **Rex temporalis**, id est, cujus potestas versetur etiam circa temporalia per seipsum aut per suos disponenda, ordinanda, judicanda.

1° *Potestatem indirectam* in temporalia, et tam late se extendentem quam istorum ad spiritualia utilitas et ordinatio, omnibus admit-

(1) S. Thomas : *In evang. Joannis.* 18, *lectio* 6, n° 4 et 9.

tendum est : « Cuicumque enim committitur principale, committitur et accessorium. Omnes autem res humanae ordinantur in finem beatitudinis, quae est salus aeterna, ad quam homines admittuntur, vel a qua etiam repelluntur judicio Christi. Et ideo manifestum est quod ad judiciariam potestatem Christi pertinent omnes res humanae »(a.4).

2° *Potestatem vero directam* in temporalia Christum non habuisse *in actu secundo,* id est, non exercuisse, omnes concedunt : « Christus, quamvis esset rex constitutus a Deo, non tamen in terris vivens terrenum regnum temporaliter administrare voluit ;... similiter etiam judiciariam potestatem exercere noluit super res temporales, qui venerat homines ad divina transferre » (*ibid., ad* 1^m^).

Utrum vero in temporalia directam habuerit *in actu primo* — non titulo sane humano, sed titulo unionis hypostaticae — controversia fuit olim quoad verba :

Negare videtur S. Thomas, ubi exponit Christum, dicendo regnum suum non esse de hoc mundo, « removisse falsam suspicionem, [qua] Pilatus credebat eum affectare regnum terrenum, quo corporaliter, sicut et homines terreni, regnaret », nam « rex non erat eo modo quo Pilatus intellegebat » (*In Joan.* 18, *lect.* 6^a^, n. 4 et 8) ; item, ubi approbat dictum S. Ambrosii contradistinguentis regnum spirituale, quod habuit Christus, a regno saeculari, quod non habuit : « *Non saeculari honore regnavit ;* ipse enim dixit : *Regnum meum non est de hoc mundo* »[1]. — Negavit pariter B. Bellarminus (*De Rom. Pontif.,* l. V, cp. 4-5 ; *Recognitiones in h. l.*) et alii, quos videas apud Pesch. n. 568.

Affirmant econtra Molina : *De just.* t. I, *tr.* 2, *disp,* 28, n° 16 ; Suarez : *De Incarn. disp.* 48, s. 2, n° 7 ; Lugo : *disp.* 30, s. 1, n° 4, et alii. Probant autem : a) Scriptura suadente, quatenus Christo « *data est omnis potestas* » et Christus dicitur « *Rex regum et Dominus dominantium* ». — b) Ratione theologica, nam : — α) Filius Dei, etiam ut homo, particeps est potestatis Patris, proindeque dominus omnium. — β) Neque vana fuit illa dignitas, siquidem erat illi debita et occasio fuit ei majoris gloriae, cum illam parvi fecerit. — γ) Exinde non sequitur reges terrenos jam non esse nisi usurpatores aut vicarios Christi, siquidem pergunt uti jure suo cum consensu Christi, qui eam potestatem nec voluit per seipsum exercere nec transmisit Summo Pontifici.

(1) III, c. 31, a. 2, ad 3^m^. Nec contradicit ubi (q. 59, a. 4, ad 1^m^) dicit Christum ita esse « regem constitutum a Deo », ut « illi conveniat judiciaria potestas quantum ad omnes res humanas ». Nam, ex corpore articuli, constat res humanas intellegi judicandas quatenus « ordinantur ad finem beatitudinis ; hoc autem pertinet ad potestatem potius indirectam.

Quoad rem tamen, dissensus non erat, siquidem non tantum omnes admittunt Christo, qua homini specificative, competere eam ipsam in temporalia directam et universalem potestatem, quae Dei propria est, sed etiam omnes agnoscunt humanae naturae, qua tali, excellens quoddam dominium, quod alii volunt, alii nolunt vocari regnum terrenum [1].

541. Pius XI autem (*loc. cit.* p. 600), omissa omni distinctione, potestatem simpliciter affirmat in actu 1° et negat in actu 2° : « Turpiter erret, qui a Christo homine rerum civilium quarumlibet imperium abjudicet, cum is a Patre jus in res creatas absolutissimum sic obtineat, ut omnia in suo arbitrio sint posita. At tamen, quoad in terris vitam traduxit, ab ejus dominatu exercendo se prorsus abstinuit, atque, ut humanarum rerum possessionem procurationemque olim contempsit, ita eos possessoribus et tunc permisit et hodie permittit. In quo perbelle illud : *Non eripit mortalia, qui regna dat caelestia* ».

II

DE CAUSA FINALI INCARNATIONIS

THESIS XLI — Etsi redemptio generis humani probabiliter est solus finis adaequatus Incarnationis, tamen, — quia Christus decretus est esse de facto caput et finis omnium, et in eo ordine, in quo Dei benignitas quam maxime elucet, Deus vix concipi potest decernens mundum ruina generis humani foedandum quin simul decreverit eum per Christum nobilitari ac reparari, — probabilius videtur Christum esse ex cujus amore creatio mundi hujusmodi decreta sit, ac finem proinde Incarnationis adaequatum complecti tum redemptionem generis humani tum et primario Christi ipsius excellentiam et gloriam.

542. Praenotanda. — I. **De fine in genere.** 1° *Finis est id cujus gratia* aliquid fit, seu ad quod aliquid ordinatur. Ordinatio porro illa potest esse vel in ipso operante vel ipsius operis. Distinguitur

(1) Suarez v. gr. (*loc. cit.*) non vindicat Christo nisi « excellens quoddam dominium et potestatem in res omnes creatas », ita ut « *eminenter* habeat omnem potestatem et dominium, quod habent reges temporales ». — Bellarminus porro hoc admittit et negat tantummodo hoc apud Patres vocari regnum temporale aut terrenum : « Si ii, qui regnum temporale Christo tribuunt, per regnum temporale nihil aliud intellegant nisi dominium universale, quod non tollit particularia, et eminentem potestatem disponendi de rebus temporalibus, in sententia convenimus, et solum de verbis disceptamus. Et ego quidem libros veterum Patrum ea qua potui diligentia evolvi, et legi non raro Patres negantes Christi regnum temporale aut terrenum ; affirmantes autem id ipsum non legi » (*Recognitiones, in De Rom. pont.* V. 4, *ed.* Ingolstadt. 1608, p. 35).

propterea finis operantis et finis operis. *Operantis* finis est, quem operans ipse operando intendit et cujus amor seu voluntas ei est causa aut saltem ratio operandi aliquid. *Operis* finis est, ad quem opus re vera confert sive ex natura sua sive ex ordinatione ab operante accepta : horologium v. gr. ex natura sua finem habet signandi tempus; mundus a Deo creatus habet, ex Dei ordinatione, finem manifestandi bonitatem ejus.

Id autem, cujus gratia aliquid fit, potest distingui objectivum et subjectivum : quae est distinctio finis *qui* et finis *cui*. Finis *qui* est *bonum quod* intenditur ; finis *cui* est *subjectum cui* illud bonum intenditur.

Quaestio hic est directe : — A) de fine *operantis,* id est, de bono quod Deo est ratio — non causa — volendi Incarnationem ; — B) de fine *qui,* id est, quaeritur directe bonum quod Deus intenderit per Incarnationem consequendum. At eo ipso assignabitur etiam finis *operis* et finis *cui* : assignabitur scilicet tum bonum, ad quod tum ex natura sua tum ex Dei intentione Incarnatio ordinatur, tum subjectum, cui illud bonum intenditur. Prout enim affirmabitur finis *qui* esse redemptio hominis vel gloria Christi, eo ipso dicetur finis *cui* esse homo vel Christus, ita ut, pro selecta hypothesi, finis Incarnationis dicendus sit simpliciter esse homo redimendus vel Christus glorificandus.

2° Praeter praemissas distinctiones, opportune distinguitur etiam *finis totalis* seu *adaequatus* et *finis partialis* seu *inadaequatus*. Adverte vero finem partialem et inadaequatum posse esse modo finem *mere accessorium,* modo finem *sine quo* res *non* intenderetur. Suppone v. gr. regem, cui hostes casum belli praebeant. Habet filium, quem gloria militari coronari et quasi consecrari cupit. Non propterea tamen quaereret bellum, sicut nec, deficiente cura filii glorificandi, admitteret nunc fieri bellum. Concursus tamen utriusque rei motivum est, propter quod bellum suscipit et filium suum exercitui praeficit. Ejusmodi *belli finis totalis* et *adaequatus* dici potest neque defensio patriae contra hostes, neque gloria filio procuranda sed complexus duorum, ita ut *utrumque* sit *belli suscepti finis inadaequatus sine quo non*. Quod si comparationem inter utrumque instituere tibi placeat, si forte putes regi magis esse cordi gloriam filii quam salutem patriae, dices gloriam filio procurandam esse *primario* et *propter se* intentam, salutem vero patriae secundario et quidem tum propter se tum propter gloriam filio inde orituram' (Cf. Tanner : *De Incarn.* q. 1, *dub.* 6, n° 199-200).

543. II. **Status quaestionis.** — 1° *Non quaeritur Incarnationis finis ultimus :* patet enim illum esse gloriam Dei. Ideoque, nato Chris-

to, canunt Angeli: *Gloria in excelsis Deo*. Sed, posito facto omnium rerum ordinationis ad Christum, quaeritur *utrum ordinatio hujusmodi sit praestituta ipso creandi decreto an consequenter tantum ad decretum de homine lapso per Christum redimendo.*

Priori in hypothesi, Christus fuerit absolute in initio viarum Domini, quatenus ipse fuerit ante omnia decretus et praevisus ut caput omnium, proindeque etiam Adami non peccantis, et tunc ipse propter suam excellentiam dici deberet primus a Deo intentus tanquam *finis qui* tum Incarnationis tum creationis. — *In hypothesi altera,* creaturae, Adamus in specie, non fuerint creatae in ordine ad Christum, quippe qui, ex hypothesi, nondum esset decretus ; actualis proinde ordinatio creaturarum ad Christum non fuerit ab initio instituta sed consequenter tantum ad decretum de reparando peccato per Christum, proindeque « *finis cujus gratia* » Incarnationis esset, non jam ipsius Christi excellentia, sed generis humani Redemptio. Hinc apparet quo sensu quaestio ponatur de fine proprio et proximo Incarnationis.

2° Quaeritur autem quis sit finis *specialis sine quo non* esset decreta Incarnatio. Dari enim possunt fines accessorii et concomitantes, qualis v. gr. erit vel hominum utilitas et salus, si quis admittat finem totalem primarium esse solam Christi gloriam, vel excellentia Christi et gloria, si quis admittat finem totalem primarium esse solam hominis restaurationem.

544. 3° Quaeritur, *non qui finis intendi* POTUISSET, *sed quis,* RE VERA, *intentus sit.* Agitur enim de nostro ordine, non de alio possibili ; non quaeritur scilicet utrum, Adamo non peccante, Deus *potuisset* decernere Incarnationem — hoc enim est extra controversiam — sed utrum, re vera, Deus eam decreverit *antecedenter* ad decretum quo, permisso Adae peccato, decrevit illud reparare.

Hic forte quaeras quo sensu sermo esse possit de decreto *antecedente,* cum Deus ab aeterno omnia simul unicoque actu decreverit. Et, re vera, anterioritas de qua hic non est nisi secundum nostrum intellegendi modum. Nos enim, ut possimus apprehendere connexionem quae, ex voluntate Dei, intercedit inter varia elementa nostri ordinis actualis, distinguimus in tota illa serie rerum instantia seu *signa,* quae dicuntur, *rationis.* Non pro lubitu sane ea sunt multiplicanda ; jure tamen tot distingui possunt quot, secundum nostrum concipiendi modum, distingui possunt in Deo actus sibi logice succedentes. Sic, v. gr. distinguere possumus, signum scientiae tum *simplicis intelligentiae* tum *mediae* ut antecedens actum voluntatis divinae ; non possumus econtra distinguere signum in quo decernatur S. Paulus conversus antecedenter ad signum quo decretus est Christus.

Hinc apparet quo sensu dici soleat : « *Si Adam non peccasset, Incarnatio tamen fuisset, vel, non fuisset* ». Sensus assertionis non est simpliciter : « Si A. n. p., Deus decrevisset, vel, non decrevisset Incarnationem » : hoc enim modo loquendi significari videretur Redemptionem non esse finem Incarnationis Deo possibilem, vel econtra esse solum finem Deo possibilem : quod, saltem ultimum, nemo putat. Sensus igitur est : « Dato decreto creationis et elevationis Adami ad finem supernaturalem, Incarnatio non facta fuisset, vel, facta tamen fuisset, quia Deus eam re vera non praevoluerat, vel, praevoluerat antecedenter ad praevisionem tum lapsus Adami tum decreti de restaurando genere humano » [1]. Unde jam patet quaestionis positae solutionem pendere ab hac alia : *utrum admitti possit signum rationis, in quo Deus permiserit lapsum Adami, cum consectariis pro toto genere humano, quin jam decreverit hominem restaurari per Christum.*

545. III. Sententiae exponuntur.

Prima sententia tenet finem adaequatum Incarnationis esse *solam* Redemptionem generis humani. Christus non sit decretus nisi consequenter ad decretum de homine redimendo, ita ut, si determines, in nostro ordine, signum rationis in quo nondum videas nisi decretum de Adamo creando, adhuc tibi dicendum sit : Christus non veniet. — Nec propterea negatur Christum esse de facto caput omnium, et ad Christi gloriam omnia, etiam redemptionem, ordinari ; sed haec ordinatio non censetur decreta nisi in signo consequente ad decretum de restauratione generis humani [2].

Secunda sententia tenet finem adaequatum esse ipsam Christi excellentiam, gloriam Christi et per Christum Deo exhibendam, perfectionem universi ad Christum ab initio ordinati... Quare, etiam Adamo non peccante, venisset Christus, sed in carne impassibili et gloriosa. Ubi vero decreta est hominis restauratio, et quidem per Christum, Christus decretus est venire in carne passibili, ita ut etiam redemptio redundaret in ejus gloriam [3].

(1) Aliis verbis, quaeritur utrum Deus, ex vi praesentis decreti, quod habuit de Incarnatione, spectato proprio fine et motivis quibus ad eam decernendam fuit quasi inductus, fuisset incarnandus, etiamsi Adam non peccasset.

(2) Ita, cum S. Thoma (III, q. 1, a. 3) et S. Bonaventura (*in* 3, *dist.* 1, a. 2, q. 2) theologi communiter, praeter scotistas.

(3) Haec sententia, etsi jam admissa ab Halensi (*Part.* III, q. 2, m. 13), Alberto *M.* (*in* 3, *dist.* 20, a. 4) et aliis, quorum argumenta videre est apud S. Thomam (*in* 3, *dist.* 1, q. 1, a. 3), vocatur tamen Scoti, quia Scotus firmius pro ea argumentum proponit (*in* 3, *dist.* 7, q. 3, § 3 ; *report. paris.*, in 3, dist. 7,

546. Tertia sententia, a Suarez proposita, priores conciliare nititur. Censet duplicem esse finem *divisive* totalem : *unum absolutum,* gloriam scilicet Christi seu excellentiam mysterii, sed obtinendam modo perfectissimo ; *alterum hypotheticum,* Redemptionem, si occurrerit Adami peccatum : quod si hic sibi permissus non peccasset, Christus venisset ob finem priorem. Hinc, in signo anteriori ad signum, in quo videtur Adam decretus, jam decretus est Christus venturus modo optimo possibili, ita ut, si, in subsequentibus signis, reparatio lapsus decernatur, jam in antecessum decretus existat Christus ut Redemptor. Proinde, in signo, quo jam decernitur reparatio hominum per Christum, non tunc decernitur ut Redemptor Christus, qui antea decretus sit ut simpliciter Christus, sed tunc verificatur tantum conditio posita. Igitur dici possit : si non peccasset Adam, non venisset — ex praesenti quidem decreto — Christus qui venit, siquidem non venisset ut Redemptor, sed tamen Christus venisset ex praesenti decreto, nam decretum, vi cujus Christus de facto venit, decreverat Christum pro utraque hypothesi (*Incarn. disp.* 5. s. 2, n° 13 ; s. 4, n° 17. 19 ; s. 5, n° 7. 8. 15).

547. Quarta sententia, a Molina [1] praeformata, conciliat et ipsa duas priores, sed hoc imprimis habet proprium quod : — a) ut fundamentum sumit realem, quae, re vera, existit, rerum omnium et hominum praesertim ordinationem ad Christum ; — b) decretis divinis non inducit illam inversionem aut mutationem, quae aliis sententis communis est.

Tenet enim Christum Redemptorem esse creationis, haud minus ac Redemptionis ipsius, finem adaequatum. Signum proinde rationis non admittit, in quo concipiatur decretus homo lapsurus posterosque se-

q. 4, § 4-5). Eam tenent scotistae in genere et propugnat strenue R. P. Chrysostome : *Christus alpha et omega* (1910) ; *Le motif de l'Incarnation et les principaux thomistes contemporains* (1921). — Consentiunt S. Franciscus de Sales : *Amour de Dieu,* II. 4 et 5, et non pauci recentiores, quibus, quia volebant omnia ab initio instaurata esse in Christo, haec sententia visa est magis exaltare Christum ipsiusque omnimodam praeeminentiam melius manifestare. Ita v. gr. Gay : *Élévations sur la vie de N. S. J. C.* 2e *élév.*, t. I, p. 15 sqq. ; Bougaud : *Le christianisme et les temps présents,* t. III, *dogmes du credo. Épilogue,* p. 500-504 ; P.W. Faber : *Le S. Sacrement,* l. I, s. 3 ; l. IV, s. 1-3 ; Ramière s. j. : *L'apostolat du Sacré Cœur de Jésus, seconde partie, 2e consid. ; Le Cœur de Jésus et la divinisation du chrétien,* ch. I, § 4 et ch. II, § 2 ; *Le règne social du Cœur de Jésus,* 1re partie, ch. I. Item, apud Orientales : Gregorius Palamas et Nicolaus Cabasilas, juxta Jugie in *Échos d'Orient,* 1919, p. 387.

(1) In I, q. 23, a. 5, *disp.* 1, m. 7 (ed. Antuerp. 1595, m. 8) et *append.* ad illud membrum. Cf. Galtier : *Le vrai motif de l'Incarnation,* apud *Nelle Rev. théol.*, février 1911, p. 104 sqq ; item : *Messager du Sacré Cœur,* juin 1922, p. 341 sqq.

cum in ruinam ducturus et nondum decretus sit illius Redemptor. Redemptorem vero dicit esse decretum tum ratione sui ipsius tum ratione muneris ejus redemptivi, ita ut decreti, quo decreta est Incarnatio simul et creatio, finis adaequatus complectatur duos fines inadaequatos : unum, qui sit redemptio generis humani in Adamo lapsuri, alterum, qui sit Christi ipsius tum entitativa excellentia, ut Dei adorator et amator eximius, tum gloria illi obventura sive ex connaturali omnium entium ordinatione ad ipsum, sive ex hominum in specie redemptione atque gubernatione. Finis uterque intendatur ut *finis sine quo non,* at *omnino simul* atque cum aliqua mutua contradependentia : nec Christus enim decretus sit nisi quia in hoc nostro mundo locus praevidebatur fore Redemptioni, nec Adam, qui in hunc mundum peccatum inducturus erat, decretus sit nisi quia praevidebatur per Christum redimendus.

548. Quod ut recte apprehendatur, considerandum est Deum, antequam quidquam de creatione decernat, intueri sua simplicis intelligentiae aut media scientia innumeros entium ordines, quos creare possit ; nec in eis intueri tantum res seorsim sumptas, sed omnes earum inter se habitudines aut connexiones tum naturales seu necessarias, tum ab ipso, pro variis hypothesibus, libere instituendas.

Jamvero, inter alios ordines, intuetur sane unum, in quo Christus esset caput omnium nec Adam peccaret ; at alium etiam intuetur, nostrum scilicet, in quo apparent non tantum angeli et Adamus, si creentur, peccaturi, sed etiam Christus tum de se excellentissimus et dignus qui in omnibus habeat primatum, tum aptissimus per quem homines gloriosissime redimantur.

Duorum porro ordinum illorum Deus re vera delegit secundum. In hujus autem complexu nemo neget eum delectatum esse imprimis contemplatione excellentiae et gloriae Christi, quae proinde *potuerit* illi esse ratio sufficiens decernendi eum ordinem. Non eo ipso tamen constat eam *re vera* fuisse rationem illius decernendi : nam, cum sit liber, potest illum ex alia etiam ratione elegisse, v. gr. ex eo quod homini lapsuro futurus esset Redemptor : etiam ea enim potuit illi esse ratio volendi.

Utrum proinde Deus decreverit, re vera, Christum propter ejus excellentiam an propter redemptionem ab eo faciendam, non potest determinari *a priori tantum. A posteriori* vero, per revelationem scilicet, constat Redemptionem fuisse Christi seu Incarnationis *unum vere finem sine quo non.* Sed non excluditur *partialis alius finis,*

qui ratione exigatur. Jamvero hunc alium finem exigi videtur. Propter rationes scilicet in thesi enunciatas et in demonstratione evolvendas, *decretum de creando Adamo seu mundo actuali apparet subordinandum fuisse voluntati tum Christi excellentiae et gloriae tum Redemptionis per eum faciendae.* Sic porro excluditur illa divinorum consiliorum inversio, quam ceterae sententiae, ex praeviso peccato, inducere debent. Deus enim jam intellegitur uno eodemque decreto Adamum simul et Christum decrevisse, atque ad invicem ordinasse. Illius igitur complexivi decreti ratio adaequata fuerit Christi Redemptoris excellentia et gloria, ita ut Dei decernentis non tantum Incarnationem sed etiam totius ordinis nostri creationem Christus ipse Redemptor dici debeat finis adaequatus [1].

549. Quarta haec sententia prae aliis existimatur probabilis. Minus vulgata, quia non exposita a Molina in quaestione classica de fine Incarnationis, invenitur exposita apud Suarez (*Disp.* 5, s. 2, 3ª opinio) et Arriaga (*De Incarn. tract.* 2, disp. 15, s. 2). Propugnatur a Tanner (*De Incarn.*, q. 1, *dub.* 5, n. 148-149 ; 151 ; 162 ; *dub.* 6, n. 204-208); invocatur a Cornelio a Lapide (*In Eph.* I. 22). Adhaerent, inter recentiores, dom. Gréa : *De l'Eglise : Introd.*, p. 9-10 ; Monsabré : 25 *Conférence ;* R. D. Waffelaert : *Medit. theol.*, pars II, cp. 2, t. I [2] ; Lepin : *L'idée du sacrifice*, 1ᵉ partie, p. 11. Eam Salmanticenses, tacito nomine Molinae, non uno in loco (v. gr. *disp.* 2, *dub.* 1, n. 4 ; 6 ; 25 ; 29 sqq.) optime

(1) Nec propterea eluditur quaestio classica : *Si Adam non peccasset, venissetne Christus ?* Respondetur enim in hac sententia : Non venisset in praesenti ordine, siquidem ordo, in quo Christus non esset Redemptor, non esset ordo noster ; vel : Non venisset, siquidem ex auctoritatibus constat ordinem mundi, in quo Redemptioni per Christum non fuisset locus, non fuisse de facto eligendum a Deo.

(2) P. 651 : « Contemplant en lui-même, de toute éternité, toutes les créatures possibles, toutes leurs actions possibles, ainsi que leur destination possible vers une fin digne de lui et sous la direction de sa providence,... Dieu a connu l'ordre présent... tout entier comme possible *antérieuremeut à tout décret absolu* ». P. 657 . « Tout cet ordre de choses connu comme possible, Dieu le voyait comme l'ensemble le plus parfait et le meilleur, tous ses éléments étant d'une perfection suprême dans leur genre et se rapportant finalement vers un terme d'une perfection absolue, c. à d. vers le Fils de Dieu incarné, réparant et perfectionnant l'ordre troublé pour un instant »... P. 659 : « Dans l'ordre dont nous parlons, tout converge donc vers le Christ : la création, l'élévation à l'ordre surnaturel, la chute permise, tout va vers lui ;... en sorte que l'on peut affirmer en vérité que Jésus-Christ en tant qu'homme est la fin de l'œuvre divine entière ». — Item in *Collationes Brugenses*, 1907, p. 56 sqq ; 1922, p. 7-8 ; 1923, p. 178.

proponunt ac tuentur, etsi profitentur se sequi sententiam primam. Item aliquatenus Lugo : *De Incarn. disp.* 7, s. 2, n. 12 ; 13 et 21 ; Viva : *Item, disp.* 3, q. 1). Nec desunt alii qui, sequentes primam sententiam, ubi se expedire volunt ab argumentis Scoti, ad nostram tacite sententiam plus minusve accedunt [1]. Quod indicio est priores sententias in ea vere conciliari [2].

PARS I. **Redemptio est finis Incarnationis.**

N. B. Haec pars, quae datur ut *mere probabilis,* quatenus est *exclusiva*, admittitur esse *probabilior* et *fere certa,* quatenus *asserit simpliciter* Redemptionem esse vere Incarnationis finem *saltem partialem*. Praeter auctoritatem extrinsecam tum multorum doctorum ei adhaerentium, probatur Scriptura et traditione.

550. 1° **Scriptura,** quae dicit « *Filium Dei* (εἰς τοῦτο) *apparuisse ut dissolveret opera diaboli* » (1 *Jo.* 3. 8) ; « *missum esse a Patre ut salvetur mundus per ipsum* » (*Jo.* 3. 17) ; « *venisse in hunc mundum peccatores salvos facere* » (1 *Tim.* 1. 15) ; ideo « *participasse carni et sanguini ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium* » (*Hebr.* 2. 14). Non sunt quidem affirmationes illae nisi de fine qui, *in executione,* post peccatum, re vera, intentus est ; sed ut admitteretur finem intentum *in ordine primae intentionis* fuisse totaliter alium, per Scripturam etiam constare deberet praevisionem peccati induxisse mutationem illam. Mutatio porro hujusmodi nullatenus constat per Scripturam. Nullibi Christus dicitur fuisse intentus antecedenter ad decretum de creando mundo vel homine.

Inducuntur quidem textus, qui sententiae Scoti favere videantur ; sed vel non sunt ad rem [3], vel non probant intentum.

Alii intellegi debent, aut saltem possunt, de Christo, qua est Verbum aeternum : sic v. gr. *Prov.* 8. 22 ; *Eccli.* 24. 5 ; *Col.* 1. 16-17. — Alii enunciant simpliciter Christum, propter suam eminentem dignitatem, filia-

(1) Sic v. gr. GONET : *disp.* 5, a. 1, § 6 ; BILLOT : *de Verbo incarn.* thes. 2, p. 38-39 ; HUGON : *Revue thomiste* 1902, p. 441 ; L. JANSSENS : *de Deo-Homine, pars* 1, p. 47.

(2) Nec temerarium est putare scriptores illos recentiores, qui Scotum secuti sunt, fuisse ea delectandos, si eam novissent : eam enim Christi praeeminentiam, quam tantopere cordi habent, haud minus tuetur et illustrat. Haud mirum igitur eam admitti etiam tacite ab eximio scholae scotisticae praecone ADEODAT DE BASLY : *Pourquoi Jésus-Christ,* p. 418-419.

(3) Textus : « *decebat eum propter quem omnia et per quem omnia* » (*Hebr.* 2. 10), intellegi debet non de Christo, sed de Deo, qui voluit eum per passionem consumare.

tionem et passionem, esse de facto constitutum a Deo caput et exemplar omnium sive redemptorum sive creaturarum. Hoc porro non est asserere Christum esse decretum prae omnibus creaturis ut earum finis. Nam Christus, quocumque signo decerneretur, simul constituendus erat caput omnium creaturarum. Ex solo igitur facto quod invenitur constitutus omnium caput, non sequitur illum fuisse prae omnibus decretum.

Quoad autem 1 *Cor.* 2. 7 ; *Eph.* 1. 4 ; *Rom.* 8. 29, unde deducitur Christum praedestinatum esse, ideoque intentum, ante omnia, haec satis sit advertisse : a) Agitur de electione et praedestinatione nostra, qui sumus peccatores. Haec autem de se non praerequirit nisi praedestinationem Christi, qua Redemptoris. — b) Christus praedestinatus est, electus est, intentus est ante mundi constitutionem, id est, antequam ceterae creaturae in tempore producerentur, *concedo ;* antequam ab aeterno intenderentur, *nego :* non hoc dicitur. — Christus praedestinatus est quidem ante omnes homines, nam de facto est causa finalis, meritoria, exemplaris praedestinationis omnium hominum, quia Deus non decrevit modo efficaci salutem aeternam ullius hominis, etiam Adami, nisi redempti, proindeque nisi per Christum et consequenter ad ejus praedestinationem. Sed ad hoc sufficit Christum fuisse praedestinatum post praevisum absolute Adami lapsum.

551. 2° **Traditione,** quae explicitius adhuc affirmat hunc esse finem Incarnationis. Patres enim non tantum asserunt, sicut et symbolum Nicaenum, Filium Dei « propter nos homines et propter nostram salutem descendisse de caelis » ; sed etiam aperte *declarant Christum non venturum fuisse nisi fuissent homines redimendi.* Sufficiat aliquos recitari :

S. Athanasius : « Illi facto homini antecedit hominum necessitas, sine qua carnem minime induisset... Non ergo propter seipsum venit, sed propter nostram salutem.... Verbum nequaquam homo factus esset, nisi causa fuisset hominum necessitas » (*Cont. Ar. Or.* 2. 54. 55. 56 PG 26. 262 B ; 263 B ; 267 A).

S. Gregorius Nazianz. : « Quae humanitatis a Deo propter nos susceptae causa exstitit ? Profecto, ut nobis solus pararetur. Quid enim aliud causa afferri possit ? » (*Or.* XXX. 2 PG 36. 106 B).

S. Augustinus : « Si homo non peccasset, Filius hominis non venisset. Nulla causa veniendi fuit Christo Domino, nisi peccatores salvos facere ». (*Sermo* 174, 2 et 175. 1 ; PL 38. 940 et 945). — Alios multos videas apud Petav. II. 17, n. 18.

552. Qui vero *in contrarium afferri solent,* ii vel non sunt ad rem, vel potius confirmant doctrinam communem.

Tertullianus v. gr., dicit Adamum, ubi fingebatur manu Dei, conformatum esse ad imaginem Christi :

« Quodcumque limus exprimebatur, Christus cogitabatur, homo futurus, quod et limus, et caro sermo ; quod et terra tunc. Sic enim praefatio Patris ad Filium : *faciamus hominem ad imaginem,* etc. Et fecit hominem Deus, id utique quod finxit, ad imaginem Dei fecit illum, scilicet Christi... Ita limus ille jam tunc imaginem induens Christi futuri in carne non tantum Dei opus erat sed et pignus » (*De resurrectione carnis,* 6).

Sed hod dicit de Deo *exsequente* jam Adamum, *non de Deo ab aeterno decernente* futurum Adamum. Jamvero dubio non subjacet num, ubi ad executionem ventum est decreti ab aeterno dati, Christus jam, et quidem Christus Redemptor, decretus ac absolute praevisus fuerit, proindeque potuerit menti creatoris obversari. Sed quaestio est num pariter obversatus fuerit menti Dei ab aeterno decernentis Adamum futurum : hoc negat sententia communis, Tertullianus non affirmat.

Nec magis, imo minus ad rem dictum S. Cyrilli Alexandrini :

« Si propterea creatum esse Filium dicunt, ut nos Deus per ipsum crearet, videant in quantam impietatem labantur. Videtur enim hoc pacto ipse propter nos, non vero nos propter ipsum facti esse. Et nos quidem opus ejus, ipse vero operis instrumentum » (*Thes. assert.* XV. PG 75. 257 C).

Ibi enim Filium Dei, quem excludit factum esse propter nos, S. doctor intellegit non Christum seu Verbum Incarnatum, sed Verbum simpliciter seu creatorem : impugnat nempe Arianos, qui volebant de Verbo seu Filio Dei, qua tali, dictum esse in Scriptura : *Deus creavit me.*

Alibi quidem S. doctor dicit Filium Dei, qua Christus est, seu incarnatum, principium ac fundamentum nobis factum esse, et qua talem, principium viarum Domini (*Ibid.* 288 B-C). Sed hoc dicit de Christo praeviso jam qua Redemptor futurus, ita ut factus sit *principium viarum Domini* in ordine, non ad creationem quidem, sed *ad restaurationem generis humani.* Sic enim ipse paulo infra rem explicat : « Deus qui futura novit,... non quando nos facti sumus, tunc primum de nobis deliberat, verum etiam antequam fieret terra, et ante saecula, rerum nostrarum eventus et successus praenovit : et ante saecula *fundavit Filium suum,* quantum ad suam praenotionem attinet, ut nos *super eum aedificati resurgamus in incorruptionem,* qui per praevaricationem in interitum et corruptionem incideramus.... Praevidit atque praefinivit eum, qui propter nos et pro nobis homo futurus esset, hoc est Verbum suum, ut initium viarum et fundamentum reperiatur *instauratae in ipso naturae humanae ad incorruptionem* » (291 B-C). Unde per modum conclusionis (295 B) : « Omnium creator, ait, Christum salutis nostrae fundamentum etiam ante mundi crea-

tionem jecit, ut, cum eam per peccatum labefactari contigerit, iterum in ipso instauremur. Quantum igitur attinet ad consilium et propositum Patris, etiam ante saecula fundatur Christus ; opus vero ipsum suo tempore effectum est, ita exigente rei necessitate. Instaurati enim sumus in Christo adventus ejus tempore, ab aeterno salutis nostrae fundamentum ipsum habentes ».

553. 3° **Ratione,** quae sibi videre videtur tantum mysterium non debuisse fieri nisi ex maxima causa, qualis est satisfactio seu reparatio Deo exhibenda, quam solus Deus incarnatus poterat praebere condignam ; seu, ut ait S. Bonaventura (in 3, *dist.* 1, a. 2, q. 2): « Incarnatio Dei est superexcedentis dignationis, et ideo, cum sit ibi quidam excessus, non fuisset introductum Incarnationis mysterium, nisi praecessisset excessus oppositus per ipsum corrigendus et restaurandus. Unde, nisi Deus ovem suam perdidisset, non de caelo ad terram descendisset ».

554. **Ex ratione tamen difficultates** contra moventur, quae, — etsi eam, qua est assertiva, non excludunt, — tamen, qua est et ipsa exclusiva, faciunt minus probabilem : « Minus consonat rationi », ait S. Bonaventura, *loc. cit.*

Difficultas generalis oritur ex subordinatione, quae videtur admitti, Christi ad homines, quatenus intenditur simpliciter ut medium eorum redemptionis. Quod videtur non tantum Deo et Christo indignum, sed etiam de se involvens contradictionem, siquidem qui ita subordinatur hominibus, tamen admittitur esse hominum caput et finis, per quem ordinentur ad Deum[1].

Respondetur, in illa sententia, homines non ordinari ad Christum nisi *consequenter* ad decretum de sua redemptione, proindeque Chris-

(1) *In forma :* Christus est finis, ad quem homines ordinantur. Ergo homines se habent ad Christum ut media ad finem. Jamvero, hoc posito, illa sententia admittit Deum prius voluisse media quam finem : quod repugnat. Ergo repugnat illa sententia.

Resp. *Dist. antecedens :* Christus est hominum finis : *in signo consequente* decretum quo decreta est redemptio, *conc. ; in signo antecedente, nego,* donec probetur. *Dist. consequens :* ergo homines sunt media ad Christum : in signo consequente decretum de redemptione, *conc. ;* in signo antecedente, *nego,* donec probetur. — *Ad subsumptionem : Dist. majorem :* haec sententia admittit signum, in quo homines, — qui, in signo alio consequenti, erunt media, — intendantur propter se et non propter Christum, *conc. ;* admittit eos, in illo antecedenti signo, intendi prius quam finem, *nego. Contradist. minorem :* Repugnat homines intendi prius quam Christum, in eo signo quo jam ordinantur ad eum, *conc. ;* repugnat admitti signum antecedens, in quo homines — postea ordinandi ad Christum — adhuc intendantur propter se et non propter Christum, *nego,* donec probetur.

tum non fuisse finem eorum creationis ; praeterea admittitur Christum, seu Incarnationem, ex intentione divina, ordinatum esse, ut ad finem suum, ad homines *redimendos ;* sed non eo ipso admittitur homines, ubi jam ad Christum ordinantur, adhuc *intendi* ut ejus finem, nam homines ordinantur ad Christum, non praecise qua redimendi, sed *qua jam redempti*. Eorum ordinatio ad Christum consequitur decretum de ejus munere redemptivo ; sed hoc non excludit eos, *qua nondum redemptos,* seu in signo anteriori consideratos, haberi ut finem *cujus gratia* decernatur Christus futurus ; a fortiori non excludit signum concipi, in quo, nondum decreta eorum redemptione, nondum ad Christum habeant relationem ullam.

555. Dices : Christus tamen, in illa sententia, *non est nisi bonum occasionatum*, siquidem non est decretus nisi occasione peccati Adami. Jamvero hoc est de se inverosimile, et implicat ens melius ordinari ad bonum minus, quod est inconveniens.

Resp. : Scotus utique hoc existimat inverosimile, quatenus tantum bonum ordinaretur ad minus bonum. « Si lapsus [Adami] esset causa praesdestinationis Christi, sequeretur quod summum Dei opus esset occasionatum tantum, quia gloria omnium non erit tanta intensive quanta erit gloria Christi ; et quod tantum opus dimisisset Deus propter bonum factum Adae, [nempe], si non peccasset, videtur valde irrationabile » (*Report. parisien., in* 3, *dist.* 7, q. 4, n. 4).

Thomistae vero *concedunt* Christo aliquatenus futurum fuisse gloriosius intendi et praevideri ante omnia, ita ut angeli v. gr. accepissent gratiam et gloriam propter illum. At, aiunt, haec esset tantum gloria quaedam accidentalis major, quam, Scriptura teste, Deus non videtur illi voluisse. Nec quidquam est repugnantiae in hoc quod Incarnatio dici possit bonum occasionatum. Nam, si bonum occasionatum intellegatur bonum ortum ex occasione *praeter intentionem agentis,* negatur suppositum. Sin autem intellegitur bonum quod Deus, re vera, non decrevit nisi sumpta occasione ex peccato, *sic conceditur* esse occasionatum, *sed non videtur esse ullum inconveniens* (Billot, p. 40). Quod enim obtenditur inconveniens, tantum scilicet bonum ordinari ad genus humanum, id non daretur nisi Christus ordinatus esset ad genus humanum tanquam *ad finem ultimum*. Jamvero non est ita ordinatus nisi tanquam ad finem intermedium. Ceterum non adeo inauditum est bonum majus ordinari secundum quid ad minus : nonne angeli v. gr. ordinantur ad hominum custodiam ? Nonne, et in ipsius Scoti sententia, actus Christi, qui certe sunt valoris transcendentis valorem totius generis humani,

aliquando ordinantur ad nostram salutem ? — Falsum praeterea est Incarnationem non ordinari nisi ad genus humanum, cum de facto et ipsa Redemptio ordinetur ad gloriam Christi.

N. B. tamen, in nostra sententia, praecaveri omnem speciem illius incommodi.

DICES ITERUM : Ex hac sententia sequitur homines magis *diligi* a Deo quam Christum. RESP. : negando consequentiam. Aliud enim est *praedilectio,* aliud *praeelectio,* sicut et alius ordo dignitatis, alius ordo intentionis : dignitas fundat dilectionem, non imperat electionem ; nisi adsit necessitas ad optimum, non necessario eligitur seu decernitur prius quod magis diligitur. — Addo tamen Christum, ubi jam decernitur, jam diligi a Deo plus quam cetera, ideoque ad eum cetera ex tunc ordinari.

556. INSTABIS : *Deus non potuit velle Adamum, nondum volito Christo,* seu *non potest admitti signum, in quo Deus decreverit Adamum, nondum decreto Christo.* Quod probat Scotus (*in* 3, *dist.* 7, q. 4) ex eo quod ordinate volens prius vult quod est fini propinquius. Atqui Christus est fini propinquior quam Adamus, seu immediatius attingit Deum quam Adamus. Ergo Deus vult prius Christum. Sed audi ejus verba in *Report. parisiens.*

« Omnis ordinate volens primo vult finem deinde immediatius illa quae sunt fini immediatiora ; sed Deus est ordinatissime volens ; igitur sic vult : primo vult se et omnia intrinseca sibi ; immediatius [autem], quantum ad extrinseca, est anima Christi ; igitur ad quodcumque meritum et ante quodcumque demeritum, praevidit Christum sibi esse uniendum in unitate suppositi... Dico igitur sic : Primo Deus diligit se ; secundo diligit se aliis... ; tertio vult se diligi ab alio, qui potest eum summe diligere... ; et quarto praevidit unionem illius naturae quae debet eum summe diligere » (*In* 3, *dist.* 7, q. 4, n. 4-5).

RESP. : Hoc est argumentum Scoti fundamentale, cui tanta vis esse videtur ut multi ab eo non se expediant nisi multa ei concedendo.

557. Em. BILLOT, v. gr., ad illud evacuandum, fingit Scotum in eo esse deceptum quod transtulerit in ipsam divinam volitionem ordinem prioritatis et posterioritatis, qui in solis objectis praevisis et praevolitis invenitur, cum econtra in actibus divinis nullus sit ordo naturae, sed Deus uno simplicissimo actu simul velit et permittat omnia sibi succedere eo ordine anterioritatis et causalitatis, quo sibi re vera succedunt, quin tamen apud eum sit ullus ordo causalitatis, ex quo unus suus actus in alterum influat (*Thes.* 3, ad 1[m]).

Quae jam fictio haud scio an multis videatur gratuita : quis enim

putet Scotum latuisse eum, quem in Dei volitione ponit, ordinem esse tantum juxta nostrum concipiendi modum ? Sed ulterius progreditur Eminentissimus : concedit enim, stando in consideratione volitorum eorumque inter se ordinatione, Christum esse *priorem in ordine causae finalis,* et hoc, « quia ipse est, *cui tanquam fini omnes assimilari* debemus et in cujus gloriam redundat nostra redemptio ». Quod sane factum nemo negat : haec nostra ad Christum ordinatio oritur ex ipso facto quod est Deus-Homo et nos redemit, atque ita est juxta Dei voluntatem ut, decreto Christo Redemptore, Deus nequiret illam non velle. At hic est finis *redemptorum* non autem *Redemptoris ;* a fortiori non est *finis operantis Incarnationem,* de quo tamen praecise questio erat. Videtur ergo Em., impugnando Scotum, vel a quaestione paululum deflexisse vel non omnino sibi constare. Nam, etiam stando *in consideratione volitorum,* non apparet qui possit ille dicere Christum esse « priorem in ordine causae finalis », cum in *thesi* professus sit « incarnationis opus ordinatum esse a Deo in remedium contra peccatum ». Hoc enim est proprie *causa finalis operis,* ad quod opus *ab operante* ordinatur. Jamvero, ex concessis, non Christus sed *homo est, ad quem* a peccato sanandum opus Incarnationis ordinatum est a Deo.

558. Scoto plura adhuc concedit Gonet (*Clyp. theol. thomist.: De Inc. disp.* 5, a. 1). Etsi enim profitetur (§ 1-4) Christum non venturum fuisse, si homo non peccasset, tamen (§ 6) « dicit quod, *ordine intentionis, prius fuit volitus Christus quam omnia alia... et quam permissio peccati* » (n° 52). « Inconveniens [enim], pergit, videtur dicere Christum fuisse a Deo minus dilectum quam remedium peccati, seu genus humanum ut redimendum. Ergo *genus humanum non est finis qui, seu cujus gratia, prius a Deo intentus,* sed potius ipse Christus in mente et intentione Dei talem prioritatem in genere causae finalis obtinet » (n° 56). Quod quomodo constet cum thesi de Redemptione ut fine adaequato Incarnationis haud pauci forte non videbunt. Quae vero addit Gonet, ut non omnia concedat Scoto, haud magis efficacia apparent. Distinctione enim facta inter finem *qui* et *cui,* ait :

« Licet Christus prius fuerit praevisus et intentus in ratione *finis qui...* quam peccatum intelligatur esse permissum a Deo, tamen, prioritate *finis cui,* prius volitum fuit remedium peccati, seu genus humanum ut redimendum, quam fuerit praevisa et volita Incarnatio » (n° 52).

Jamvero quaestio statim exsurgit quomodo Christus possit intendi homini ut *fini cui* in eo signo, in quo dicitur intendi priusquam peccatum intellegatur permissum a Deo ? *Finis cui* enim dicitur subjectum, *cui* intenditur bonum intentum ut *finis qui,* nec potest concipi intendi *finem qui* quin adsit subjectum *cui,* ut *fini cui,* intendatur. In eo autem signo ubi Christus con-

ceditur intendi propter seipsum, nondum permisso peccato, subjectum, *cui* intendatur, non potest assignari homo redimendus. Et, re vera, in eo signo Christus ipse est, *cui* intenditur haec ejus excellentia et gloria, quae dicitur intendi ut *finis qui,* proindeque, ex concessis, Christus est prior homine in ratione *finis cui* sicut et in ratione *finis qui.*

Nec magis ex data distinctione occurritur difficultati Scoti, si applicatur homini. Nam, in eo signo — alio sane ac praecedenti — ubi homo dicitur esse prior in ratione *finis cui,* Christus non manet prior in ratione *finis qui.* In eo enim signo, id quod intenditur homini non est jam Christus sed ipsa redemptio, proindeque in eo signo ne ut *finis qui* quidem Christus intenditur, sed intenditur et ordinatur simpliciter ut *quo* procuretur homini ea liberatio a peccatis, cujus gratia intenditur.

559. *Solvendum ergo manet argumentum Scoti,* et solvi, re vera, forte nequit *quoad id quod simpliciter asserit,* Christum scilicet esse tantae excellentiae ut decerni nequeat per modum meri medii sed decerni debeat, si decernatur, propter seipsum. At *exclusivum* etiam est : vult enim Incarnationem non potuisse decerni nisi prius quam cetera omnia. Porro hoc est probare nimis. Et revera principium ejus excedit, ubi ponit eum inordinate velle, qui non volit prius id quod propinquius sit fini ; hoc enim dici nequit nisi de eo qui necessario velit optimum. Is autem, cui liberum est non eligere optimum, omnino potest, si illi placet, non velle prius id quod immediatius est fini, proindeque non ex hoc solo capite excluditur prima sententia.

Manet tamen ex hoc argumento Scoti eam valde vacillare, saltem quatenus est exclusiva, quatenus scilicet asserit finem adaequatum Incarnationis esse Redemptionem solam, et excludit illum *complecti etiam Christi ipsius excellentiam et gloriam.*

Hinc quarta sententia quam probat secunda pars theseos.

Pars II. **Finis adaequatus Incarnationis complectitur etiam excellentiam et gloriam Christi.**

560. 1°. **Hic secundus finis non excluditur Scriptura aut traditione.** Scriptura enim et Patres, ubi assignant Redemptionem ut finem sine quo non, non ideo excludunt alium, qui sit et ipse, etsi non adaequatus seu sufficiens, tamen sine quo non. — Nec eum excludunt reticendo, nam non erat cur indicaretur, cum ex, una parte, hic sit finis, non extrinsecus seu pendens ex libera Dei voluntate, sed intrinsecus, non divinandus sed intellegendus ex natura rei ; ex alia vero parte,

Scriptura et Patres non soleant omnia Dei motiva indicare, abstineant potius ab indagandis ultimis Dei consiliis, nec insistant nisi in eis quae magis apta sint ad inculcandam hominibus gravitatem peccati atque Dei in nos misericordiam et benignitatem.

561. 2°. **Imo suadetur auctoritatibus,** quatenus, ubi Christus dicitur esse « *primogenitus omnis creaturae,.. per quem et in quo omnia creata sunt,* », ita ut « *ipse sit ante omnia, primatum in omnibus, etiam* [*in angelis*], *teneat* » (*Col.* 1. 15-20) et nos « electi simus in ipso *ante mundi constitutionem* » (*Eph.* 1. 4), — textus hujusmodi, etsi non probant sententiam Scoti, tamen habent aliquam *vim suasivam,* cujus in nostra sententia ratio habetur plenissime, siquidem, in ea, Christus est, a quo propter seipsum volito pendet totius ordinis nostri volitio et creatio.

Item textus supra citati Tertulliani et S. Cyrilli Alexandrini.

S. Irenaeus imo, explicando sensum quo Adam dictus sit « typus futuri », ad verbum fere enunciat sententiam nostram. Adamum vult ideo creatum esse salvandum quia Filius Dei praeexstiterit ab aeterno Salvator : « A Paulo [*Rom.* 5. 14] *typus futuri* dictus est ipse Adam, quoniam futuram circa Filium Dei humani generis dispositionem in semet ipsum fabricator omnium Verbum praeformaverat, *praeformante Deo primum animalem hominem,* videlicet, *ut a spiritali salvaretur. Cum enim praeexsisteret salvans, oportebat et quod salvaretur fieri, uti non vacuum sit salvans* »[1] (*Haer.* III. 22, 3 PG 7. 958 B).

Scriptura praeterea et traditione constat Christum venisse, re vera, ut totius mundi caput. Jamvero Christus omnino dici debet decretus ab aeterno qualis venit in tempore. Ergo...

Objicitur quidem signum, in quo ut talis decretus est, consequens

(1) Opponi posset aliud S. Irenaei verbum, quod recitari solet pro prima sententia : « Si non haberet caro salvari, nequaquam verbum Dei caro factum esset. Et, si non haberet sanguis justorum inquiri, nequaquam sanguinem habuisset Dominus » (*Haer.* V. 14, 1 PG. 7. 1161 A). Sed ex contextu patet non agi ibi de necessitate ut caro et sanguis, seu homines, salventur. S. Doctor, contra gnosticos, qui excludebant a salute corpus humanum, vult demonstrare exclusionem hujusmodi non esse prolatam a S. Paulo ubi ait : « *Caro et sanguis regnum Dei possidere non possunt* » (1 *Cor.* 15, 50). Ad probandum autem carnis et sanguinis substantiam *posse salvari,* imo *salvatum iri,* seu, ut ipse ait, « habere salvari », argumentum sumit ex facto quod Dominus veram carnem et sanguinem sumpsit. Incarnationis igitur factum ibi argumento est, non necessitati salvandi homines, sed possibilitati aut futuritioni salutis pro ipsorum corporibus.

esse ad signum, in quo, decreto jam Adamo ac permisso peccati, decreta est redemptio. At ea est argumentatio, quae jam non est ex Scriptura aut traditione. Objectio proinde assumit rationis etiam esse aliquid in hac re determinare. Hoc jam igitur fieri liceat.

562. 3°. **Ratione exigitur**, et quidem duplici argumento.

Primum argumentum oritur ex facto, quod Christus sit, re vera, caput et finis, ad quem, re vera, homines et omnia ordinantur: quod evidenter supponit signum rationis posse statui, in quo decreta sit illa ordinatio. Signum porro, in quo Christus decretus est omnium entium caput et finis, repugnat statui *posterius* signo quo illa entia ipsa decreta sunt. Ratio est, quia repugnat signum statui *anterius*, in quo, nondum decreto Christo, decreta sint alia entia ad illum postea quidem ordinanda at nondum ordinata.

Etenim, in illo anteriori signo, Deus concipi nequit *adhuc ignorasse se postea decreturum esse Christum, cui ex tunc ordinentur*. Primo enim Dei voluntatis actui concipi nequit non praeivisse omnem ejus scientiam futuribilium. Prius igitur quam decernat creare Adamum, Deus novit eum, si creetur, peccaturum; novit etiam se illi, si peccaverit, subventurum esse per Christum. In eo proinde signo, quo Deus fingitur, nondun decreto Christo, decrevisse Adam, Deus omnino dici debet jam nunc scivisse se esse decreturum Christum ut caput, ad quem entia nunc creata ordinentur.

Jamvero, repugnare videtur Deum hoc jam *nunc* scivisse nec tamen jam *nunc* decrevisse id quod sciebat se *tunc* decreturum. Omnis enim, qui entibus a se *nunc* factis et ordinandis non dat *nunc*, pro suo libero arbitrio, ordinationem quam jam novit se *mox* illis *necessario* daturum, jure dicatur inordinate procedere. Jamvero ita Deus in hypothesi. Christum jam novit non tantum sibi amabilissimum et aptissimum, qui entibus jam nunc ordinandis praeficiatur, sed etiam, — quia novit eum mox re vera decretum iri, — necessario, pro sua dignitate, a se illis praefectum iri in caput ac finem; et tamen illis entibus nunc, pro suo mero arbitrio, assignat finem ab illo prorsus independentem, quem jam nunc novit mox mutatum iri. Jure igitur, in illa hypothesi, Deus dicitur induci inordinate procedens: quo significatur induci inordinate signum rationis, in quo Deus Adamum, quem jam novit lapsurum et a Christo redimendum proptereaque ad Christum ordinandum, ordinet ad finem a Christo prorsus independentem, quem tamen jam novit mox mutandun et invertendum.

Inordinatio, quam decretis divinis inducit processus hujusmodi, non est, ut voluit Scotus, in hoc quod non eligatur prius ens dignissimum aut simpliciter dignius, sed in hoc quod, cum jam sciatur mox eligendum et aliis praeficiendum, nondum tamen eligatur nec illius ratio habeatur in statuenda aliorum ordinatione, quae jam scitur mox invertenda.

563. *Secundum argumentum* ducitur et ipsum ex universali illa Dei praescientia, sed praesertim ex necessitate conciliandi solidaritatem inter Adamum ejusque posteros, in actuali mundo constituendam, cum benignitate atque misericordia divina in eodem mundo manifestanda. Posita enim illa praescientia, signum rationis non potest assignari, in quo Deus concipiatur ignorasse Adamum, si creetur, certo quidem esse lapsurum et, ratione solidaritatis ab ipso instituendae, posteris ruinam atque miseriam inducturum, se vero hominibus sic collapsis esse per Christum subventurum. Aliunde vero, posita benignitate et misericordia, qua Deus splendescere voluit mundum a se electum [1], haud magis concipi potest decernens mundum ratione illius solidaritatis adeo labefactandum et nondum tamen decernens Christum, qui foeditatem aerumnasque sic inductas seipso compenset atque sublevet. Secus enim, in illo signo rationis quod fingeretur, non tantum non manifestaretur illius misericordia et benignitas, sed etiam decreti, quo statueretur solidaritas adeo luctuosa, non posset assignari ulla ratio proportionata.

Posita igitur benignitate et misericordia, quae actualis mundi est nota propria, Deus non potest concipi decrevisse mundum, in quo praemissae connexiones statuendae erant, nisi quatenus concipitur jam decernens Christum, a quo illarum consequentiae compensentur atque reparentur. Hoc porro est dicere excellentiam Christi intrinsecam, necnon gloriam extrinsecam illi ex redemptione obventuram, esse finem Incarnationis simul et creationis, siquidem hoc bonum est, ex cujus solius contemplatione et amore Deus concipi potest decrevisse creationem actualis mundi.

(1) N. B. hoc factum, quo proprie nititur argumentum. Longe aliter Günther-rus, ubi voluit redemptionem fuisse ***absolute*** necessariam, ut Deus posset decernere peccatum originale generatione transmitti. Nos arguimus non a priori sed a posteriori, in hypothesi scilicet a Deo libere electa et per revelationem nobis cognita ordinis mundi, in quo eluceat quam maxime Dei benignitas et misericordia. De ***absoluta*** Dei libertate in decernenda redemptione, cf. ***supra***, n. 146.

564. Quod adeo patet ut inveniatur admissum ab omnium scholarum theologis.

S. Bonaventura : « Deus, — quia ab aeterno praescivit lapsum humani generis, — ideo [tamen illud] fecit, quia se recuperaturum cognovit ; et ideo principalius in intentione fuit reparatio lapsi quam conditio ejus ad lapsum possibilis « (*In* 3, *dist.* 1, a. 2, q. 2, ad 5^{m}).

Molina : « Non minus verisimile est quod nunquam Deus voluisset permissionem ruinae generis humani, — nisi simul subvenire illi per Christum decrevisset, — quam verisimile est quod noluisset omnino Incarnationem, nisi conjunctam haberet reparationem generis humani » (*Loc. cit. :* ed. Antuerp. p. 347 ; ed. Veneta, p, 91 C ; item Suarez : *de Incarn. disp.* 5, s. 2, n° 16 ; Lugo : *de Incarn. disp.* 7, s. 2, n° 13 et 14).

Gonet : Cum « peccatum originale sit defectus omnium individuorum naturae humanae, permissio peccati originalis ex nullo alio fine potuit a Deo eligi congruentius quam ex motivo tanti boni, scilicet Christi Redemptoris » (*De V. incarn. disp.* 5, a. 1, s. 6, n° 58).

L. Janssens : « Ordo solidaritatis inter protoparentes et humanum genus universum ab eis ortum potuit influere in decretum Incarnationis, imo influxit ad modum suadentis, nullatenus ad modum cogentis... Respondeo *ideo* Deum elegisse ordinem justitiae per generationem transfundendae, *ut* totum genus per mediatorem ex genere reparari posset ; ideoque Deum lapsum a primaevo ordine *permisisse ut* per Deum ipsum Mediatorem repararetur » (*Summa theol.*, t. IV : *De Deo-Homine*, p. 32 et 47).

565. 4°. **Objectiones solvuntur.** — In hac sententia, non est prioritas Christi prae ceteris creaturis, prae homine praesertim reparando, siquidem simul eodemque decreto uterque decernitur. Per eam proinde non satisfit fautoribus secundae sententiae.

Respondeo : non est Christi prae homini reparando *prioritas quae dicitur in quo,* bene vero ea quae dicitur *a quo* [1]. Non admittitur quidem signum, *in quo* Christus decretus sit, nondum decreto homine

(1) Prioritas *a quo* dicitur esse ubi, etsi duo simul sunt aut intenduntur, tamen unum alteri praevalet sive ratione suae excellentiae sive ratione sui influxus in altero volendo. Sic, v. gr., ubi agitur de fine aliquo, cujus medium necessarium sit unicum, etsi nequit intendi finis quin eo ipso intendatur illud medium, tamen finis dicitur intendi prius, prioritate a quo, quia ipse est *causa* cur intendatur medium. — Prioritas *in quo* datur ubi ex duobus unum prius tempore aut independenter ab altero intendi potest : sic pro fine cujus sint media plura : quia potest eligi finis quin eligatur ullum medium, finis dicitur habere prae mediis variis prioritatem *in quo*. — Cf. exemplum, supra, n° 542.

reparando ; sed non exinde excluditur inter duos, qui simul decernuntur, prioritas tum *dependentiae*, secundum quam unus ad alterum ordinatur, tum *aestimationis*, secundum quam unus magis quam alter diligitur. Christus scilicet decernitur tum propter sui ipsius excellentiam et gloriam, tum propter redemptionem ab eo faciendam, ita ut ordinem ille habeat ad homines sicut et homines ordinem habent ad illum ; sed, in hoc complexu salutis hominum et excellentiae Christi, qui constituit adaequatum Incarnationis finem, Christi excellentia est, quae, non *prius* quidem, sed *magis* diligitur. Hinc est cur dicere possis, in hac sententia, admitti Christi *prioritatem*, non *praeelectionis* quidem, sed *praedilectionis* [1].

566. Instabis : *Mutua contradependentia* Adami reparandi et Christi reparantis, quam admittit haec sententia, inducit causantem causari suo effectu. Etenim Adamus redimendus concipitur ut movens ad volendum Christum Redemptorem ; Christus autem redemptor concipitur ut movens ad volendum Adamum redimendum. Ergo Adamus redimendus causat Christum Redemptorem, a quo et ipse causatur.

Respondeo : Contradependentia illa non ea est, quae inducat causalitatem mutuam. Nam peccatum Adami, unde oritur indigentia a Christo sublevanda, exsistit praeter, imo contra, omnem Dei voluntatem. Praescitur quidem illa indigentia certo futura, si decernatur Adam, at ex sola Adami libertate, proindeque, etsi certo futura praesciatur, tamen, si Adam decernitur, simpliciter ipsa permittitur. Non potest igitur dici ipsa causata Dei voluntate habendi Christum, qui ex illius sublevatione gloriosus evadat. Nunc autem, posito indigentiam sic praevisam et permissam esse motivum partiale Incarnationis, dici quidem potest Christus aliquatenus causatus ab ipsa ; at, quia ipsa non potest ullatenus dici causata a Christo, causalitas mutua non datur ulla.

567. Urgebis tamen dicendo : At *permissio saltem peccati est ex voluntate habendi Christum*, qui sit Redemptor : Deus enim dicitur prae ordine A, in quo Christus esset Adami non lapsuri caput at non Redemptor, elegisse ordinem B, in quo Adami lapsuri caput sit et Redemptor, ex eo quod sibi complacuerit in illa Christi Redemptoris gloria. Illa igitur gloria intellegitur esse saltem partialiter finis Dei

(1) Cf. exemplum positum supra, n° 542, 2°, ubi pariter gloria filio regis ex bello proventura intellegitur posse *praediligi*, etsi tamen non *praeeligi*, saluti patriae per bellum obtinendae.

eligentis hunc ordinem prae alio, quod implicat eum permisisse peccatum Adami ut locus esset Christo Redemptori. Porro hoc repugnare videtur ex duplici capite : — a) *Ex causalitate mutua* sic inducta inter peccati permissionem et peccati redemptionem : redemptio scilicet habenda per Christum dicitur causasse permissionem peccati ; peccatum vero permissum dicitur causasse Christum redemptionem operantem : thesis enim admittit, si non fuisset peccatum, Christum non fuisse venturum. — b) *Ex sanctitate Dei,* cui repugnare videtur ordinem, in quo sit peccatum, ideo eligi ut possit esse locus gloriae Redemptoris : hoc enim videtur inducere Deum eligentem malum ut fiat bonum.

Respondeo, *concedendo* permissionem peccati esse ex voluntate habendi Christum Redemptorem, seu gloriam illam Christi esse partialiter causam finalem *permissionis* peccati, *at negando* exinde induci causalitatem mutuam aut detrahi sanctitati Dei.

568. a) *Non datur causalitas mutua,* nam, etsi permissio peccati causatur voluntate habendi redemptionem, quae sit gloriae Christo, tamen voluntas habendi redemptorem non causatur ipsa peccati permissione.

Voluntati enim habendi redemptorem permissio peccati non est nisi occasio et quidem remota, siquidem ista voluntas est solummodo ex duplici amore quo Deus amat homines et Christum : homines, ut illis subveniatur; Christum, ut exinde glorificetur. Peccatum proinde non est illius proprie causa sed mera occasio. A fortiori igitur permissio illius a Deo, quae et ipsa non est peccati nisi occasio : se ipsa enim, ut jam dictum est, non implicat Deum intendere peccatum, neque ullo modo causat Adamum peccare, siquidem, etiam praesupposita apud Deum permissione et praevisione peccati, tamen committitur libere ab Adamo, qui posset, si vellet, illud vitare.

569. b) *Neque sanctitati Dei repugnat,* eligendo ordinem in quo Adam peccaret, *permisisse peccatum, seu illi aliquatenus dedisse* occasionem. Nam dare peccato occasionem, quae non inducat directe et per se ad illud committendum, non est quidquam per se mali.

« Aliud enim est inducere, ait S. Alphonsus, aliud praebere occasionem. Illud est intrinsece malum ; non autem hoc : alioquin nunquam liceret, etiam ex justa causa, petere mutuum ab usurario, juramentum ab infideli, etc, quod est contra DD. sententiam et contra S. Thomam cum S. Augustino.

Unde S. Thomas [II.II, q. 78, a. 4] hanc regulam dat : Inducere hominem ad peccatum nullo modo licet ; uti tamen peccato alterius ad bonum, licitum est » [1].

Jamvero : — α) Permissio peccati seu electio ordinis, in quo Adam peccet, nullo modo inducit eum ad peccandum : hoc evidens est, siquidem, etiam antecedenter ad illam electionem, Adamus cognoscitur in illo ordine peccaturus. — β) Gloria vero Redemptoris est ratio justissima et proportionatissima hunc ordinem eligendi. Hoc nemo diffiteri potest, siquidem omnes debent admittere Deo licuisse eligere ordinem, in quo Adam peccasset nec tamen redemptus fuisset, sicut ei licuit angelorum peccatum permittere nec condonare. Quaecumque vero fuisset vel fuerit ei ratio eligendi hujusmodi ordinem, ea non fuisset aut non fuit gravior et magis proportionata peccato permisso quam ratio eligendi ordinem, in quo «humana substantia» peccaret quidem at per Christum « mirabilius reformaretur» quam «mirabiliter condita erat ». Tanta enim ex illa electione oborta est Christo gloria, tam

(1) *Theol. Mor.* l. II, *tract.* III, *de praec. char. cp.* 2, n° 58. Cf. etiam Lugo : *de Incarn. disp.* 7, s. 2, n° 13 : « Non potuit Deus positive, ut ita dicam, et directe velle permittere peccatum propter Christum ; potuit tamen id velle ex affectu erga Christum, quasi indirecte et removente prohibens. Possumus enim considerare Deum, pro illo signo, videntem malitiam peccati sub conditione futuri, quae quidem retardabat Deum ne permitteret illud ; vidit tamen aliunde malum illud non esse irreparabile, sed reparabile per Christum, et hoc quidem cum eximia Christi gloria, in qua, et in Christo, summopere complacebat Deus ; et, licet affectus erga Christum non moverit Deum ad permittendum peccatum ut utile ad Christi gloriam, conduxit tamen ille affectus, retardando affectum divini odii erga peccatum, ne impediret ejus permissionem : plus enim moveret Deum ad impediendum peccatum ejus malitia, nisi videret esse malum reparabile et quidem cum maximo emolumento.... Sic amor Dei erga Christum Redemptorem, tanquam removens prohibens, conduxit ad permissionem peccati, quod non permitteret Deus, nisi talem reparationem praevideret. Ideo non dixi Christum esse finem eorum omnium, quae fecit Deus, sed esse quodammodo finem, quatenus ex affectu erga Christum ea omnia fecit vel permisit Deus. Quae doctrina observanda est ad plura peccata, quae in Scriptura et Patribus inveniuntur permissa a Deo in ordine ad alios fines » — Haud immerito quaeras a Lugo quid sibi velit illa distinctio inter « esse finem » et « esse quodammodo finem ». Forte respondeat se loqui de fine operis : nam patet Christum non esse peccati permissi finem operis : peccatum enim ipsum non habet ordinem ad Christum. At potest esse finis Dei operantis permissionem peccati. Et, re vera, si Christus Redemptor est, ex cujus amore eligatur ordo in quo sit peccatum ab eo reparandum, haud videtur posse negari illius electionis, proindeque illius peccati permissionis, Christum esse vere finem a Deo intentum. Quod non repugnare Dei sanctitati, jam in textu probatur.

mirabiliter eluxit in illo modo redemptionis Dei misericordia simul et sapientia atque potentia, tam multa et tam efficacia ex hujusmodi redemptione provisa sunt hominibus remedia et auxilia contra peccatum, ut Ecclesia non timeat decantare : « *O felix culpa, quae talem ac tantum meruit habere Redemptorem* ».

Quod igitur tot ac tantis bonis fuit occasio, non dedecuit ullo modo Deum permittere. Volendo et eligendo ordinem in quo Adam peccaret, haud magis ipse peccatum Adami intendit aut probavit quam missionarius, rogando se mitti ad infideles *ut* lauream martyrii consequatur, intendit aut probat peccatum eorum a quibus occidetur. Praevidet sane, imo gaudet, fore qui mortem sibi inferant ; at non eo ipso ille vult, probat aut ullo modo causat, eorum peccatum. Haud aliter Deus. Hunc ordinem nostrum, in quo Christus esset Redemptor, ideo elegit quia omnia in eo, etiam peccatum, vidit fore hominibus utilitati, et Christo sibique gloriae maximae ; at peccatum Adami omnino odio habuit, nec imo permissum voluit nisi quia de eo vidit satisfactionem praestandam sibi per Christum condignam et superabundantem.

SYNOPSIS GENERALIS

PAG.

PROOEMIUM V

DE INCARNATIONE

DEFINITIO ET DIVISIO 1

SECTIO I
REALITAS UNIONIS HYPOSTATICAE

CAPUT I
De reali naturarum in Christo dualitate

ARTIC. I. **De Christi humana natura** 3

Thes. I. Jesus Christus est verus et perfectus homo, corpore constans carneo et anima rationali inter se substantialiter unitis, cujus origo corporea est per veram generationem ex humano genere : est ergo nobis consubstantialis. 5

ARTIC. II. **De divina Christi natura** 9

§ 1. **Testimonium S. Pauli**

Thes. II. Christi divinitas non tantum in ultimis sed etiam in primis S. Pauli epistolis supponitur aut affirmatur. 11

§ 2. **Testimonium Synopticorum** 23

Thes. III. Etiam apud Synopticos, multa referuntur Christi dicta vel acta, quae arguunt ejus divinitatem. 24

Thes. IV. In specie vero, teste tum apostolorum et evangelistarum fide, tum ipsa narratione evangelica, ipse se significavit esse Filium Dei naturalem. 27

§ 3. **Testimonium S. Joannis**

Thes. V. Ex evangelio S. Joannis constat non tantum auctorem docuisse Christi divinitatem, sed etiam Christum eamdem sibi vindicasse. 49

CAPUT II
De personali naturarum in Christo conjunctione

Praevius conspectus historicus 55

ARTIC. I. **De unitate Christi personali**

Thes. VI. Dogma Ecclesiae catholicae est, Scriptura et traditione fundatum, duas in Christo naturas ita esse Filii Dei ut ipse sit utriusque naturae persona unica. 62

Difficultas exponitur et solvitur. 77

SCHOLION : De Nestorii et S. Cyrilli doctrina. 83

PAG.

ARTIC. II. **De perseverante naturarum distinctione**

Thes. VII. Duae naturae ita in Christo distinctae manent ut utraque suo connaturali modo agat et duplex sit in illo non tantum actionum in genere sed etiam volitionum species. 98

SCHOLION I : De operatione theandrica. 107

COROLLARIUM : De duplici in Christo vita. 110

SCHOLION II : De Honorii R. P. doctrina et condemnatione 110

CAPUT III

De Incarnationis possibilitate et executione

ARTIC. I. **De possibilitate Incarnationis**

Thes. VIII. Supposita Incarnationis fide, humana ratione mysterii hujus non tantum possibilitas negative demonstratur, sed etiam convenientia suadetur. 114

ARTIC. II. **De libero Incarnationis decreto**

Thes. IX. Restauratio hominis lapsi per Christum adeo est divinae bonitatis donum gratuitum ut Incarnatio dici nequeat fuisse necessaria aut ullius creaturae meriti fructus. 119

ARTIC. III. **De praeparatione Incarnationis**

Thes. X. Christum, praelucente saltem revelatione christiana, constat in Veteri jam Testamento insinuatum esse hominem fore simul et Deum 129

ARTIC. IV. **De efficientia Incarnationis**

Thes. XI. Causa efficiens Incarnationis est tota Trinitas, appropriative autem Spiritus Sanctus ; nec tamen Christus dicendus est filius Spiritus S. aut Trinitatis. 141

SECTIO II

DE NATURA UNIONIS HYPOSTATICAE

CAPUT I

Qualis sit unio hypostaticae

ARTIC. I. **De modo unionis ex parte personae assumentis**

Thes. XII. Ideo solius Filii est natura humana in Christo quia unio facta est primario et propriissime secundum personam et consequenter tantum atque secundario secundum naturam divinam. Pater igitur et Spiritus Sanctus, etsi unionem operati sunt haud minus quam Filius, tamen non assumpserunt ipsi naturam humanam, sed illi inhabitant per quamdam circumincessionem. 144

COROLLARIUM. Ergo excluditur unionem terminari primario ad aliquid Filii ratione sui absolutum. 150

PAG.

ARTIC. II. **De modo unionis quoad naturam assumptam**

Thes. XIII. Natura humana ita assumpta est ut omnino non praeexstiterit assumptioni, et singulae partes ejus omnes simul atque pro semper unitae sint Verbo secundum hypostasim ; non ita tamen ut, in ipsa assumptione, excludatur ordo naturae, vi cujus aliae prae aliis assumptae dicantur. 154

ARTIC. III. **Proprietates quaedam illius unionis**

Thes. XIV. Unio hypostatica est supernaturalis, substantialis et maxima in ratione unionis atque doni. 164

SCHOLION. Utrum persona Christi dici possit composita ? 167

CAPUT II

Qui sit unio hypostatica

ARTIC. I. **Cur natura humana in Christo non sit persona ?**

Status quaestionis olim et nunc 171

§ 1. **Statuitur vera quae videatur sententia.**

Thes. XV. Quod humana natura in Christo non sit persona hinc, cum S. Thoma et antiqua Ecclesiae traditione, repetendum videtur quod, « quamvis sit substantia particularis » nec careat ullo positivo quod haberet, si non assumeretur, tamen « venit in unionem cujusdam completi » substantialem, ideoque impeditur esse ipsa totum nec jam « pe se separatim sed in alio perfectiori, scilicet in suo toto, existit ». 174

§ 2. **Aliae sententiae exponuntur et judicantur**

Thes. XVI. Theologico quidem fundamento caret omnis sententia, quae assumit humanae naturae in Christo deesse aliquid positivi, quod apud ceteros homines omnino adsit ; at intrinseca insuper repugnantia laborant illae quae tenent illi deesse existentiam seu esse creatum, praesertim si velint illud suppleri formaliter, in ratione subsistentiae, ab ipsa Verbi existentia. 198

SCHOLION. De mente S. Thomae. 219

ARTIC. II. **Quid sit in se unio hypostatica ?** 226

SECTIO III

DE CONSECTARIIS UNIONIS

CAPUT I

De consectariis pro composito theandrico

ARTIC. I. **De communicatione idiomatum**

Thes. XVII. Ex unione duarum naturarum in una persona divina sequitur dari in Christo communicationem, quae dicitur, idiomatum in concreto, non autem in abstracto. 229

PAG.

ARTIC. II. **De divina filiatione Christi hominis**

Thes. XVIII. Christus, etiam ut homo, ita est Filius Dei naturalis ut, sub nulla ratione, possit dici adoptivus. 232

ARTIC. III. **De adoratione Christi**

§ 1. **De adoratione Christi hominis in genere**

Thes. XIX. Humana Christi natura uno eodemque latriae cultu absoluto adoranda est quo Verbi divinitas : imo adorari potest signate tum in diversis suis partibus, tum in variis vitae suae actionibus et mysteriis. 241

§ 2. **De cultu SS. Cordis Jesu**

Thes. XX. Cor Jesu, quocumque sensu intellegitur, est cultu latriae absoluto adorabile, existuntque rationes efficacissimae cur specialiter et signate colatur. — Hujus porro cultus, prout ab Ecclesia fuit approbatus, objectum materiale proximum complectitur et cor physicum et amorem cordis symbolo expressum. — Finis vero cultus est ut fideles ad redamandum Christum atque offensas eidem illatas reparandas incitentur atque juventur. — Hinc elucet quantopere distinguatur a cultu SS. Sacramenti et quanto in loco in Ecclesia haberi debeat. 246

CAPUT II

De consectariis pro natura assumpta

ARTIC. I. **De Christi sanctitate**

Notio sanctitatis in genere. 253

§ 1. **De Christi sanctitate substantiali**

Thes. XXI. Humanitas Christi, vi ipsius unionis cum Verbo, sancta est sanctitate substantiali. 255

§ 2. **De Christi sanctitate accidentali**

Thes. XXII. Christus habuit gratiae sanctificantis plenitudinem ab initio perfectam : infusas pariter accepit virtutes suae perfectioni non contrarias et omnia dona Spiritus Sancti. 260

ARTIC. II. **De scientia Christi humana**

§ 1. **De existentia illius scientiae**

Thes. XXIII. Praeter scientiam divinam, Christus habuit scientiam humanam seu creatam, quae complectitur scientiam beatam, scientiam infusam et scientiam naturalem acquisitam. 265

SCHOLION. De conscientia Christi humana. 279

§ 2. **De immunitate ab errore et ignorantia**

Status quaestionis et methodus solutionis 283

Thes. XXIV. Scientia Christi humana adeo perfecta erat ut non tantum ab omni errore sed etiam ab omni ignorantia positiva immunis esset 285

PAG.

ARTIC. III. **De Christi impeccabilitate**

Thes. XXV. Christus non tantum non peccavit, sed etiam, ratione unionis hypostaticae, absolute impeccabilis erat : imo fomitem peccati, ne in actu quidem primo, habuit. 298

ARTIC. IV. **De Christi libertate**

§ 1. **De existentia libertatis in Christo**

Thes. XXVI. Humana Christi voluntas libera fuit. 308

COROLLARIUM. De libera Christi morte. 312

SCHOLION. De libertate quoad actus objective minus perfectos 313

§ 2. **De amplitudine libertatis in Christo**

Status quaestionis. 315

Thes. XXVII. Cum impeccabilitate conciliatur libertas Christi viatoris circa actus praeceptos : — I° sive ex praecepti limitatione, quatenus vel 1) non attingebat determinate circumstantias morales actus, vel 2) erat dispensabile, vel 3) non erat rigorosum ; — II° sive 4) probabilius ex indifferentia principiorum agendi. 317

ARTIC. V. **De potentia humanitatis Christi** 335

Thes. XXVIII. Nec miracula olim Christi nec gratiam nunc hominibus infusam constat ascribi debere humanitati Christi tanquam causae instrumentali physicae. 339

SCHOLION. De mente S. Thomae. 348

ARTIC. VI. **De naturalibus Christi perfectionibus et defectibus**

Thes. XXIX. Christus assumpsit 1) corporis et animae perfectiones naturales, sed simul 2) defectus hominibus communes, qui non repugnant ejus perfectae scientiae et gratiae : 3) omnes scilicet qui pertinent ad passibilitatem corporis et animae, 4) non obstante fruitione beatifica aut impeccabilitate. 353

PAG.

DE REDEMPTIONE

PROOEMIUM : De Christo mediatore. 363

CAPUT I

Dogma catholicum de Redemptione

Notiones. 364

Dogma exponitur. 366

Dogmatis revelatio vindicatur. 369

Thes. XXX. Doctrina de morte piaculari Christi non est a S. Paulo in Ecclesiam inducta. 369

CAPUT II

De modo quo Christus operatus est Redemptionem

ARTIC. I. **De merito Christi**

Thes. XXXI. Christus actibus suis viatoris liberis meruit sibi animae impassibilitatem, corporis gloriam et nominis exaltationem ; nobis autem meruit justificationem et omnia dona supernaturalia. 375

SCHOLION. De merito Christi quoad angelos et protoparentes. 379

ARTIC. II. **De satisfactione Christi**

§ 1. **Factum satisfactionis Christi.**

Thes. XXXII. Christus nos redemit per modum satisfactionis. 380

§ 2. **De natura satisfactionis Christi.**

Thes. XXXIII. Satisfactio Christi vicaria, qualis in Ecclesia catholica intellegitur, cum non sit simpliciter expiatio peccati poenalis sed dicat formaliter offensae personalis compensationem per obsequium Deo praestitum, nec repugnat in se, nec contradicit dogmati de gratuito Redemptionis benificio. 392

§ 3. **De perfectione satisfactionis Christi.**

Thes. XXXIV. Christi satisfactio fuit seipsa, seu in actu primo, condigna et superabundans. 413

§ 4. **De satisfactionis per Christum necessitate**

Thes. XXXV. Satisfactio per Christum necessaria fuit ad satisfactionem de peccato condignam. 417

§ 5. **De universalitate satisfactionis Christi**

Thes. XXXVI. Christi satisfactio oblata et acceptata est non tantum pro peccato originali sed etiam pro peccatis actualibus et quidem omnium omnino hominum. 421

ARTIC. III. **De sacerdotio et sacrificio Christi.**

§ 1. **Factum sacerdotii et sacrificii Christi**

Thes. XXXVII. Christus sacerdos est praestantissimus, qui nos redemit per modum sacrificii in morte sua perfecti. 422

PAG.

§ 2. **De natura et virtute redemptiva sacrificii Christi**

Thes. XXXVIII. Christus ideo dicitur nos redemisse per modum sacrificii quia ipse se in cruce immolavit, et mors ejus ex obedientia et amore suscepta obsequium Deo fuit acceptissimum atque satisfactio pro peccatis nostris condignissima. 436

CONCLUSIO

I

DE CORPORE CHRISTI MYSTICO

Thes. XXXIX. Ad Incarnationis et Redemptionis mysterium consequitur mysterium, quod dicitur, Christi corporis mystici, quatenus, pacificatis in Christo « sive eis quae in terris sive eis quae in caelis sunt », homines jam et angeli Christum caput habent atque omnia in Christo instaurata ad Deum per Christum ordinantur. 447

SCHOLION. De regia Christi potestate. 458

Thes. XL. Christus homo rex est modo excellentissimo, in ordine spirituali ; sed habet etiam in actu primo supremam potestatem in omnia temporalia. 459

II

DE CAUSA FINALI INCARNATIONIS

Thes. XLI. Etsi redemptio generis humani probabiliter est solus finis adaequatus Incarnationis, tamen, — quia Christus decretus est esse de facto caput et finis omnium, et in eo ordine, in quo Dei benignitas quam maxime elucet, Deus vix concipi potest decernens mundum ruina generis humani foedandum quin jam decreverit eum per Christum nobilitari atque reparari, — probabilius videtur Christum esse, ex cujus amore creatio mundi hujusmodi decreta sit, atque finem proinde Incarnationis adaequatum complecti tum redemptionem generis humani tum et primario Christi ipsius excellentiam et gloriam. 462

INDEX

1°. SCRIPTURAE SACRAE

Notantur tantummodo loca, quae latius exponuntur.
Indicantur numeri marginales.

Lev. 16 508 ; 522
17.11 522
Ps. 2 168-172
44.7-8 173 ; 301
109 30 ; 174
Is. 7-9.7 161-166
42.1-9 437
49.1-8 437
52.13-53.12 436 ; 437
Mal. 3.1 167
Mt. 11.27 48 ; 318
14.33 43
16.16-17 44 ; 50-53
27-28 335-338
19.16-17 57
20.28 440 ; 452
24.3-36 340 ; 347
26.39 118 ; 423
64 335 ; 339
27.46 58 ; 424
Mc. 5.34 403
6.5-6 56 ; 402
8.38-9.1 335-338
10.18 57
45 440 ; 452
Mc. 12.1-12 47 ; 439
13.6-37 340
15.34 58 ; 424
Lc. 6.19 403
8.46 403
9.26-27 335-338
10.22 48-49
21.8-36 340
22.67-71 54 ; 339
Jo. 1.1-18 60
16-18 318
49 43
2.19 90
3.11 et 32 318
5.16-27 63
10.17-18 381 ; 384
28-39 64-65
12.49-50 381
14.28 66 ; 90
15.10 381
17.3 66
11 65
Act. 2.36 26 ; 337
9.20-22 43
13.33 170 ; 172 ; 507-508
Rom. 1.3-4 36-37 ; 337
3.24-26 453
5.17-19 453
8.3 35-36
9.5 23
1 Cor. 8.6 21-22 ; 24
15.45-47 11 ; 514
2 Cor. 5.15 514
21 6 ; 348
8.9 22 ; 433
Gal. 3.13 6 ; 430
4.4-6 22 ; 35
Eph. 1.9-10 534 ; 537
Philipp. 2.6-8 5 ; 16 ; 87
Col. 1.15-17 17
19-20 534 ; 537
2.9 17 ; 90
Tit. 2.13-14 18
Hebr. 1 19
4.15 357
5.1-10 501
5-6 170-172 ; 507 ; 508
8-10 505 ; 509
7.1-28 502
9.1-13 490
10.1-3 490

2°. CONCILIORUM

Basiliense 319
Chalcedon. 4 ; 10 ; 67 ; 71 ; 75 ; 80 ; 85 ; 115
Coloniense (1860) 494
Cp^lm I (381) 69
II (553) 10 ; 67 ; 72 ; 80 ; 85 ; 115 ; 214 ; 227 ; 283 ; 353
Cp^lm III (681) 67 ; 73 ; 80 ; 122 ; 130 ; 204 ; 348 ; 349 ; 350 ; 355
Ephesinum 10 ; 67 ; 70 ; 79 ; 505
Florentinum 10 ; 348
Francofurtense 275
Romanum (649) 209
Sardicense 95
Senonense 434
Toletanum XI 97 ; 177 ; 179 ; 181 ; 198 ; 348
XV 9
Tridentinum 139 ; 197 ; 362 ; 411 ; 505 ; 506 ; 533
Vaticanum 137 ; 451 ; 475

3°. S. THOMAE

1 Sent.

d. 23, q. 1, a. 1 234; 250
26, q. 1, a. 1 249
37, q. 1, a. 2 187; 257

3 Sent.

d. 1, q. 1, a. 1 217; 258
2, q. 2, a. 2 266
5, q. 1, a. 3 235; 240
q. 2, a. 3 182
3, a. 2 234
a. 3 235
6, q. 1, a. 2 232; 239
q. 2, a. 2 239; 260
a. 3 134; 213; 215; 240
3, a. 2 210; 260
11, q. 1, a. 2-3 253; 255
13, q. 2, a. 1 527
a. 2 535
14, q. 1, a. 3 325
16, q. 1, a. 3 413
18, q. 1, a. 2 363

I

q. 1, a. 8 223
8 a. 3 187
19, a. 1 260
21, a. 4 143
29, a. 1-2 234; 249; 250
39, a. 4 182
45, a. 5 402; 404
a. 6 191
62, a. 8 393
66, a. 1 253; 255
75, a. 2 234
85, a. 7 418
89, a. 1 320
94, a. 3 320
95, a. 1 355

I-II

q. 21, a. 4 467
28, a. 2 et 4 293
87, a. 1 467; 469
a. 3 469; 472
a. 6 469
a. 7-8 471
q. 114, a. 1 444; 493

II-II

q. 14, a. 1 55
27, a. 2 142
81, a. 8 295
85, a. 3-4 515
104, a. 2 375-76; 380
a. 5 376
157, a. 2 472
173, a. 4 159
174, a. 6 157
175, a. 2 428
178, a. 1 413

III

q. 1, a. 1-2 138
a. 2 145-151; 495
a. 3 545
2, a. 1 115
a. 2 235; 237-38
a. 3 233; 235; 261
a. 4 213; 215
a. 5 4; 9; 127; 233; 239
a. 6 210; 220; 238; 239; 260; 266
q. 2, a. 7 132; 207; 253; 266; 304
a. 9 211
a. 10 212; 266; 297; 303
a. 11 155
a. 12 208
3, a. 1 136
a. 2-3 181-182
a. 5 279
a. 6 192
a. 8 138
4, a. 1 202
a. 2 206; 232; 233; 242; 247
a. 3 261
a. 6 10; 138
5, a. 1-2 7; 10
a. 3 et 4 8; 127
6, a. 1 205; 206
a. 4 202; 206; 254
a. 5 202; 205; 206
a. 6 212; 266; 297
q. 7 306-311
a. 11 et 13 297; 304
8, a. 1 414; 417; 528
a. 3 533
a. 4 528; 532; 535
a. 6 529
9, a. 1 312
a. 2 315-318
a. 3 320; 322
a. 4 325
10 319 sqq.
11 320-323
12, a. 1-2 325-327
13, a. 1 396
a. 2 398; 414
a. 3 420; 474
14-15 418-425
14, a. 1 474
a. 2 384; 419
15, a. 1-2 348-355; 357
a. 10 370; 390; 395; 445
16, a. 1-2 132; 261
a. 6 132
a. 9 253; 261
a. 12 235
17, a. 1 238
a. 2 239; 259-261
18, a. 1-2 118
a. 3 423
a. 4 363; 378
a. 5-6 423
19, a. 1 125; 237
a. 2 357
a. 3 318; 395; 445; 447
a. 4 445
20, a. 1 378
22 500; 512; 517; 526
23, a. 4 280
24, a. 1-2 37; 277
25, a. 1-2 282-287
26, a. 1 429
27, a. 3-4 353; 355
31, a. 2 540
a. 4 10

q. 32, a. 1 176
a. 2-3 177
33 202-203
35, a. 4 100
46, a. 2 152
a. 3-4 492
47, a. 1 511
a. 2 378
a. 3 141; 292; 378; 472
a. 4 511
48, a. 1 395; 492
a. 2 416; 468; 477
a. 3 416; 511; 525
a. 4 444; 465
a. 6 414; 416; 417; 444; 526
49, a. 1 416; 417; 444
a. 4 141; 477; 526
50, a. 1 474
a. 2-5 199-200
54, a. 2 201
56, a. 1 416
59, a. 4 538
62, a. 1 404
a. 5 416; 417
64, a. 3 414; 416
72, a. 3 404
79, a. 5 469

Suppl.

q. 15, a. 1-3 468-69

Comp. theol.

cp. 210 261
211 235; 258
230 398
232 390
239 417

Cont. err. Gr.

I. 23 411

Cont. Gentes

III. 158 467; 469
IV. 13 et 26 192
34 et 38 9
35 115
37 4
41 4; 218; 258
48 253
53 378
55 138; 378; 469
473; 474; 477

Decl. quor. art.

233

De malo

q. 6, a. 1 362; 363; 391

De pot.

q. 1, a. 3 255
2, a. 5 257
3, a. 5 255
6, a. 4 400; 412-13; 415
9, a. 9 192

De verit.

q. 2, a. 12 363
20, a. 3 322
a. 4 319
27, a. 3 413; 416
28, a. 2 467; 495
29, a. 4 535
a. 6 363; 378; 390; 395
a. 7 535

Quodlib. 9

a. 2 206; 235
a. 3 258; 261-63

De unione Verbi

a. 1 134
a. 3 261; 264
a. 4 264

De anima

a. 1 234

In ps. 44. 2

418

In Mt. 16. 17

43

In Jo. 18

539-540

In Rom.

4 417
8 378

In 1 Cor. 1

417

In Hebr.

512

4°. ONOMASTICUS

Abaelardus 220, 313, 434
Achardus 220
Adeodat de Basly 549
Aegidius Rom. 251, 262
Agatho (R. P.) 73, 70, 122
Albertus M. 231, 235
Alès (d') 436, 481, 513
Alexander III 220, 221
Alexander VIII 533
Alexander Alex. 93
Alexander Hal. 134, 231, 400, 545
Allo 431
Alphonsus (S.) 569
Ambrosius (S.) 5, 243, 343, 344, 462, 474, 503
Anselmus (S.) 150-152, 377, 384, 465, 476
Apollinaris 4, 69
Aquasparta 210
Arriaga 241, 365, 549
Athanasius (S.) 8, 69, 92, 122, 150, 226, 284, 307, 343, 405, 460, 474, 531

Augustinus (S.) 4, 9, 13, 45, 97, 99, 136, 140, 147, 152, 173, 177, 193, 200, 201, 203, 212, 230, 244, 266, 273, 277, 301, 302, 307, 314, 317, 345, 347, 348, 354, 368, 383, 384, 405, 419, 421, 464, 473, 475, 503, 515, 427, 531
Augustinus de Roma 319
Babaï 202
Bainvel 292
Baïus 362
Bardy 68
Barnabas (ps.) 433
Basilius (S.) 225, 301, 343, 354, 383
Becanus 449
Bellarminus 472, 479, 540, 541
Benedictus II 9
Bernardus (S.) 347, 419
Beryllus 68
Bethune-Baker 101, 112
Biel 275
Billot 189-192, 241, 242, 247-250, 255, 268, 264, 319, 375, 376, 386, 390, 400, 422, 424, 493, 549, 555-557
Billuart 142, 152, 188, 241, 248, 257, 267, 385
Blass 40
Boetius 230
Bonaventura (S.) 133, 210, 215, 221, 231, 314, 325, 400, 429, 477, 536, 545, 553, 564
Bossuet 168, 172
Bougaud 545
Boule 240
Bousset 27
Breitung 203
Bruneau 516
Caelestinus (S.) 70, 79, 82, 94, 97
Cajetanus 241, 494
Calès 173
Calmet 168, 173
Calvinus 348
Cano 316, 400, 424
Capreolus 241, 255, 399, 449
Cassianus 94, 230
Cerfaux 27
Cerinthus 4
Chollet 332
Chrysostome R. P. 545
Chrysostomus (S.) 5, 24, 43, 158, 173, 307, 344, 377, 283, 419, 534
Clemens Alex. 225, 418, 457
Clemens (S.) Rom. 8, 433, 455, 503
Commissio biblica 43
Condamin 161, 163, 437
Constantinus Pogonat 204
Corluy 161, 168, 173
Cornelius a Lapide 541
Cornély 37, 156
Cyprianus (S.) 91, 457
Cyrillus (S.) Alex. 69, 70, 71, 77, 82, 83, 86, 100, 103, 110, 112-115, 119-121, 214, 226, 243, 283, 284, 307, 343, 344, 348, 354, 383, 408, 409, 552
Cyrillus (S.) Hieros. 460, 504
Dalmann 45, 50, 57
Dalmau 253, 259, 264
Damascenus 124, 195, 204, 214, 228, 243, 245, 284, 301, 317, 345, 357, 360, 406-407, 461
Damasus (S.) 8, 69, 277
Dario 240
Delehaye 295
Denifle 246
Descocqs 240, 251
Destrez 262, 264
Diekamp 202
Diodorus Tars. 70, 78
Dioscorus 71
Dorsaz 279
Draguet 71, 419
Duchesne 114
Durand 23, 161
Durandus 189, 210, 275
Ekardus 256
Elipandus 9, 275
Epiphanius (S.) 4, 92, 226, 343
Eulogius 313, 317, 345
Eusebius 52, 93, 225, 459
Eustachius 95
Eutyches 71
Faustus 230
Felix Urgel. 275
Flavianus 71, 114
Franciscus (S.) de Sales 545

Franzelin 40, 133, 157, 187, 223, 279, 373, 375-377, 479, 492, 521
Fulgentius 193, 200, 244, 314, 317, 343
Galtier 55, 310, 317, 384, 423, 456, 466, 547
Gandulphus 220
Garnier 70
Gay 545
Gerochus 220, 230, 313, 396
Ghellinck (de) 221
Gietl 220
Godefridus de Fontibus 222, 235, 262
Gonet 188, 189, 241, 248, 254, 257, 267, 300, 353, 385, 388, 399, 415, 416, 549, 558, 564
Grabmann 264
Grandmaison (de) 28, 55, 329, 337, 340
Grea 549
Gregorius (S.) M. 344, 354, 357, 400
Gregorius (S.) Naz. 5, 16, 92, 96, 158, 193, 204, 225, 277, 301, 343, 434, 551
Gregorius (S.) Nyss. 96, 99, 354, 461
Gregorius Palamas 545
Grimal 494
Grivet 510
Grumel 220
Gualterius de Mauritania 313
Guardini 526
Günther 74, 349
Guyau 482
Hadrianus I 275, 277
Harnack 38, 49, 74, 75, 102, 105, 119, 225
Hefele-Leclerq 9
Heinrich 146
Hervaeus 259
Hieronymus (S.) 94, 166, 317, 344, 418, 421
Hilarius (S.) 96, 97, 99, 157, 200, 348, 419
Hippolytus 91
Holtzmann 65
Honorius 73, 118-130
Hoonacker (van) 161
Hourcade 236, 251, 255
Huby 57, 347
Huet 450
Hugo a S. Vict. 220, 313, 396
Hugon 250, 401, 403, 549
Hurter 215, 223
Huyghe 161
Ibas 72
Ignatius (S.) 4, 5, 7, 91, 176, 433
Innocentius XII 423
Irenaeus (S.) 2, 4, 5, 91, 140, 157, 159 280, 343, 434, 456, 466, 561
Jansenius 359, 362
Janssens 327, 370, 385, 549, 565
Joannes IV 129
Joannes Antioch. 70, 83, 93
Joannes Cornub. 220, 230
Joânne a Cruce 427
Joannes de Ripa 313
Johannes a S. Thoma 400
Josephus 430, 440
Jugie 101, 114, 317, 348, 419
Julianus Halic. 71, 419
Julianus Tolet. 9
Jungmann 375
Justinianus 72
Justinus (S.) 433, 455
Kleutgen 146
Knabenbauer 31, 43, 161, 165, 167
Krisper 349, 388
Lagrange 23, 28, 29, 37, 39, 42, 46, 50, 54, 56, 161, 168, 170, 318, 337, 338, 340, 347, 403, 436, 437, 453, 517
Lahousse 223
Lamiroy 510, 511, 516, 517
Le Bachelet 200, 419
Lebon 71, 117, 119, 123, 227
Lebreton 23, 26, 28, 34, 42, 59, 61, 176, 342-347, 419, 423
Leo (S.) M. 70, 71, 80, 84, 97, 114, 115, 121, 122, 179, 193, 230, 243, 244, 245, 354, 384, 405, 514
Leo (S.) II 130
Leo III 275
Leo XIII 291, 293, 451, 538
Leontius Byz. 227, 243, 317, 419
Lepin 42, 510, 516, 549
Leporius 94, 97, 230. 277, 345
Lesêtre 515
Lessius 373, 487
Lévesque 23, 168
Lichtenberger 481

Loisy 46, 59, 65, 424
Lombardus 4, 220, 476
Loofs 70, 75, 78
Lugo 206, 241, 279, 287, 300, 315, 325, 365, 374, 493, 515, 521, 540, 569
Machen 25, 27
Maclean 101, 112
Maldonat 347, 424, 472
Mandonnet 264
Marcion 4
Margarita-Maria (S.) 288, 293
Marin-Sola 248
Martinus I 73, 80, 124, 179
Martini 163
Mastrius 365, 385
Masure 258
Maximus (S.) 120, 124, 313
Médebielle 436, 440
Medina 416
Melito Sard. 91
Mercier 241
Methodius Ol. 95
Michel 249, 300
Molina 223, 385, 388, 493, 540, 547, 564
Monsabré 418, 549
Mortier 259
Muncunill 223, 237, 267, 365
Nestorius 70, 78, 101-105, 111-114, 348, 353
Nicolaus Cabasilas 545
Novatianus 95, 116
Officium S. 315, 319, 333
Olier 510
Origenes 56, 93, 202, 225, 301, 418, 434, 450, 458, 503
Paulus IV 434
Paulus Samosat. 13, 68
Pègues 250
Pelagius I 80
Pelster 259, 262, 264
Pelt 437
Perrone 290
Pesch (H.) 148, 152, 223, 287, 300, 320, 385, 388, 400, 419, 424, 493, 540
Pesch (T.) 240
Petavius 2, 152, 200, 223, 315, 317, 375, 376, 504
Petrus Pictav. 220
Photinus 13
Pius V 362
Pius VI 283, 291
Pius IX 291
Pius X 13, 76, 333, 435
Pius XI 538, 541
Platel 373, 375, 388
Polycarpus (S.) 5, 433, 503
Portalié 4, 221, 275, 313, 396, 434
Prat 6, 11, 16, 20, 23, 24, 37, 60, 139, 171, 337, 348, 450, 453, 514, 527 sqq., 536, 537
Proclus 343
Rabeau 316
Raven 75
Régnon (de) 223, 236, 249, 295
Ricardus de Med. Vil. 231
Richard 317
Rivière 142, 150, 432, 454, 455, 462, 466, 472, 474, 481
Rolandus 220, 313
Rufinus 199
Rusticus 230
Sabatier A 142, 258, 434, 482
Salmanticenses 241, 253, 267, 385, 388, 399, 549
Sanday 329, 331
Schanz 511, 513, 516
Scheeben 223, 299, 513, 516
Schell 142, 299, 315, 318, 369, 424, 445
Schmidt N. 42, 50
Schmidt S. V. D. 517
Scotus 231, 237, 275, 319, 349, 388, 478, 555-558
Seeberg Rh. 75
Sergius 73, 123, 128
Severus Antioch. 71, 117, 123, 227
Smith 142, 258
Sophronius 122, 194, 214, 227, 244
Stentrup 150, 223, 332, 334, 375, 422, 472
Stufler 142, 445
Suarez 138, 148, 149, 181, 188, 196, 241, 267, 279, 303, 313, 316, 325, 351, 363, 370, 384, 385, 386, 388, 392, 399, 400, 428, 449, 472, 479, 492, 493, 515, 516, 540, 546, 549
Taille (de la) 347, 381, 382, 511, 513, 514
Tanner 542, 549

Tertullianus 4, 5, 16, 91, 95, 115, 116, 418, 514, 552
Thalhofer 508, 510, 512
Theodoretus 36, 70, 72, 343
Theodorus Abukara 229
Theodorus Mopsuest. 70, 72, 78, 112, 348, 353
Theresia (S.) 427
Thomas (S.) *Index specialis*
Thomassinus 223, 241, 277, 510, 514
Tiphanus 223
Tixeront 4, 71, 85, 112, 122, 129, 344
Tobac 161
Toletus 327, 334, 388
Tournely 151, 374
Touttaeus 504
Touzard 436
Valensin 256
Valentia (Greg.) 142, 399, 424, 493
Van de Woestine 240
Vasquez 241, 279, 373, 400, 493, 494, 515
Vermeersch 292
Vigilius 72
Vigilius Thaps. 230, 343
Vigué 327
Voisin 4
Voisine 240
Waffelaert 549
Walker 329
Wirceburgenses 365, 375
Wulf (de) 222
Zeller 115

5°. ANALYTICUS

Actio : theandrica, quae et quotuplici sensu 125 ; actionum Christi valor moralis infinitus 303 ; quae meritoriae 446 ; actio Christi instrumentalis 401-404 ; Christi capitis actio in membra 529.
Adamus non decretus sine Christo 548, 563, primam gratiam non habuit ex merito Christi 450 ; Christus novus Adam 11, 524.
Adoptianistae : monarchiani 68, 274 ; saeculo 8° 275-277 ; saeculo 12° 276 ; hodierni dogmatum historici 75.
Adoptio nullo sensu in Christo 278.
Adoratio : definitur 282, excluditur de « homine », qui sit in Christo 78, 283, vindicatur humanitati Christi 283 sqq., est personae semper exercite 282, 286 sqq., partium signate 286.
Agnoetae 343 ; num omnis Agnoëta Nestorianus 344.
Amor Dei in nos principium Redemptionis 139-143 ; objectum cultus SS. Cordis 290-291 : humanus an etiam divinus 292, in nos an etiam in Deum 292 ; ex amore valor redemptivus sacrificii Christi 524-525.
Anathematismi S. Cyrilli quam vim dogmaticam habeant 79.
Angeli : gratiam non habuerunt ex merito Christi 450 ; utrum et quo sensu pertineant ad corpus mysticum 534 ; quem influxum Christi subeant 535 ; quo sensu cum hominibus in Christo reconciliati 534.
Anima Christi : quo sensu ab haereticis negata 4 ; creata est 253 ; quo gradu perfecta 418 ; assumpta a Verbo 5, 8, quo sensu natura prius quam corpus 204 sqq., mansit semper unita 199.
Aphthartodocetae 419.
Apollinaristae : doctrina 5 et 69 ; impugnati a Nestorio 70 ; formulae ex eis mutuatae suspicionem movent 103-105.
Appetitus sensibilis et fomes 353, in Christo numquam motus absque voluntatis consensu 357 ; illius passiones in Christo 422, 428.
Ariani : errores de anima Christi 4 et 68.
Beata scientia Christi : existentia 315-318 ; extensio 319 ; explicat unitatem Christi psychologicam 332, non tollit Christi libertatem in genere 363, neque circa praecepta 388 sqq.
Beatificus status Christi probatur 316 sqq., differt a statu beatorum in genere 370, 390, non tollit libertatem in Chris-

to 388 sqq., compossibilis cum tristitia etiam spirituali 424-428.

Caput : Christus caput corporis mystici 529, etiam angelorum 534-535, omnium creaturarum 537 ; gratia personalis et gratia capitis 311, 530.

Capitula tria 72.

Caro: quo sensu Verbum caro factum 89; vera caro 4-10, unita secundum hypostasim 196, passibilis 421 ; *vide* Corpus.

Causa: principalis et instrumentalis 399, 404 ; *Incarnationis :* efficiens 175-177, finalis 542 sqq., meritoria nulla 154-155.

Chalcedonense concilium 11, 115, olim impugnatum a Monophysitis 72, hodie a dogmatum historicis 75.

Compositio personae Christi : quoad rem 213, quoad modum loquendi : apud antiquos 214 et scholasticos 215 ;— personae et naturae humanae in Christo compositio non est formalis 182, 214, 240.

Condignitas satisfactionis Christi 488-493.

Convenientia : Incarnationis 138, defectuum naturalium in Christo 420.

Cor Jesu SS. : cultus fundamentum 288, objectum 289 sqq.: utrum amor humanus tantum 292, amor in nos an etiam in Deum 292 ; finis hujus cultus 293 ; distinctio a cultu SS. Sacramenti 294, ejus excellentia 294.

Corpus Christi : *carneum* 7, ex humano genere 10, assumitur mediante anima 204-206, mansit unitum in triduo mortis 199-200, negabatur unitum animae a 3ª olim opinione 220 ; non a prima conceptione perfecte organizatum 203, passibile fuit 421, perfectiones naturales habuit 418, ; corporis sui gloriam Christus sibi meruit 445-447 ; — *mysticum :* notio 527-528 ; quem influxum a Christo accipiat 529 sqq., quae membra 532 sqq., utrum etiam angeli 534; corpus Christi mysticum et Ecclesia 527, 536.

Conceptio Christi ex genere nostro 10, in instanti facta est 203, simultanea unioni 193.

Conscientia : falso identificatur cum personalitate 74, 328; conscientia Christi humana 329 ; conscientia humana suae divinitatis 330-332.

Creatura est natura humana Christi 253; creatura pura non potest de condigno satisfacere pro peccato 494 sqq., potest apud Deum mereri 444 ; creaturae in Christum ordinatae 537.

Cyrillus Alex. (S.) : Nestorio ab initio odio habitus 102, procedit contra Nestorium 70, 79; dogma catholicum quomodo intellexit et propugnavit 82-83, 110; quomodo explicuit formulas Nesrio suspectas 105, 106 ; distinctionem naturarum post unionem propugnavit 107-108, non praelusit monothelismo 119-122; anathematismorum vis dogmatica 79 ; quo sensu intellexit « hypostasim » in « œconomia » 103, 226, 243 ; duas admisit in Christo existentias 243 ; num admiserit humanitatis in miracula causalitatem physicam 408-410.

Decretum Incarnationis liberum 139 sqq.; a multis negatur fuisse ante praevisionem peccati 545 sqq.; probabilius conditio permissionis peccati 563 sqq.; quo sensu decretum aliquod dicatur apud Deum antecedens 544 ; decretorum inversio in opinionibus de fine Incarnationis 545-546, probabilius excludenda 562 sqq. ; decretum de redemptione per mortem fuit Christo praeceptum mortis 384.

Defectus naturae humanae in Christo 419-420 ; eos non contraxit 419; convenientia eorum apud Christum 420.

Desideria apud beatos et apud Christum 428.

Diabolus : non potest dici accepisse redemptionis pretium 452; quo sensu Patres aliqui hoc admiserint 454 ; quid sit liberari a servitute diaboli 431.

Divinitas Christi : quousque in hoc tractatu probanda 12 ; a quibus negetur 13 ; quo processu probetur 14 : ex testimonio S. Pauli 15-27 et 34-37, ex

aliis apostolis 25-27, ex synopticis 28-32 et 38-58, ex S. Joannes 59 sqq. ; contra divinitatem difficultates solvuntur 14, 26-27, 42-44, 56-58, 66; — divinitatis influxus in humanitatem 126; divinitas incarnatione non mutatur 132 sqq.

Docetae 4.

Dogma: *de unitate Christi personalis* in quo sit 82, 109, fundatur Scriptura et traditione 87, quomodo a S. Cyrillo propugnatum 109, a Nestorio negatum 111 sqq.; *de morte Christi piaculari,* quale intellegatur ab Ecclesia 432, non est a S. Paulo inductum 436 sqq.

Dolor fuit in Christo 422-428.

Donum: unio hypostatica maximum Dei donum 212 ; dona supernaturalia animae Christi infusa 310.

Ebionitae 4.

Efficientia Incarnationis 175 sqq. ; redemptio per modum efficientiae quid significet 443 ; efficienter, per modum efficientiae agere quid significet apud S. Thomam 416-417.

Ephesimum *concilium* quomodo coactum 70, 79, qua forma definitionem dederit 79; *latrocinium* 71.

Error non fuit in Christo 335-340.

Esse simpliciter quid dicatur 236 ; esse personale cur in Christo unicum 238 ; esse existentiae quotuplici modo tribuatur rebus 262 ; quodnam esse S. Thomas negavit dari duplex in Christo 259 sqq.; esse divinum unicum in Christo et in creaturis juxta Ekardum 256; essendi unitas non consequitur ad unionem secundum subsistentiam 250.

Essentiae ab existentia distinctio compossibilis cum admissa duplici in Christo existentia 251 ; *vide* Existentia.

Existentia quomodo se habeat ad essentiam et ad personalitatem in variis opinionibus 241 ; existentia humanae naturae affirmatur a Patribus 243 sqq.; divina non est in Christo unica 253, non admittitur ab omnibus tenentibus realem essentiae ab existentia distinctionem 251, num admittatur a S. Thoma 259 sqq.

Expiatio poenalis est de ratione satisfactionis 468, 469, 474, 475, 480; non est simpliciter aut formaliter satisfactio 472.

Filiatio: *adoptiva* potest deesse in Christo 278; quo sensu admissa ab haereticis 275, a catholicis quibusdam 275 ; nullatenus admitti potest 277-278 ; *naturalis* Christi hominis ab haereticis negata 275, admitti debet 277, num possit admitti de humana Christi natura 279.

Filius Dei nomine proprio vocatur Christus 46-47 ; solus ex Trinitate incarnatus est 136 ; hujus convenientia 138; qui potuit incarnari solus 136 ; 178-183; quis intellegatur in ps. 2 168-172; non appellatio usualis futuri Messiae 42; de hoc evangeliorum loca dubia 43-44; intellegitur sensu proprio a S. Paulo 34-37, ab evangelistis 38-40, ab ipso Christo 45-54, 63-66;— Christus est Filius Dei naturalis, etiam qua homo specificative 274-278; num etiam qua homo formaliter ? 279; non est filius Trinitatis 177.

Filius hominis : sensus appellationis 55.

Finis Incarnationis : *vide* Causa.

Fomes peccati : definitio 353; non fuit in Christo 353-357.

Gaudium: essentiale beatitudinis habuit Christus 370; aliqui putant fuisse suspensum tempore passionis 424 ; compossibile videtur cum tristitia et dolore 425 sqq.

Gloria Christi : fructus ejus meriti 445-447 ; finis partialis Incarnationis 547.

Gratia : *unionis* apud S. Thomam aequivalet sanctitati substantiali 297, summum Dei donum 212, non potuit a Christo mereri 154, nec ab ulla creatura 154, non fundat filiationem naturalem pro Christo homine 279; — *habitualis* fuit in Christo 307, quo sensu

illi debita et connaturalis 298, 306; in tota plenitudine ab initio 308-309 ; — *actualis* Christo data 310 ; — *efficax* debetur, qua procuretur impeccantia 352, 386 ; — *omnis* gratia nobis est fructus meritorum Christi, 448, 449, non gratia angelorum aut protoparentum 450 ; — *infusa* hominibus num sit ex humanitate Christi physice causante 411-417 ; — *in membra* corporis mystici a capite influxa 311 et 530.

Homo : caelestis et terrenus 11 ; quo sensu dicatur assumptus apud Nestorium 78, 101, 111-114, apud antiquos scriptores 95-99 ; admittebatur a 1ª olim opinione 220. — Quid significet *qua homo* reduplicative 274; num Christus, qua homo, filius adoptivus 275 sqq.

Humanitas Christi : realis 4-10 ; quo sensu propria Verbi 82 sqq., unita primario personae 181, secundario naturae divinae 179, 184, non praeexstitit unioni 193, assumpta quoad omnes suas partes 196, mansit in unione completa et distincta 115 sqq., suas habuit in Christo operationes 117 sqq., Verbi fuit instrumentum 218, 404 sqq., 412 ; quem influxum habuerit in miracula Christi 399-410, in gratias hominibus infusas 411 sqq., in membra corporis mystici 530 ; — coadorari potest Verbo 282 sqq., sacrificium eucharisticum suscipere nequit 285, neque amari eodem amore quo Verbum 287 ; — proprietates communes servavit 418 sqq. ; — unione in melius mutata est 266, *vide* Sanctitas, Scientia, Potentia.

Hypostasis : quo sensu intellegitur in « oeconomia » apud S. Cyrillum 103 ; quomodo intellegatur esse persona 225, 227 sqq. ; duae hypostases in Christo juxta S. Cyrillum 227, 244 ; hypostasis et subsistentia 249 et 250 ; *vide* Persona.

Hypostatica unio : mysterium proprie dictum 216 ; comparationes quibus illustratur 217 sqq. ; demonstratur non repugnare 131 sqq. ; *vide* Unio.

Idioma : definitio 269 ; communicatio datur apud Christum in concreto 269-270, non in abstracto 272 ; cautiones in communicatione idiomatum adhibendae 271.

Ignorantia : a quibus tributa sit Christo 333, 343 ; negativa admitti debet 319, 341, privativa nullatenus 333, 342 sqq.

Immolatio de essentia sacrificii Christi 516-517.

Impassibilitas Christi a paucis haereticis admissa 419, excluditur 420 sqq., est fructus meritorum ejus 370, 390, 447.

Impeccabilitas Christi 349 sqq., est illi intrinseca 351-352, primario ex unione hypostatica 352, 370, probabiliter non ex visione beatifica 388 sqq., non tollit Christi libertatem sub praecepto 386-387.

Impeccantia Christi 348, procuratur gratiis efficacibus 352, 386-387, exigitur unione hypostatica 351-352, conciliatur cum tristitia et repugnantia etiam spirituali 422-423.

Imperfectio positiva non potuit dari in Christo 352 ; electio minus perfecti non induxisset Christo imperfectionem 367.

Incarnatio : nomen 2 ; definitio 1 ; in quo praecise consistat 67 ; negative probatur non repugnare 131 sqq., convenientissima 138, non necessaria 144-152, nisi in hypothesi satisfactionis condignae 151 et 494 sqq. ; praeparata 156, insinuata in Vet. Testamento 157-174, effecta a tota Trinitate 175 sqq. ; est solius Filii 186 : quod quomodo intellegatur possibile 136 et 179-184 ; *causa finalis :* variae opiniones 545-549, admittitur esse redemptio 550 sqq, at etiam Christi ipsius excellentia et gloria 547-49, 560 sqq. ; Incarnationis decretum conditio decreti de Adamo creando 563 ; *causa meritoria* nulla 153-154 ; consequentiam habet rerum omnium ordinationem ad Christum 537.

Inferior Christi pars tristitiam et repugnantiam passa est 422-423 : quod conciliatur cum statu beatifico 424 sqq. ; non experta est tamen realem a Patre derelictionem 424, 427.

Instantia rationis in discernendis decretis divinis 544.

Informatio corporis ab anima in Christo negata a tertia olim opinione 220, naturae humanae a persona divina non datur ulla 218 et 240 ; 247.

Instrumentum : duas actiones habet 404 ; humanitas est Christi instrumentum conjunctum 218, quo omnia humana operatus est 397 ; ita omnes Patres 404 ; non ideo docent eam influxisse physice in miracula 405 sqq. ; gratia non efficitur ab humanitate Christi instrumentaliter 411 ; quo sensu apud S. Thomam dicatur causare instrumentaliter salutem nostram 417.

Interpellatio Christi in caelo 512.

Jacobitae 73.

Justitia in Redemptione per Christum 453 ; in satisfactione Christi vera justitia 493.

Lex mortis : est poena peccati 384, 431; Christus illi se subjecit libere 384.

Libertas Christi est de fide 359, 362, probatur 360-363 ; libertas quoad mortem 364, quoad actus objective minus perfectos 365-367, utrum etiam contrarietatis 368 sqq. : variae opiniones 372 sqq. ; probabiliter non fuit 375-383, probabilius fuit 385, non obstante impeccabilitate intrinseca 386 sqq., nec statu beatifico 388, 395, non tollitur omniscientia Christi 363.

Maria : num et quo sensu potuit mereri Incarnationem 154-155 ; quo sensu a Nestorio dicebatur Dei genitrix 78, 101, 105 ; quomodo explicabatur a S. Cyrillo 100 et 105 ; traditione constat esse Θεοτόκος 93.

Maternitas divina B. V. quomodo intellegenda 100.

Mediator Dei et hominum Christus 429.

Meritum : notio 444 ; etiam satisfactio potest haberi ut meritum 451; meritum Christo possibile 445, ab initio 446, per sacrificium 526 ; meruit sibi impassibilitatem et gloriam 447, nobis omnes gratias 448-449, non angelis aut Adami primam gratiam 450.

Messias insinuatus fore Deus quo sensu 156-160, apud Isaiam 161-166, Malachiam 167, in ps. 2 168-172, in ps. 44 173, in ps. 109 174; non solebat vocari Filius Dei 42, agnoscebatur praedictus ab Isaia ut « Servus Domini » 437.

Miracula faciendi potestas fuit in Christo perfecta 398, num ex humanitate influente physice 399 sqq. ; num hoc docuerit S. Thomas 412 sqq.

Misericordia Dei principium est Incarnationis 139-143, suadet decretum de Christo praeivisse decreto de Adamo futuro 563.

Modernistae : de divinitate Christi 13, de vi appliationis « Filius Dei » 33, de unitate Christi personali 74-76, de scientia 333, de morte Christi piaculari 435.

Modus substantialis personalitatis a quibusnam admittatur 241, caret fundamento proprie theologico 242 sqq. ; utrum unio hypostatica sit modus 267-268.

Monarchiani errant etiam de Incarnatione 68.

Monophysismus : historicus conspectus 71 sqq. ; quomodo oriatur a formulis S. Cyrilli 71; excluditur a S. Cyrillo 107 sqq., 115, demonstratur esse falsus 115-116 ; de formula operationis theandricae 123, de ignorantia Christi 343.

Monothelismus : conspectus historicus 73 ; probatur esse falsus 117, non admissus a S. Cyrillo 119 sqq. ; quo sensu illi faverit Honorius 128 sqq. ; condemnatus est ab Ecclesia 122.

Mors : poena peccati 384, 431; mors Christi, utrum illi praecepta 372 sqq., quo sensu illi praecepta 384 ; apud eum

non fuit poena 384 ; libere suscepta 364 ; quo sensu Filius a Patre morti traditus 378 et 384; per eam redemptio 432 sqq.; mors piacularis praenunciata apud Isaïam 436-437, a Christo 438-439, credita ab initio in Ecclesia 441-442, quo sensu satisfactoria 480, quo sensu sacrificium 516, 524; cur illi soli ascribitur Redemptio 492.

Natura : quid in genere 81, quomodo distincta a persona apud Deum 180, apud creaturas 237 ; — *humana* realis est in Christo 4-11, etiam post unionem 115-116 ; quo sensu definita est unita hypostatice Verbo 82 sqq. ; non praeexstitit unioni 193-195 ; assumpta tota secundum hypostasim 196, nunquam deponetur 198, a multis putatur carere existentia propria 241, quod caret theologico fundamento 242 sqq., et repugnare videtur 248 sqq.; habet proprietates et defectus communes 418 sqq, sancta substantialiter 297 sqq., deiformis per gratiam habitualem 306 sqq., non potest dici filius Dei naturalis 279, coadorari potest Verbo 282 sqq. ; illius assumptione genus humanum jam aliquatenus sanatum 432 ; ejus ratione Christus est caput 529 sqq., et rex omnium 538. *Vide* humanitas ; — *divina* unita substantialiter 179, 184, sed secundario tantum 184; quo sensu, abstractis personis, possit assumere 182; quomodo influat in actiones Christi humanas 126, *vide* Divinitas.

Necessitas Incarnationis nulla 144, nisi in hypothesi satisfactionis condignae 151 et 494 sqq. ; necessitas non oritur voluntati Christi ex ejus omniscientia 363, ex impeccabilitate 386, ex statu beatifico 388 sqq.

Nestorius : qua occasione condemnatus 60,78 sqq.; ab hodiernis vindicatur 75, 101; definitio Ephesina praescindit ab illius subjectivo errore 77; inquiritur de ejus subjectivo errore 101 sqq.; semper detrectavit admittere dogma a S. Cyrillo propugnatum 109 sqq.; quo sensu probaverit epistolam dogmaticam S. Leonis 114; admisit in Christo, non peccatum, sed fomitem et profectum in virtute 348.

Obedientia Christi probabilius est proprie dicta 381, compensat inobedientiam Adami 381, 453, libera fuit etiam sub omni praecepto rigoroso 385 sqq.; ex ea est sacrificio Christi valor satisfactorius 473, 524-526.

Oblatio pertinet ad sacrificium 515, non sufficit ad ejus constitutionem 517 ; quomodo Christus se obtulerit 511, 517.

Omnipotentia Christi quo sensu 396-397.

Omniscientia Christi, quo sensu admittatur 319, 341, quo processu sit communiter admissa 316-317, 346.

Operatio : dualitas operationum negatur a Monothelitis 73, 117, probatur 118 sqq. ; deivirilis seu theandrica quo sensu 123-125 ; operationis divinae in humanam influxus 126.

Originale peccatum : objectum primarium redemptionis 498, non fuit in Christo 348.

Passibilitas Christi : a quibus negata 419 ; distinguit Christum beatum ab aliis 370, 390, juvat explicare libertatem Christi sub praecepto 390, conciliatur cum statu beatifico 424-428.

Passio Christi praenunciata ab Isaïa 436-437, ab ipso Christo 438 sqq. ; illi ascribitur redemptio 432 sqq., 492.

Passiones corporis et animae in Christo 421 sqq., cur et a quibus negatae 419, non officiunt impeccabilitati 423-424 ; quo sensu voluntariae 357, 423.

Pater : nomine proprio vocatur a Christo 46, quo sensu cum Christo unum 64-65, Christo major 66 ; Patri Christus subditus erat 280, 359 ; quomodo Filium morti tradidit 378 ; quo sensu mortem Filio praecepit 384 ; non est incarnatus 179, 186, humanitati Filii inhabitat 187.

Peccatum : non fuit in Christo ullum 348 ; quo sensu « factus est peccatum »

348; repugnat unioni hypostaticae 351, non praecluditur formaliter ipsa unione 352, sed gratiis quas exigit 386, apud Christum non excludebatur formaliter visione beatifica 388 sqq.; peccatum si non fuisset, non fuisset Incarnatio 548, 550; peccati servitus in quo sit 431; redemptio a peccatis etiam actualibus 498.

Persona: Notio communis 81; unica est in Christo 82 sqq.; quomodo concipiatur constitui apud Patres graecos 225-229, latinos 230 sqq., S. Thomam 231 sqq., hodiernos juxta diversas opiniones 221-222, 241; quae opinio admittatur 222-223, 236; probabilius ratione tantum distincta a natura 237 sqq.; — Filii sola persona unita est 179 sqq., 186; — Christi persona quo sensu composita 213-215.

Potentia: *obedientialis* humanitatis actuatur in unione hypostatica 238, 268, invocatur ad explicandam causalitatem instrumentalem physicam 399; — potentia *humanitatis Christi* quanta fuerit 397, 398, quomodo influxerit in patranda miracula 399 sqq., in gratias nunc infusas hominibus 411 sqq., ex mente S. Thomae 412 sqq.; potentia peccandi physica seu psychologica fuit in Christo 385-395.

Potestas regia Christi: *vide* Rex.

Praeceptum moriendi quo sensu datum Christo 384; forte indeterminatum quoad modum 373, forte dispensabile 374, forte non rigorosum 375 sqq., probabilius rigorosum 381, compossibile cum libertate Christi 385 sqq.

Praedestinatio: non fuit Christi ut fieret Filius Dei 37.

Praesentia Verbi et Christi diversa 273.

Profectus Christi in sapientia 309, in scientia 327.

Protoparentes non habuere gratiam primam ex merito Christi 450, etsi non sunt decreti independenter a Christo 547, 562 sqq.

Pulchritudo Christi 418.

Reconciliatio cum Deo: quo sensu nobis necessaria 486; ascribenda Dei benevolentiae 139-143, 486, et justitiae 487.

Redemptio: notio 430-31, qualis ex dogmate catholico 432, quod probatur 433 sqq.; redemptionis revelatio 435 sqq.; donum gratuitum divinae bonitatis 139 sqq., 480-481; probabiliter sola causa finalis Incarnationis 550 sqq., probabilius causa tantummodo partialis et secundaria 547, 562 sqq., probabilius conditio sine qua non decreti creationis 562 sqq.; quotuplici modo facta 443 sqq., 526; qua Redemptor Christus caput 534, 537, rex 538; *vide* Meritum, Satisfactio, Sacrificium.

Regnum Christi 538 sqq., regnum principaliter spirituale 539, etiam temporale saltem indirecte utrum etiam directe 450; regni Christi venturi duplex stadium 337; quo sensu videndum a coaevis Christi 338.

Repugnantia Christi ad mortem non officit sanctitati 423.

Resurrectio Christi: quomodo contulit ad redemptionem 514, sacrificium Christi consummavit 514.

Sacerdotium: notio 500; sacerdotium Christo Incarnatione collatum 501-504, praestantissimum 502, aeternum 504; quid in caelo Christus offerat 504, 512.

Sacrificium: sacrificii elementum genericum 515, specificum 516, significatio moralis seu generica 515, significatio specifica 518-521; sacrificii pro peccato significatio specialis 522-523; — sacrificium Christi in passione oblatum 505 sqq., 517, in cruce perfectum 506 sqq., negatur a Socinianis 507 sqq.; num in caelo complendum 511; utrum in caelo offeratur 512 sqq.; quo sensu per resurrectionem consummatum 514; — sacrificii Christi essentia 515-517, valor redemptivus 524-526; sacrificium est meritum et satisfactio 526.

Sanctitas : notio generica 295 ; sanctitas Christi 296 ; *substantialis* 297-304 ; quomodo concipienda 299-300 ; utrum infinita 304 ; — *accidentalis* 305-311.

Sanguis : Verbo unitus secundum hypostasim 197 ; etiam in triduo mortis 201 ; sanguinis oblatio et sacrificium 508, 522.

Satisfactio : sensus generalis 451 ; undenam sit ei virtus redemptiva 466 sqq. ; duplex elementum essentiale : poena et voluntarietas 467-469 ; — *vicaria :* quid non sit 471, 485 ; non est simpliciter expiatio poenalis 472, quam tamen implicat 473-474, 480 ; solidaritatem praesupponit 473 ; obsequium Deo habet ut elementum formale 475-479 ; non repugnat philosophice 482-483 ; non contradicit gratuitati redemptionis 482 et 486 ; — est *doctrina fidei* 451 ; probatur Scriptura 452-453 ; traditione 454-464 ; — undenam impugnetur 482 ; — fuit condigna et infinita 488-491 ; — utrum ex stricta justitia 493 ; non potuit esse condigna nisi per Christum 494-496 ; fuit universalis 497-499.

Scientia increata non est humanitatis Christi 313-314 ; scientia Christi humana 312, beata 315-319, infusa 320-323, naturaliter acquisita 324-327 ; non est illimitata 319, 341, nec limitata quo modo volunt acatholici 333, nec determinanda ex solis evangeliis 334 ; immunis tamen ab errore 335-340 et ab ignorantia privativa 341 sqq.

Sensualitas quo sensu fuerit in Christo 422 sqq.

Servus : quo sensu Christus dici possit Dei servus 280.

Sociniani : negarunt Christi divinitatem 13 ; redemptionem objectivam et sacrificium Christi in cruce 434, 507 sqq.

Solidaritas : conditio satisfactionis vicariae 473 ; sacrificii, quod nobis valeat 524.

Spiritus Sanctus non est incarnatus 179, 186 ; illi appropriatur efficientia Incarnationis 176 ; quin dici possit Pater Christi 177 ; inhabitat humanitati Christi 187 ; unxit eam sicut et nostram per gratiam 307, et sua dona illi infudit 310 ; influxus in Christi humanas operationes 126.

Subsistentia : quotuplici sensu intellecta sit 249 ; intellegatur apud S. Thomam 249-250 ; sensu recentiorum non confundenda cum substantialitate 250 ; quo sensu unio dicatur secundum subsistentiam 250 ; non exinde sequitur unitas essendi 250 ; variae recentiorum opiniones de subsistentia 222 sqq. ; probabilius non distinguitur a natura existenti 236 sqq. ; num unio humanitatis terminetur ad subsistentiam Dei absolutam 189-192.

Substantiae duae an tres in Christo 9.

Substitutio num sit de ratione sacrificii in genere 521, sacrificii pro peccato 522-523 ; quo sensu Christus sit nobis substitutus 473, 474, 480, 524.

Superabundantia satisfactionis Christi 490.

Suppositum duplex in Christo admittebatur in 1ª olim opinione 220, 239 ; contra hoc S. Thomas 229, 261, 264 ; quomodo distinguatur a natura 222, 237 ; *vide* Subsistentia.

Tentatio Christi non ab intrinseco 357.

Theandrica operatio : formulae historia 123-124 ; quae et quo gradu operationes theandricae 125-127.

Theotokos : cur et quo sensu negabatur a Nestorio 78, 106, 113 ; exponebatur a S. Cyrillo 105 ; admittebatur ab Orientalibus 93 ; quo sensu definitum 82 sqq. ; quo sensu est verum 100.

Thomas S. : cur persona non adsit in Christo humana 231 sqq. ; negat deesse quidquam positivi 232, 242 ; quotuplici sensu intellexit subsistentiam 249-50 ; quodnam esse docuit dari in Christo unicum 259-264 ; quid de obedientia Christi 378, 383 ; num humanitati Christi in miracula influxum admiserit physicum 412 sqq. — Quoad cetera : *index specialis*.

Timor Dei quo sensu fuerit in Christo 310; timoris passio fuit in Christo 421.
Tria capitula 72.
Trinitas tota effecit Incarnationem 175; nec tamen Christum habet filium 177; incarnata sit, si unio terminetur ad aliquid illius absolutum 181, 188-192, 257.
Tristitia fuit in Christo 422 sqq.; non obstante statu beatifico 424 sqq.
Ubiquistae errarunt circa communicationem idiomatum 273.
Unctio humanitatis Christi vi unionis 301; vi gratiae 307.
Unio hypostatica: qua occasione definita 78 sqq.; *dogmate* qualis doceatur 82 sqq.; quo sensu dicatur secundum subsistentiam 250; mysterium proprie dictum 131 sqq., 216 sqq.; quibus comparationibus illustratum 217-218; substantialis 209; supernaturalis 208; maxima in ratione unionis et doni 211-212; extenditur ad omnes naturae partes 196; indissolubilis 198 sqq.; terminatur primario ad personam divinam 181 sqq.; secundario tantum ad naturam 184 sqq.; non potest terminari ad aliquid Dei absolutum 188 sqq., 257; — *notio scientifica:* erui debet ex fontibus theologicis 221, 223; explicari nequit per absentiam cujuslibet positivi 242 sqq., existentiae creatae in specie 250 sqq.; explicatio positiva traditionalis 222 sqq.; quid in se sit? 265-268.
Unitas Christi: mere *moralis* juxta Nestorium 70, 78, 101 sqq.; Güntherum 74; *ontologica personalis* est de fide 77 sqq.; exaggerata ab Apollinaristis 69 et a Monophysitis 71; minuebatur a 1ª olim opinione 220; nunc etiam in certis opinionibus 240-241, 258; psychologica quanta sit 332.
Valor actionum Christi moralis infinitus 303; utrum major fuerit omnium quam unius 492; undenam valor satisfactioni vicariae 472; sacrificio in genere 518 spp.; sacrificio Christi in specie 524-525.
Virtutes quas habuerit Christus infusas 310.
Visio beatifica: fuit in Christo 315 sqq.; utrum ex Scriptura probetur 318; a Patribus doceatur 317; quam perfecta fuerit 319; juvat explicare conscientiam in Christo suae divinitatis 332; non facit alias scientias inutiles 322, 326; compossibilis cum libertate Christi 363, 388 sqq.
Vita Christi duplex 127.
Voluntas Christi: haeresis monothelismi 73; ratio fundamentalis 117; utrum illi praeluserit S. Cyrillus 119 sqq., faverit Honorius 128 sqq.; duplex voluntas in Christo probatur 118 sqq.; quomodo duae voluntates semper concordes 423; voluntas « sensualitatis » in Christo non officit ejus impeccabilitati 357, 422; nec voluntatis motus contrarius 423; *vide* Libertas; Obedientia; Praeceptum.

Angiae (Belgica). — Typographia Edg. DELWARDE.

244
G117
Galtier, Paul
AUTHOR
De Incarnatione et
TITLE
Redemptione

DATE DUE	BORROWER'S NAME

244
G117

GRADUATE THEOLOGICAL UNION
1962

Property of
CBF
Please return to
Graduate Theological
Union Library